THEOLOGIAE MORALIS

COMPENDIUM

P. F. JOANNIS VINCENTII

PATUZZI

ACCEDUNT

MONITA

DIVI CAROLI BORROMEI

AD CONFESSARIOS

ETHICAE CHRISTIANAE

SIVE

THEOLOGIAE MORALIS

COMPENDIUM

AUCTORE R. P.

F. JO. VINCENTIO PATUZZI

ORD. PRAEDICATORUM
IN VENETA CONGREGATIONE B. JACOBI SALAMONII
S. THEOLOGIAE PROFESSORE

OPUS NON SOLUM CLERICIS ET THEOLOGIS
SED PAROCHIS ET CONFESSARIIS PERUTILE

EDITIO

ACCURATISSIMA ET A MENDIS PURGATA

VOLUMEN II.

Continens

Tractatus de Praeceptis Decalogi,
ac de Praeceptis Ecclesiae.

LAUDE POMPEJA

EX TYPOGRAPHEO JO. BAPTISTAE ORCESI

MDCCCXXXIII.

ETHICAE CHRISTIANAE
SIVE
THEOLOGIAE MORALIS
TRACTATUS QUINTUS
DE DECALOGI PRAECEPTIS.
DISSERTATIO I.
De Primo Decalogi Praecepto.
CAPUT I.
De natura, objecto, et praestantia virtutis Religionis.

I. *Decalogi definitio.*

Decalogus recte ex D. Thom. definiri potest: *Lex divina naturalis decem complectens praecepta, et tabulis lapideis Dei digito insculpta, ac populo Judaeorum data.* Dicitur *Lex divina*, quia, inquit S. Th. 1. 2. q. 100. art. 3. *Praecepta Decalogi Deus per seipsum dicitur populo proposuisse, alia vero praecepta populo proposuit per Moysem.* Additur *naturalis*, quia omnia naturae praecepta complectitur, quae in triplici sunt differentia: alia siquidem, quae per se nota sunt, et sunt prima universalissima illa principia: *Bonum est faciendum, et malum fugiendum:* alia vero, quae ex his proxime deducuntur, et solo sunt nota lumine rationali, ut *honora patrem, et matrem.* Tertio denique loco illa collocantur, quae ex ipsis primis principiis, licet longius, profluere sapientium animadversio nos edocet, cujusmodi esset honora personam senis. Decalogus decem numero praecepta complectitur, quorum priora tria ad primam tabulam spectare, posteriora septem ad secundam agnoscit S. Thomas. De his omnibus praeceptis agimus in hoc Tractatu pluribus dissertationibus.

II. *In primo Decalogi praecepto, continetur praeceptum de uno vero Deo colendo.*

Primum Decalogi praeceptum, licet negative efferatur, continet tamen etiam praeceptum de uno vero Deo colendo: ut enim optime explicat Tridentini Concilii Catechismus n. 3. *Quod dicitur,* Non habebis Deos alienos coram me, *eam habet sententiam conjunctam,* Me verum Deum coles, alienis Diis cultum non adhibebis. Duo igitur designantur praecepta, alterum negativum, alterum affirmativum in eo inclusum, mandans verum Deum adorari, et coli. Implet virtus Religionis, quae Dei cultum respicit, hoc praeceptum, et de hac virtute in hoc et sequentibus capitibus, deinde vero vitia illi opposita expendemus.

III. *Quid sit Religio.*

Religio juxta D. Th. sic definitur: *Est virtus moralis, qua Deo tanquam primo rerum omnium principio et supremo Domino debitus cultus exhibetur.* Virtus est, et quidem ad justitiam pertinens, cujus est pars potentialis, quippe quae rigorosum quidem debitum respicit, sed ad aequalitatem non solvit, et mores recte disponit. Ad objectum Religionis pertinent et persona, quam colit, nempe Deus, et cultus, qui ei defertur. Deus est objectum indirectum, et remotum; cultus vero directum, et propinquum, quia Religio non attingit Deum immediate, sed mediate, cultum videlicet, quem illa intendit. Porro Deus est objectum, et finis Religionis, quatenus spectatur ut primum rerum omnium principium, sive ut supremus illorum conditor, et gubernator.

IV. *Religionis actus enumerantur.*

Quum homo et corpore constat et spiritu, et utraque facultate utriusque Conditori rependere debet sui famulatus obsequia. S. Thom. Religionis actus in duas dispartitur classes, in interiores videlicet, et exteriores. Ad primum pertinent devotio, et oratio; ad posteriorem vero revocantur adoratio, qua corpus nostrum Deo subjicimus; oblatio (sub cujus nomine comprehenduntur sacrificium, decimae, primitiae, aliaque id genus), qua nostra exteriora bona Deo offerimus, et illa omnia exteriora signa, sive actus, quibus aliquid in divini cultus protestationem assumimus, uti sunt votum, juramentum, adjuratio, et assumptio divini nominis in laudem. Ita hic q. 84. art. 2. Quia vero duplici natura compositi sumus (intellectuali scilicet, et sensibili) duplicem adorationem Deo offerimus, scilicet spiritualem, quae consistit in interiori mentis devotione, et corporalem, quae consistit in exteriori corporis humiliatione. Non de omnibus hic agemus, sed opportune suis locis, videlicet de juramento et voto in secundo Decalogi praecepto, de decimis, ceterisque oblationibus, quum praecepta Ecclesiae explicabimus. De Sacrificio in Tract. de Sacramentis disputabimus, cetera vero modo sumimus exponenda.

V. *Devotionis notio.*

Devotionem definit Angel. Doct. hic q. 82. art. 1. *Voluntas quaedam prompte tradendi se ad ea, quae pertinent ad Dei famulatum.* Per *voluntatem* significatur ipse actus Religionis: *Devotio*, inquit S. Th., *est actus Religionis.* Sequentia vero verba designant non quemcunque etiam internum Religionis actum, sed eum, qui ad omnem divinum cultum generali quadam dilatatione se extendit, licet latiore sensu de affectibus quoque ad peculiaria obsequia tendentibus praedicetur. Proinde idem S. Th. a. 1. eos dicit esse devotos, *qui se ipsos quodammodo Deo devovent, ut ei se totaliter subdant.*

VI. *Oratio quid sit.*

Oratio ex Damasceno est *petitio decentium a Deo.* Quam definitionem amplexatus est D. Thom. hic a. 1. cui addunt Patres, et Theologi haec verba: *cum quadam mentis elevatione.* Et revera si vel petitionis rationem, vel rerum petitarum decentiam, vel elevationem mentis ad Deum, a quo fit petitio, ab humanae mentis actu detraxeris, illa vel orationis speciem minime habebit, vel certe non orationis christianae, quae nimirum religiosa sit, atque honesta: si

enim vel indecentia petantur, e. g. auxilium ad explendas pravas cupiditates, vel decentia indecenter petantur, ut quando sine ulla mentis elevatione vel formali, vel virtuali vocales duntaxat preces jactantur, non orationis, sed execrationis nomen ea petitio meretur.» Duplicem S. Th. hic a. 12. orationem distinguit, communem, et singularem. Communis est, quae per ministros Ecclesiae in persona totius populi fidelis Deo offertur. Singularis, quae offertur a singulari persona cujusque sive pro se, sive pro aliis orantis.

VII. *Orationis necessitas.*

Oratio ad salutem aeternam necessaria adultis hominibus saltem diutius viventibus existimari debet tum ex necessitate, quae dicitur medii, tum etiam obligatione, quae oritur ex praecepto Dei. Haec propositio adeo vera est, ut Theologis videatur ad catholicam fidem pertinere: et revera necessitas orationis luculenter traditur in divinis litteris Matth. 7. *Petite et accipietis.* 26. *Orate, ut non intretis in tentationem.* Luc. 18. *Oportet semper orare, et non deficere.* 1. ad Timoth. *Sine intermissione orate.* Quae verba et in sensu obvio, et juxta constantem Patrum interpretationem necessitatem important. Chrysost. ad illud Lucae. *Oportet semper orare*, ait: *Dum oportet dicit, necessitatem inducit.* Omnes Patres, qui contra Pelagianos scripsere, eodem modo ad salutem necessariam agnoverunt orationem. quo ipsummet Dei auxilium: Quare in lib. de Eccles. Dogm. sub nomine Augustini cap. 56. sic dicitur: *Nullum credimus ad salutem nisi Deo invitante venire, nullum invitatum salutem suam nisi Deo auxiliante operari, nullum nisi orantem auxilium promereri.*

VIII. *Adoratio quid sit.*

Adoratio generaliter sumpta significat honorem alicui exhibitum externo corporis habitu et gestu accommodato ex hominem sensu ad indicandam magnam de ipsius excellentia, atque praeeminentia existimationem; et hoc modo sumpta adoratio exprimit quid commune Deo, et creaturis. Verum persaepe in Scripturis determinate sumitur pro cultu externo Religionis, qui videlicet soli vero Deo ad ejus supremae excellentiae testificationem, et reverentiam est tribuendus. Et haec vocatur adoratio latriae, sicut cultus praestitus creaturis ob excellentiam ordinis supernaturalis gratiae, videlicet sanctitatis, et beatitudinis dulia dicitur. Tametsi autem D. Th. adorationem inter exteriores Religionis actus enumeret, cum interiore tamen eam semper conjunctam esse debere docet art. 2.

IX. *Adorationis variae species.*

Adoratio latreutica absoluta esse potest, et respectiva. Prior soli Deo et Christo tum in se, tum in Eucharistiae Sacramento exhibetur. Respectiva vero est illa, quae Cruci, sacrisque Imaginibus Deum repraesentantibus rependitur: nam juxta S. Th. 3. p. q. 25. a. 3. eadem species, et gradus honoris est impendendus imagini, quem persona imagine repraesentata meretur. Adoratio quoque duliae et ipsa esse potest absoluta, et respectiva. Prior tribuitur 1. B. Virgini, de qua sic scribit S. Th. 3. p. q. 25. a. 4. » Quum B. Virgo sit » pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriae, sed so- » lum veneratio duliae, eminentius tamen, quam ceteris creaturis in » quantum ipsa est mater Dei. Et ideo dicitur, quod debetur ei non

» qualiscunque dulia, sed hyperdulia ». 2. Angelis. 3. Sanctis cum Christo regnantibus. Respectiva vero est, quae eorum reliquiis, et imaginibus exhibetur.

X. *De adjuratione.*

Adjuratio definitur ex D. Th. *Obtestatio divini nominis, sive alicujus rei divinae, et sacrae, per quam quis impellitur vel per imperium, vel per deprecationem ad aliquid vel praestandum, vel omittendum.* Porro hujusmodi adjuratio si debito perficiatur modo, actus est exterior Religionis. Duplicem itaque distinguit S. Th. adjurationem, aliam imperativam, aliam deprecativam. De priore sic docet ille: » Si ali- » quis per invocationem divini nominis, vel cujuscunque rei sacrae » alicui non subdito adjurando necessitatem agendi aliquid imponere » intendat, sicut imponit sibi ipsi jurando, talis adjuratio illicita est, » quia usurpat potestatem in alium, quam non habet ». Non licet igitur nisi Superioribus imperativa uti adjuratione, adeoque subdit. » Propter aliquam necessitatem possunt Superiores suos inferiores » tali genere adjurationis constringere ». De adjuratione vero deprecativa necessitatem non inducente sic docet S. Thom. » Si vero in- » tendat solummodo per reverentiam divini nominis, vel alicujus rei » sacrae aliquid ab alio obtinere absque necessitatis impositione, talis adjuratio licita est respectu quorumlibet ». Haec igitur adjuratio licita est omnibus tum superioribus respectu inferiorum, tum his respectu illorum, tum aequalibus ad aequales.

CONSECTARIA.

I. *Ad substantiam praeceptorum Decalogi, omnes tenentur, nec excusantur a lethali, qui eam ignorant.*

Ad observantiam Praeceptorum Decalogi omnes homines tenentur, et praecipue fideles. Quum enim Decalogus sit explicatio legis naturae, nullus est inter homines, qui a legis naturalis custodia eximatur. Christus vero in Evangelio legem Decalogi confirmavit, et ad salutem consequendam ejusdem observantiam necessariam esse denunciavit Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Dicit ille, *Quae?* Jesus autem dicit: *Non homicidium facies, non adulterabis* etc. Hinc qui fidelis Decalogum saltem quoad substantiam memoria non tenet, a lethali peccato excusari non potest. Nam quilibet fidelis sicut ea novisse tenetur, quae sunt necessario credenda, ita illa ignorare non debet, quae observare tenetur, et quae saepe urgent, cujusmodi sunt Decalogi praecepta, ut meminisse possit quid sibi divina lege praeceptum sit, quidve prohibitum. Dixi tamen *quoad substantiam*, si enim quis ob ingenii hebetudinem verba, et ordinem praeceptorum recitare nesciret, a lethali culpa excusaretur, nisi forte vel ex contemptu ea addiscere recusaret, vel ex verborum ignorantia ipsorum praeceptorum ignorantia sequeretur.

II. *Quando viget orationis obligatio.*

Quum orationem necessariam dixerimus tum necessitate medii, tum necessitate praecepti, statuendum est, quando vigeat haec obligatio. Certum est 1. saltem obligare ad non diu negligendam orationem. 2. Licet tempus, ultra quod sine peccato omitti non possit, exploratum omnino non sit, quemadmodum neque tempus exercendi actus

fidei, spei, et charitatis; conveniunt tamen Theologi omnes, hoc orandi praeceptum saltem per accidens obligare, nimirum quoties peccator tenetur se ad gratiam disponere: tunc enim venia peccatorum, et efficax ad conversionem auxilium imploranda illi sunt; sicut et in evidenti periculo mortis, praesertim si quis tunc peccatis irretitum se adverterit; necnon in evidenti tentatione, cui alia ratione putat se non posse resistere, denique quando spirituale, vel etiam corporale proximorum exitium oratione impediri posse speratur. Quando vero hoc praeceptum per se obliget, pro certo habendum, per se urgere aliquando; et 1. quidem certe in principio usus rationis. 2. Quando urgent praecepta fidei, spei, et charitatis. 3. Juxta Salmanticenses semel in anno: juxta Jo. a S. Th. semel in mense: juxta Concinam singulis hebdomadibus. At certe Christus Dominus quotidie nos orare voluit, dum docuit, ut diceremus: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie:* Frequentem etiam orationem insinuant divina oracula, dum jubent: *Oportet orare semper*, et, *Sine intermissione orate.* Porro qui vel semel tantum in anno vel mense, vel etiam hebdomada ad Deum mentem erigeret, non videtur nedum physice et rigorose ad litteram, sed nec moraliter sine intermissione orare et orare semper, quemadmodum non diceretur semper moraliter manducare, et bibere, qui semel tantum in hebdomada pranderet. Non minus indiget anima orationis cibo, quam corpus esca materiali; frequenter ergo urget hoc praeceptum. Nec censentur hoc praeceptum implere, qui etsi quotidie certas quasdam sibi praestitutas orationes accurate persolvunt, eas tamen sero somniculosi summa celeritate, absque ulla mentis attentione pronunciant; hoc enim, ut superius diximus, non est oratio, sed execratio.

III. *Furari sacras Reliquias, quale peccatum.*

Peccant, qui sacras reliquias etiam devotionis caussa a Catholicis furantur, et sacrilegum furtum committunt, non eo quidem nomine, quasi sacrae reliquiae sint pretio nestimabiles; sed quia et spirituale infertur damnum possessori, et magna injuste afficitur tristitia. Nec gravitas furti ex parvitate reliquiae dimetienda, sed ex raritate, et pretiositate reliquiarum, immo et ex veneratione, et affectu, quo a possessore retinebatur, et colebatur, qui eo majori injuria, et tristitia afficitur. Peccant quoque, qui sacras reliquias vendunt, vel emunt, et qui eas venerationi exponunt principaliter ob eleemosynarum quaestum. Licet tamen pretio e manibus infidelium, vel haereticorum sacras reliquias vindicare: nam tunc vexatio potius redimitur, quam reliquia ematur.

IV. *Quaenam veneratione digna sunt vestes Sacerdotales, et vasa sacra.*

Res sacrae, uti vestes Sacerdotales, vasa sacra, corporalia sunt veneratione digna, ut docet S. Th. 2. 2. q. 99. a. 1. Non est tamen semper illicitum laicis eas contrectare. Nam 1. ex communi usu licitum est sacra indumenta casulas, dalmaticas, stolas etc. laicis tangere, dum vel sacerdotes induunt, vel ut eas, dum opus est, lavent, vel reficiant. 2. Vasa tamen sacra, sicut et corporalia, et purificatoria ab Episcopis, et Praelatis consecrata, et benedicta tangere laicis non est concessum, nisi sint laici regulares, quibus, dum Subsacristae

officio fungatur, Pontificum privilegiis id concessum est; at purificatoria, et corporalia prima lotione mundare saltem ex semper custodita praxi Subdiaconis reservatur, et Diaconibus. Pixidem Christi corpus, et calicem sacrum Sanguinem continentem nonnisi Diaconis, et Sacerdotibus concessum est attrectare, et a lethali peccato non excusaretur, qui etiam ex devotione tangere auderet.

V. *Non licet res sacras in profanos usus convertere; sic licet contrarium.*

Res sacras in profanos usus convertere non licet. Et certe dum formam suam servant, sine sacrilegio nequeunt in profanos usus adhiberi, ut si quis Calice ad potum utatur. Quum vero per scissionem, per absumptionem censentur consecrationem amisisse, tunc si ita immutari queunt, ut nihil omnino servent de pristina forma, possunt etiam in profanos usus converti; ut calices, et vasa sacra si ita loquantur, ut in argenteam massam transeant. Si vero adhuc naturam suam servent, non debent ad usum profanum adhiberi, sed vel sunt comburenda, vel in alium pariter religiosum usum convertenda. Nihil vero vetat res profanas in pios, et sacros usus convertere. Nam Sancti primorum saeculorum Pontifices domos, immo et idolorum templa, eliminata omni spurcitia, in Ecclesia Deo dicatas commutarunt. Vestes quoque pretiosae Matronarum in sacram supellectilem transmutantur: per benedictionem enim omnis, si quae foret, tollitur immundities. Profana tamen forma ab illis tollenda, et sacra ac sacris ministeriis apta inducenda.

VI. *Ad rectam adjurationem, quaenam conditiones requirantur.*

Ad rectam adjurationem servandae sunt conditiones ad legitimum juramentum requisitae, nimirum ut fiat *in judicio*, *in justitia*, *et veritate:* scilicet, ut sit de re in se bona, et licita, de re gravi et magni momenti, et non sit ad deceptionem proximi. Hinc graviter, vel saltem leviter peccant, qui eas conditiones non servant. Semper enim divino nomini injuriam irrogant. Peccant autem graviter, qui rem illicitam adjurando petunt; quam alter sine lethali peccato praestare nequit, puta actus libidinosos, oscula etc. quod profecto gravem injuriam irrogat divino nomini, quo ad malum abutitur. Veniale autem est pro re levioris momenti proximum adjurare. Qui vero mentiens vel extremam necessitatem, vel grave aliquod sibi malum imminens fingeret, et per adjurationes eleemosynas largiores impetraret, profecto nedum mendacii, et furti, sed etiam irreligiositatis grave delictum perpetraret, quia divino abuteretur nomine ad facinus, et divinam Majestatem contemneret.

CAPUT II.

De oratione, et laude Dei publica, sive de Horis Canonicis.

I. *De Divino officio.*

Divinum Officium, prout in praesenti sumitur, definiri, seu describi potest: *Vocales preces, et sacrae lectiones ab Ecclesia institutae, et ordinatae, ut quotidie, et statutis horis ab ecclesiasticis, viris et sanctimonialibus foeminis recitentur.* Dicuntur *vocales preces*, ut ab oratione

mentali secernantur, quae sine exteriori verborum prolatione perficitur: additur *ab Ecclesia institutae*, ut innoatur Ecclesiasticum praeceptum distinctum a divino, et naturali praecepto orandi Deum: postrema denique verba et personas et tempus designent ad hasce preces persolvendas designata. Septem sunt horae canonicae, nimirum Matutinum etiam Laudes complectens, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperae, et Completorium. Hae nedum recitari queunt, sed laudabile est etiam cantu in Ecclesia eas modulari, ut observat S. Thom. 2. 2. q. 91. art. 2. Modo, consuetudine in Ecclesia approbata, licitum est Organorum sonum in divinis officiis adhibere; quo tamen, ut optime observat Cajetanus in Sommula, verbo *Organum*, duntaxat sobrie utendum est, et quantum satis esse potest ad devotionem in populo excitandam, et promovendam. Nunc de ceteris tum ad publicam, tum ad privatam officii recitationem; necnon de caussis a recitatione excusantibus, ac de fructuum restitutione ob ejusdem omissionem distinctis paragraphis ad confusionem vitandam dicturi sumus.

§. I.

Quinam publice horas canonicas recitare teneantur, quo loco, et tempore, et ordine hoc debeant munus implere.

11. *Onus Divinum persolvendi officium, quibus incumbit.*

Onus divinum persolvendi Officium ex triplici nomine oritur, nimirum vel ratione suscepti Ordinis, vel Beneficii, vel denique Religiosi status assumpti. Verum non omnes hisce etiam de caussis ad publicam recitationem adstringuntur, nec hoc munus omnibus Ecclesiasticis, sed aliquibus tantum, demandatum ex praecepto esse nullus est, qui ambigat. Quinam autem sint, qui ad publicam divinorum Officiorum celebrationem teneantur, declarant Ecclesiae leges: nam *Cap. Dolentes* de celebr. Miss. et Clement. 1. pariter de celebr. Miss. indicitur omnibus Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, et Regularibus Officii in communi recitatio. Ita quidem juris rigore spectato; verum ex consuetudine, quae praecepti temperavit rigorem, nonnullae sunt Collegiatae, ac Parochiales Ecclesiae, quae vel solis diebus Dominicis, et Festis ad hoc pensum persolvendum adstringuntur, et nonnullae etiam, quae liberae ab hoc onere omnino reputantur.

Regulares omnes etiam Moniales ad publicam in Choro officii recitationem tenentur 1. ratione status regularis, qui praecipue est invectus in Ecclesia ad orandum tum pro se, tum pro populo; publica autem recitatio et populi promovet devotionem, et majorem inducit recitantium profectum, et utilitatem. 2. Ex praescripto Regulae, quae cuique Ordini hanc publicam jubet recitationem. 3. denique ex antiquissima, et universali invecta consuetudine.

Num vero praeceptum hoc publicae recitationis afficiat totam Communitatem, an etiam singulos Religiosos, disputant Theologi. Sunt, qui hoc onus ad totam Communitatem ita spectare arbitrantur, ut singulos quidem afficiat in communi, non vero singulos in particulari, et solum ratione muneris specialius Praelatos urgeat, qui lethaliter peccare censentur, si ipsius desidia etiam unius diei officium

in choro non persolvatur; et si Praelatus suo muneri desit, censent, tunc ad singulos pertinere occurrere huic malo, et operam sedulo navare, ne Chori frequentatio omittatur. Verum non ita singulos laudatum praeceptum afficire putant Religiosos, ut sub mortali Chorum teneantur frequentare, nisi forte in Regula id expresse habeatur. Ita cum pluribus Concina Dissert. 3. de Horis Can. Tom. 2. p. 378. Verum probabilior mihi videtur illorum opinio, qui censent etiam singulos Religiosos ita hoc praecepto urgeri, ut sine rationabili caussa, justaque dispensatione notabiliter a Choro absint, lethaliter peccent: quippe qui non solum ex vi suarum Constitutionum ad Chori frequentiam tenentur, sed ex vi sui status ab unoquoque assumpti, qui status est Religiosi Choro addicti, unde Choristarum nomine designantur ad distinctionem laicorum, qui vere sunt Religiosi, et tenentur ad observantiam omnium excepto Choro, et divino Officio.

Ad publicam officii recitationem tenentur Canonici omnes, et Beneficiarii alicujus Ecclesiae sive Cathedralis, sive Collegiatae, et hoc quidem tum ex lege Ecclesiae, tum ex justitia, quum fructus percipiant, et redditus ex bonis Ecclesiae, ut divinis vacent officiis. Ita plura Concilia, et praesertim Trid. Cap. 12. de Reformat.

III. *De loco et tempore, divinum officium persolvendi.*

Locus, ubi persolvenda sunt publica officia, est Ecclesia, vel ea pars Ecclesiae, quae Chorus dicitur, vel delecta est ad divinum officium recitandum, ex qua populus si adsit, vel adesse velit, possit audire, et communibus precibus se adjungere. Tempus autem Horas Canonicas publice recitandi illud idem esse deberet, quod per ipsas designatur horas. Verum hac in re observanda sunt ecclesiastica statuta, et legitimae inductae consuetudines, et apud Regulares Constitutiones, et Instituta Capitulorum Generalium, vel Provincialium, quae quidem diversa esse queunt legitimis de caussis. Illud tamen ferme commune est, ut Matutinae preces vel sero, vel summo mane recitentur: Horae vero ante meridiem. Post meridiem autem et sero Vesperae, et Completorium, excepta Quadragesima, in qua Vesperae ante prandium recitantur in Choro. Ab ista consuetudine recedere vel plures uniendo horas, vel tempus notabiliter praeveniendo, vel protrahendo culpa non caret, et praesertim respectu Praelatorum Regularium, quorum conscientia praecipue oneratur, ut juxta Regulam divinum celebretur Officium. Mos est etiam Laudes a Matutinis non disjungendi, quamvis licite fieri possit haec disjunctio, ut dicemus, quum de privata recitatione sermo erit.

IV. *De Ritu et Ordine persolvendi officium.*

Ad modum publicae celebrationis Officii pertinet ritus ejusdem. Porro pro certo habetur apud omnes tum Canonistas, tum Morales Theologos, Clericos omnes sive saeculares, sive Regulares teneri in Choro divinum Officium juxta ritum, et morem suae Ecclesiae, vel sui Ordinis, et Instituti celebrare, adeout peccarent, nec suo muneri satisfacerent, si alterius vel Ecclesiae, vel Instituti ritum servare vellent, licet longiores preces eligerent. Sic peccaret Clericus saecularis, si Monachorum Breviarium recitaret, vel Ord. Praed. Religiosus, si Romano Breviario uteretur.

Ad ordinem spectat etiam series Horarum, quae ordinate sibi invicem succedere debent, prout statuitur ab Ecclesia, nec Horae praeferendae Matutinis, nec Vesperae, vel Completorium Horis, et pariter quod aliquae, juxta temporis diversitatem, recitentur ante Missam Choralem, aliae post ipsam; et licet hujus ordinis inversio plerumque in privata recitatione nonnisi veniale sit, si tamen in Choro fieret et publice cum populi admiratione, et scandalo, proculdubio grave peccatum foret, nisi gravis aliqua caussa etiam populo nota inversionem excusaret.

V. *Integrum officium in Choro est recitandum.*

Integrum officium in Choro est recitandum. Hinc graviter peccarent Praelati, et Superiores, qui aliquam notabilem Officii partem, cujusmodi est omissio unius Horae, in Choro non recitari curarent. Levis vero culpa erit, si aliqua omittatur commemoratio: immo si loco unius psalmi vel homiliae alius sit recitatus psalmus vel homilia, necesse non est, ut in Choro repetantur; hoc enim nihil aliud parit nisi confusionem, et perturbationem: sed recitato officio eo ordine, et tempore, quod congruum bona fide putabatur, praeceptum Chori impletum est. Satis itaque erit, si quilibet privatus errorem penes se emendet.

VI. *Quomodo officium in choro recitandum.*

Officium in Choro recitantes ita clare et distincte versiculos recitare debent, ut ab alia Chori parte possint audiri, quod quidem est intelligendum de tota unius Chori parte collective, non de singulis distributive. Satis est itaque, ut quilibet ex sui parte clare, et distincte recitet psalmos, versiculos, hymnos, et omnes collective tam alte, et clare pronuncient, ut ab aliis audiantur. At si adeo vel praecipitanter, vel submisse una pars Chori pronunciet, ut ab alia audiri non possit, neutra munus suum integre adimplet, quum dimidiam partem Officii nec recitet, nec audiat; sicut nec ille satisfaceret, qui ad aliorum recitationem non attenderet, sed mente vagaretur: dimidiam enim tantum Officii partem persolveret. Nec pariter satisfaciunt, qui pulsandis Organis incumbunt, vel libros parant, et cantanda inquirunt, nisi ea, quae vel non audierunt, vel non recitarunt, suppleant, vel nisi sint modica, puta unus, vel alter versiculus, brevis aliqua antiphona, tunc enim supplendi nulla erit obligatio, sicut contingit in illis, qui dum vel sternutant, vel nasum purgant, vel tussire coguntur, partem Officii non recitant, supplet enim tunc Chorus.

VII. *Quatuor Religiosi, ad Chorum constituendum requiruntur.*

Saltem quatuor numero Religiosi ad Chorum constituendum requiruntur, ut ex communi doctrina Theologorum constat. Si tamen tantum tres adessent in Conventu, ceteris legitime impeditis, infirmis, vel absentibus, non per hoc ab onere Chori essent dispensati, sed tres illi interesse Choro deberent, et eo, quo possunt, modo divinas laudes persolvere. Num autem Novitii nondum professi Chori praeceptum implere valeant, Professis absentibus, dubia res est; et certe qui negant fortioribus meo judicio innituntur rationibus, nimirum praeceptum Chori eos afficit, et illi implere tenentur, qui illud sponte subierunt per religiosam professionem: porro hujusmodi non sunt Novitii: non ergo apti videntur ad hoc praeceptum, quod illos non

urget, implendum. Praeterea nondum censentur corpori Communitatis inserti, discedere enim possunt, et expelli: non igitur implent praeceptum, quod Communitati certe est impositum, et communitatem adstringit.

Consectaria.

I. *Decretum Clementis VIII., circa dispensationes a Choro.*

Superiores in dispensandis a Choro Religiosis prae oculis habeant Decretum Clementis VIII. ab Urbano VIII. confirmati sic statuentes: *Nullus omnino praetextu cujusvis privilegii, vel Superioratus, vel Generalatus a servitio Chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, et Praedicatoribus Superiores iis tantum diebus, quibus eos legere, aut concionare contigerit, dispensare possint. Id quoque praestare valet cum aegrotis, et studiorum caussa legitime impeditis. In eos vero, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari poenitentia Superiores animadvertant ad praescriptum Regulae, et Constitutionum, alimenti etiam, si opus fuerit, subtractione.* Porro quamvis dicatur; Lectores, et Praedicatores solum esse dispensandos in diebus, quibus vel legere, vel concionari debent, non sequitur, quod aliis diebus non possint dispensari, quum comprehendantur in illis, qui studiorum caussa dispensari debent: oportet enim, ut et Lectores, et Praedicatores studio incumbant in parandis tum lectionibus, tum concionibus habendis.

II. *De recitatione officii, et residentia in clericis Beneficiariis.*

Clericus Beneficiarius alicujus Ecclesiae servitio mancipatus tenetur recitare Officium Dioecesis, in qua Beneficium obtinet, nec Romanum praeeligere potest. Ita communiter Canonistae, et Theologi omnes. Et idem dicendum de Regulari, qui proprium sui Ordinis Officium recitare tenetur. Qui vero duo obtinet beneficia in duabus Ecclesiis diversi Breviarii ritu utentibus, recitare debet Officium illius Ecclesiae, cui per se inservit, privatim vero usurpare debet ritum illius Ecclesiae, ubi majorem obtinet dignitatem, vel dignioris Ecclesiae, vel si omnia sint paria quem sibi jubet eligere poterit. Ita S. Thom. Quodlib. 1. art. 13. Omnes autem Beneficiarii, qui Officium in Choro recitare tenentur, debent in loco residere, licet tenues admodum reditus habeant: residentia enim a jure Canonico praecipitur tamquam absolute ad proprium munus psallendi in Choro necessaria. Nec a residentia, et a Chori praesentia redituum tenuitate excusantur, ut optime docet Fagnanus in Cap. *Conquerentes*, Ext. de Clericis non residentibus. Ab hac residentia et praesentia Chori dispensantur Canonici inservientes Episcopo, ut Episcopo; quae dispensatio conceditur ab Alex. III. cap. 7. ext. de Clericis non residentibus. Honorius III. horum numerum designavit, et duos tantum esse posse constituit: Dispensatur etiam ab eodem Honorio III. cap. final. ext. de Magistris, sed solum per quinquennium, studentes in *Thelogiae* facultate, vel in *Jure Canonico*, itemque Theologiam et Jus Canonicum in Universitate docentes. Hi omnes privilegio gaudent percipiendi fructus; quod tamen intelligendum est et coarctandum ad solos Praebendae fructus, quos *massam grossam* vocant, non vero ad distributiones quotidianas. Nec eo privilegio gaudere censentur nisi ii stu-

dentes, qui vere studio incumbunt, lectiones frequentant, et proficiunt; et nonnisi ii Magistri, qui in Universitatibus Lectiones vere habent; et publice docent, non vero qui honoris gratia Magistri, vel publici Professoris titulo insigniuntur.

III. *Beneficiarii debent officium cum aliis canere; vel recitare, et per se, non per Vicarios choro adesse.*

Beneficiarii non solum Choro interesse debent, sed divinum Officium cum aliis canere, vel recitare tenentur. Nam ita jubent plura Concilia. Tenentur quoque per se Choro adesse, nec per Vicarios, vel substitutos praesentiam suam supplere possunt. Ita declaravit, et statuit Trid. Syn. Sess. 24. cap. 12. de Reform. jubens: *Omnes divina per se, et non per substitutos compellantur obire Officia.* Hinc si quandoque Canonicis, vel Beneficiariis Coadjutores vel Vicarii ab Apostolica Sede conceduntur, *attendant* (inquit Concil. Provinciale Coloniense anni 1536. par. 3. cap. 6.) *quod Canonicis adjutores accedant, horum nimirum vice, qui vel adversa valetudine detenti, vel necessariis negotiis avocati interesse non possunt.*

IV. *Distributiones quotidianae, solum praesentibus conceduntur.*

Distributiones quotidianae nonnisi in Choro praesentibus conceduntur. Ita statuit Conc. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 12. *Distributiones, qui statis horis interfuerint, recipiant; reliqui quavis collusione aut remissione exclusa his careant.* Quamobrem non licet Canonicis praesentibus quotidianas distributiones absentibus donare: haec enim esset vera collusio, quae a Concilio vetatur. Quod autem de quotidianis distributionibus statuimus, extenditur etiam *ad distributiones pro defunctorum anniversariis largiendas.* Hinc si cui a Sede Apostolica Breve, vel Rescriptum concederetur, ut possit Beneficii fructus absens percipere *ac si praesens esset*, non propterea quotidianae censerentur concessae distributiones, ut docuit optime Fagnanus, *Nam* inquit, *harum distributionum ea est natura, ut debeantur his tantum qui vere intersunt officiis divinis, non autem his, qui ficte resident, ac juris interpretatione.* Conceduntur tamen quotidianae distributiones illis, quos, ut statuit in sua Constit. Bonifacius VIII. *infirmitas, seu justa, et corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret.* Quas tamen caussas Juris Canonici Magistris accuratius enucleandas relinquimus.

§. II.

De privata recitatione Officii tum titulo Beneficii, tum Clericalis, tum Religiosi status.

I. *Omnes Professi Regulares, tenentur sub lethali ad recitationem Officii.*

Professi omnes in aliquo Ordine ab Ecclesia approbato licet in sacris non constituti tenentur sub culpa lethali ad Officii recitationem etiam extra Chorum. Hujus oneris ratio non aliunde repetitur, nisi a perpetua consuetudine vim legis habente, et quae religioso statui maxime congruit, quum per statum religiosum, et vi suae professionis divino sint dicati servitio, et ad divinas concinendas laudes destinentur. Nec desunt SS. Pontificum decreta, quae hocce munus Religiosis

impositum agnoscunt, atque confirmant. Adest quoque communis Theologorum consensus. Excipiuntur Ordinum militantium Professi Immunes quoque ab Officii recitatione sunt Novitii ante emissam Professionem, ut communissime docent Theologi, quippe qui nondum sunt plene divino servitio mancipati. Item Religiosi Conversi licet professi, qui non ad Chorum, sed ad corporis labores sunt ordinati. Ex praescripto tamen Constitutionum fere omnium Ordinum ad quasdam definitas preces adstringuntur, non tamen sub lethali ex vi alicujus consuetudinis, sed solum juxta legis praescripta, quae si ad culpam non obligent, ut contingit in Ord. Praed. nec ipsi preces omittentes culpam incurrunt.

II. *Item moniales professae Choro addictae.*

Moniales omnes professae, et Choro addictae divinum Officium etiam privatim sub culpa lethali tenentur recitare. Haec quoque assertio communi gaudet Theologorum, et Canonistarum suffragio; et perpetuo, sicut superius diximus de Regularibus, innititur traditione, et consuetudine vim legis obtinente. Accedit, quod Moniales non minus quam Religiosi sunt ex suo Instituto divino servitio destinatae, et ad laudes, et orationes pro se et pro populo Deo persolvendas mancipatae. Regulae omnes onus hoc Monialibus imponunt, atque praecipiunt. Excipiendae tamen Novitiae et Conversae, ut de Regularibus diximus.

III. *Item omnes Beneficiarii.*

Obtinentes Beneficium aliquod sive sine cura, sive curatum, sive etiam in Commendam, vel etiam manuale, et ad nutum revocabile, cujus fructibus potiantur, tenentur sub mortali ad horas Canonicas persolvendas. Ita et in pluribus Conciliis, et a pluribus Romanis Pontificibus statutum est, unde Canonicum axioma factum est: *Beneficium datur pro Officio.* Quare supervacaneum puto paginas citationibus, et textibus in re penes omnes certa onerare. Quod autem nomine Beneficii intelligatur etiam Commenda, et manuale Beneficium ad nutum revocabile ex eo patet, quia ex illis Ecclesiasticis bonis fructus percipiunt, qui pro Officio concessi censentur.

IV. *Item omnes Clerici in Sacris constituti.*

Omnes Clerici sive saeculares, sive regulares, sive beneficium obtineant, sive careant, si in Sacris sint constituti, et Subdiaconatus Ordine insigniti horas canonicas sub lethali recitare tenentur, sive ordinati sint titulo Patrimonii, sive servitutis alicujus Ecclesiae. Ita modo Theologi omnes. Solum discrepant in statuendo jure; et basi hujus oneris, atque praecepti. Plerique Presbyteros adstringi dicunt Jure Canonico ex cap. *Presbyter*, distinct. 91. et cap. 1. de celebr. Miss. Diaconos vero et Subdiaconos vi et jure generalis et perennis consuetudinis in pluribus tum Generalibus, tum Provincialibus Conciliis agnitae, et confirmatae, et a S. Thom. agnoscitur hoc praeceptum Clericis impositum quodlib. 6. q. 3. a. 2. scribente: *Clericus ex ipso quod est Clericus, et praecipue in sacris Ordinibus constitutus tenetur dicere Horas Canonicas.*

C o n s e c t a r i a.

I. *Regularis non liberatur ab onere Officii, nisi damnatus sit ad triremes.*

I. Regularis professus Choro addictus si vel dispensationem habeat manendi perpetuo extra claustra, vel ipse aufugiat, onere persolvendi horas canonicas non liberatur; quemadmodum nec liberantur Regulares ejecti a claustro, licet per ipsos non stet ad Monasterium regredi; a quo tamen onere liberi censentur Regulares ad Triremes damnati. Illi enim manent adhuc in statu Ecclesiastico, et regulari, nec sunt ab onere professionis liberati, ob quam ad eas regulas, et regularia munia obligantur, quae servare per se possunt, cujusmodi sunt delatio habitus regularis, et divini Officii persolutio. Isti vero sunt in adeo miserae vitae statu constituti, qui vix ac ne vix quidem Breviarii recitationem permittit, cui est etiam plerumque adjuncta Breviarii carentia, et praesumi etiam potest huiusmodi Religiosos tacite esse a Pontifice dispensatos ab eo praestandi munere, quod in religiosi status dedecus, et opprobrium redundaret.

II. *Quinam teneantur recitare quoque Officium parvum B. Virginis, vel alias preces.*

Regulares omnes, qui ex praescripto Breviarii Ordinis sui, vel ex inveterata consuetudine praeter horas canonicas etiam Officium parvum B. Virginis. Psalmos Poenitentiales, Officium Defunctorum vel quotidie, vel certis statis diebus recitare tenentur, huic oneri, etiam quum privatim recitant Breviarium, sub lethali subjiciuntur. Ita expressa Fagnanus in 3. Decretal. par. 2. pag. 190. qui late probat hujusmodi officia penes illos partem constituere divini Officii. Hinc in Ord. Praedicatorum Professi Choro addicti tenentur Officium parvum B. Virginis, et Psalmos Graduales certis statutis diebus, necnon Officium Defunctorum semel in Hebdomada etiam privatim recitare sub lethali peccato: idque definitum est in Comitiis Generalibus sub Magistro Antonino Cloche celebratis, ubi declaratur, Religiosos Professos ad praefatorum Officiorum recitationem statis diebus ex praecepto teneri.

III. *Ad Officium tenentur Beneficiarii, licet nullos percipiant fructus.*

Ad horarum canonicarum pensum tenentur Beneficiarii. licet nullos percipiant fructus, vel quia ipsi in culpa sunt, vel quia absunt ab Ecclesia ob suum commodum, et utilitatem, vel quia fructus reservati sunt per aliquod tempus Ecclesiae, vel in pia opera sive pauperum subsidium. Item qui vi, vel fraude a fructuum perceptione arcentur, vel eis spoliantur ad tempus, non sunt a recitatione canonici Officii soluti. Ratio est, quia hi omnes et titulum et possessionem et jus et spem habent percipiendi fructus, quae omnia satis sunt, ut inducant onus officii persolvendi. Quod si fructuum privatio perpetua sit, nec Beneficiarii culpa inducta fuerit, et nulla adsit spes eos vel in totum, vel in partem lucrandi a penso Officii omnes fere Theologi Beneficiarium liberant, et quidem merito, praesertim si beneficium adierit cum spe recipiendi fructus. At si probe noverit nullis unquam percipiendos fructus, et tamen acceptaverit beneficium, dicerem ei cum P. Concina, *vel dimitte Beneficium, vel recita Officium.*

IV. *Qui plura habet beneficia, unica Officii recitatione implet munus suum.*

Qui ob plura, quae obtinet beneficia ad Canonicum Officium persolvendum tenetur, unica recitatione munus suum implet; et si omittat, non plura, sed unicum duntaxat peccatum committit. Primam partem clare docet S. Th. quod l. 1. art. 13. et cum eo omnes Theologi conveniunt. Altera vero pars ex ea doctrina sponte sequitur: si enim ad unicam recitationem adstringitur, ejus omissione nonnisi unum peccatum perpetrat. Quod si duplici titulo teneatur, puta Beneficii, et Ordinis sacri, putarem omissionem illam vel duplex inferre peccatum, vel crimen duplici coinquinatum malitia, nimirum et contra justitiam ratione beneficii, et contra Religionem ratione status clericalis. Quod tamen non est extendendum ad illum, qui ex Professione Religiosa, et ex Ordine Sacro tenetur, quia hic unum tantum committit peccatum contra unam, et eamdem virtutem Religionis.

V. *Ad nullas preces tenentur, simplices clerici in Minoribus constituti, si nullum habent beneficium.*

Clerici in Minoribus constituti beneficium non obtinentes ad nullas preces tenentur: nullum enim habetur jus, nullum praeceptum, nulla consuetudo, quae Clericos ad aliquas orationes obliget, licet sint et divino cultui mancipati, et fortasse aliquas percipiant stipes ex oblatis a populo, vel ex funeribus, nisi forte in aliqua Ecclesia sint redditus designati pro sustentatione Clericorum cum onere recitandi vel vesperas Defunctorum, vel Psalmos Poenitentiales, vel Officium Marianum; tunc enim tenentur ex contractu, et justitia. Si vero pensionem obtineant titulo clericali ad Officium parvum B. Virginis quotidie recitandum adstringuntur ex Constit. *S.* Pii V. *Ex proximo* ubique recepta. Coadjutores vero Beneficiorum licet congruam aliquam Beneficii portionem obtineant, et sedem habeant in choro, ac vocem in Capitulo, necnon spem futurae successionis, non tenentur divinum Officium persolvere. Quia vere Beneficiari non sunt, sed Beneficium permanet apud Coadjutum, nec ex unico Beneficio potest duplex onus consurgere in Proprietario, et in Coadjutore. Solum si Coadjutor aliquos percipiat fructus per modum pensionis, ad Officium parvum B. Virginis recitandum tenebitur. Si vero Parocho infirmo, vel absenti assignetur Coadjutor, qui vices ejus in omnibus gerat, assignata Beneficii parte, sicut alia Parochi munia debebit implere, ita et ad Officium recitandum tenebitur, ut communiter docent Theologi.

§. III.

De modo, ritu, ordine, tempore recitandi privatim Horas Chanonicas.

I. *Divinum officium attente, et devote recitandum.*

Qui divinum Officium recitare tenentur, ut praeceptum impleant, debent illud attente, ac devote recitare. Id manifeste patet ex ipsa orationis, et laudis Dei natura, quia sine aliqua mentis attentione ad Deum neque essentia, neque honestas orationis consistit; definitur enim oratio, *Petitio decentium a Deo, et elevatio mentis in ipsum.*

Porro quum petitio sit actus mentis, repugnat, ut sine attentione fiat; multo minus elevatur in Deum mens, quando ab eo per vanas aberrat, cogitationes. Quare D. Paulus ad Cor. 14 ajebat: *Si orem lingua* (idest si hanc solam adhibeam), *mens mea sine fructu est.* Et hunc attentionis defectum reprehendit in Judaeis Christus verbis ex Isaia desumptis: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Consentiunt Patres omnes, qui orationem sine attentione aperte reprobant, et damnant. Idem docet S. Th. 2. 2. q. 83. art. 13.

II. *Triplex attentio explicatur.*

Quodnam autem requiratur attentionis genus idem Angelicus eodem loco docet scribens: » Triplex attentio orationi vocali potest adhi- » beri: una quidem, qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret; » secunda, qua attenditur ad sensum verborum, tertia, qua atten- » ditur ad finem orationis, scilicet ad Deum, et ad rem, pro qua » oratur; quae quidem est maxime necessaria. Et hanc etiam possunt » habere idiotae ». Ex qua doctrina S. Th. sequitur contra Cajetanum, aliosque, deesse non debere orationi vocali attentionem ad verba, quantum saltem necessaria esse potest, ut quis verba, quibus orat, congrue, et humano modo proferat. Quare audiendi mea sententia non sunt Auctores illi, qui superficialis attentionis necessitatem excludunt a recitatione Breviarii, quoties perfectior adfuerit attentio. Hanc tamen licet necessariam, minime tamen sufficientem credimus ad recitationem Officii. Quoniam attentio superficialis ad verba satis non est, ut prolatio verborum religiose fiat ex affectu orandi Deum: hic enim affectus necessario importat alteram virtualem alicujus objecti distincti considerationem, seu recordationem. Eo vel magis, quoniam hujusmodi attentio superficialis consistere potest cum voluntaria cogitatione de rebus omnino alienis a fine orationis, quibus tamen debita opera vacare posse eum, qui orat, nemo ausit affirmare.

III. *Attentio ad sensum litteralem, vel mysticum utilis, sed non necessaria.*

Verum attentio ad sensum litteralem verborum, vel ad mysticum, et spiritualem, est quidem in recitatione divini Officii utilis, atque aestimabilis, non tamen necessaria, ut patet ex praxi Ecclesiae, quae permittit ab idiotis latinas formulas adhiberi, quarum specificam significationem ignorant; immo a personis ad divinum Officium persolvendum adstrictis, ut a Monialibus, et adhuc rudibus Beneficiatis eas exigit, et ab utrisque rite orari non ambigit, esto ei sensus tum litteralis, tum mysticus sacrorum verborum ignotus sit. Itaque maxime necessaria, praeter superficialem, attentio ea est, quam D. Th. vocat *ad finem orationis*, et quam habere posse et idiotas dicit, qua scilicet mens affectuose cogitat de Deo, a quo postulat, et de re ipsa, quam postulat.

IV. *Triplex attentionis gradus declaratur.*

Triplex quoque hujus ad Deum, et ad divina attentionis a Theologis veluti gradus distinguitur, nimirum attentio habitualis, actualis, quae melius dicitur formalis, et virtualis. Attentio mere habitualis est quaedam animi praeparatio ad attendendum ex praecedentium actuum

frequentia comparata, quae et in dormientibus esse potest. Formalis est actualis mentis cogitatio et advertentia. Virtualis est propositum attendendi, quo quis semel ad orandum se applicuit, et vi cujus nunquam retractati verbalem orationem protrahit, esto deinde naturali mentis infirmitate in alienas dilabatur cogitationes, quas toties abjicere paratus est, quoties suam cognoverit evagationem. Porro certum est, attentionem habitualem, quum nullum deliberatum actum importet, ineptam esse ad pietatem, honestatem, et utilitatem orationi vocali conciliandam; proinde ad praeceptum implendum in Officii recitatione nequaquam sufficere. Formalis attentio ad perfectionem quidem orationis exoptabilis est, immo, si haec sola mente concipiatur, etiam ad ejus essentiam necessaria, quia mentis actus sola mentis attentione exerceri potest; at in oratione vocali, quum externa praevia pronunciatio exorandi affectu inchoata non desinat esse voluntaria et deliberata actio, esto interea cogitatio praeter animi sententiam ad alia objecta diverterit, consequitur et moralitatem, quam initio habuit ea pronunciatio, etiam cessante formali advertentia, propter immotum voluntatis propositum perseverare, proinde et pietatem et honestatem orationis, adeoque sufficere ad satisfaciendum praecepto. Ita omnes Theologi docent praeeunte D. Thom. in 4. dist. 15. art. 2. quaestiunc. 4. Cur autem necessaria non sit formalis attentio, jam de se patet, quia talis attentio, quae nullis mentis evagationibus sit interrupta, est in praesenti vitae statu ut plurimum homini impossibilis, qui saepe experiri in se cogitur illud Psal. 36. *Cor meum dereliquit me.*

V. *Juxta quam ritum, recitandum Officium sit.*

Omnes Clerici tum Saeculares, tum Regulares Officium celebrare tenentur juxta Romanum Ritum, et ad formam Breviarii a S. Pio V. emendati, nisi peculiari gaudeant privilegio. Ita aperte statuit laudatus Pontifex in sua Constitutione. Hinc lethaliter peccaret, qui, hac abjecta forma, aliquod sive Ecclesiae, sive privilegiati Ordinis Breviarium recitaret. Clerici tamen Ecclesiis addicti, sicut et quidam Regulares proprium Officium a Romano distinctum habentes sub lethali tenentur proprium suae Ecclesiae, sive Religionis ritum in horis Canonicis recitandis servare, nec in privata recitatione Romano uti valent Breviario. Rem hanc absolute indubiam facit decisio S. Congregationis Concilii relata a Garzia declarantis, *habentes Breviarium ante ducentos annos institutum non satisfacere recitando, etiam extra Chorum, juxta formam Breviarii Pii V. si hoc in sua Ecclesia non fuerit receptum de consensu Episcopi et Capituli.*

VI. *Integra Horarum recitatio, Clericis indicta est.*

Praefatis Clericis omnibus quotidiana, et integra indicta est horarum Canonicarum celebratio. Patet ex ipsa consuetudine, seu lege, vel praecepto, quo ad Officium recitandum adiguntur Clerici, quae non est de qualicunque recitatione, sed de quotidiana, et integra. Peccant vero lethaliter, et praeceptum non implent, qui voluntarie Officium immutant, et loco feriae de Sancto celebrant, vel vicissim, licet aequalitas servetur. Quandoquidem Ecclesia non solum praecipit horarum canonicarum in communi recitationem, sed in particulari jubet, ut tali vel tali die horae canonicae vel de feria recitentur, vel

de Sancto. Huic doctrinae magnum addit auctoritatis pondus propositio ab Alexandro VII. damnata, quae dicebat: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit praecepto.* Quid de Officium per errorem mutante sentiendum sit, dicemus in Corollariis.

VII. *Ordinem horarum mutare non licet.*

Non licet nec horarum ordinem immutare, nec in ipsis horis canonicis psalmorum, lectionumve seriem invertere. Inversio autem aliquando solum venialis esse potest, si modica sit, ut si quis Breviarium prae manibus non habens et Psalmum secundum primi Nocturni memoriter nesciens recitet primum et tertium donec perveniat ad locum Breviarii, ubi tertio loco secundum recitare possit, vel quid simile, disjunctim tamen, non copulatim, nam semper cavendum, ne pluribus ex istis inversionibus nimiam ordo et ritus Officii perturbetur. Aliquando erit mortalis, si inversio notabilis fuerit, ut si in Matutinis ita ordinem quis invertat, ut prius lectiones perlegat, quam Psalmos recitet, Laudes ante Matutinum dicat; multoque magis si ad Primam lectiones Nocturnorum legeret, ad Tertiam matutinalia responsoria etc. Aliquando demum sine ulla culpa inversio esse potest, puta si quis Breviario careat, nec illud habere possit nisi circa meridiem, poterit Laudes vel ceteras horas ante Matutinum recitare, quum illarum horarum recitandarum tempus sit congruum, et Matutini dilatio sit inculpata, et si quae sint aliae justae caussae.

VIII. *Non satisfacit praecepto, qui horas mentaliter revolvit.*

Quum horae canonicae sint preces vocales, ore recitandae sunt, nec satisfacit praecepto, qui eas mentaliter revolveret. Dum autem horae voce recitantur, ita clare dicendae sunt, ut saltem qui recitat seipsum possit audire. Dixi, possit audire: non impedit enim oralem recitationem, si quis nec seipsum audiat, qui surdus est, vel quia ob strepitum et clamorem impeditur. Si vero cum alio recitet, tali vocis sono sunt recitandae, ut unus alterum audiat. Praeterea ita distincte, ut verba non syncopet, vel pronunciet truncatis syllabis, vel intra fauces murmurando; qui autem cum alio recitat, non ita festinanter oret, ut vix possit audiri, aut finem versiculi ab altero dicti praeveniat.

IX. *Tempus congruum, est in recitatione servandum.*

Tempus horis canonicis congruum est servandum, adeo ut, quoad fieri possit, ad illud accedat, quod ab Ecclesia pro Choro est praefinitum. Quum autem Ecclesiasticum Officium a Vespera ad Vesperam se protendat, hinc ex Ecclesiae consuetudine licet matutini preces pridie recitare, eo tamen circiter tempore, quo sol ad occasum propior est, quam ad meridiem, ut videre est in tabellis ad hoc institutis. Prima, Tertia, Sexta, et Nona ante meridiem sunt recitandae, Vesperae et Completorium post prandium. Totum officium vel mane praevenire, vel sero, et ad noctem protrahere sine culpa veniali vix, ac ne vix quidem fieri potest, et nonnisi ex aliqua urgentissima caussa culpa vacare poterit. Num autem liceat, Missam ante Matutini, et Laudum recitationem celebrare, id statuendum censeo, quod optime docet piissimus Card. Bellarminus lib. 1. de Bonis Oper. in particulari cap. 18. ubi ait: *Quia*

communi sententia, et consuetudo fidelium id habere videtur, ut peccato mortali se obstringere censeatur, qui absque GRAVI necessitate Missam celebrare praesumit matutino Officio non expleto, ut patet ex Antonino par. 3. *tit.* 13. *cap.* 6. §. 4. *Petro Paludano in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 2. *Hostiensi, Gabriele, Sylvestro, Navarro, et aliis pluribus: et quia id expresse praescribitur in Rubricis Missalis Romani in principio, et in tit. de defectibus, sine dubio tutius est hoc sequi, quam propter probabilem aliquam rationem peccandi periculo se exponere.*

X. *In omni loco licet persolvere horarum pensum.*

In omni loco licet divinarum laudum pensum in privata recitatione persolvere. Pietas tamen erga Deum, et proprii implendi muneris sollicitudo postulat ea vitari loca, ubi negotiorum tumultus, vel concurrentium turbarum strepitus a debita attentione animum potest avocare. Omni etiam culpa communiter vacat, praesertim si qua adsit caussa, horas canonicas vel in cubili, vel ambulando, vel sedendo, vel stando persolvere, quum nihil de hoc statutum ab Ecclesia inveniatur pro recitantibus privatim horas canonicas, nisi forte aliquando in aliquibus precibus genuflexio praescribatur, quam ex pigritia negligere culpa venialis erit, nisi justa excuset caussa.

XI. *Quae intentio necessaria sit in Officii recitatione.*

Denique intentio, seu voluntas proprium munus implendi juxta omnes Theologos necessaria est. Verum sufficit illa virtualis, quae in ipsius operis impletione imbibitur. Clericus enim, qui Breviarium in manu sumit, horas persolvit, muneri suo satisfacere se velle aperte indicat. Ideoque necesse foret, ut contraria expressa intentione hanc implicitam, et virtualem excluderet, qua se nolle Breviarium ad hunc finem recitare significaret.

Consectaria.

I. *Actiones ab attentione distraentes.*

Debitam non adhibent attentionem, qui horas recitant occupati actionibus, quae mentem alio quam ad Deum avocant. Hujusmodi sunt de negotiis colloqui, scribere, pingere, et similia, quae peculiarem expostulant attentionem, non autem vestes sumere, manus abluere, quae ita ex usu fiunt, ut nulla etiam adhibita attentione perfici soleant. Hinc etiam Ecclesia quasdam statuit orationes dicendas a Sacerdote dum manus lavat, vel sacras induit vestes. Poterit tamen esse veniale peccatum, si quis ex tempore, et negligentia horas canonicas recitet dum illa peragit, ut citius se hoc onere levet. Qui vero dormitans, et somno vexatus horas recitat, si sentiat se divini partem Officii ea de caussa omittere, tenetur supplere, si vero somno obrepenti obsistat, et attentionem acuat, licet non omnes versiculos attente proferat, excusabitur a culpa si in Choro recitet juxta suae conditionis statum, si vero extra Chorum tenetur ad illud tempus Breviarii recitationem differre, quo, discusso somno, possit attentius debitum pensum persolvere.

II. *Dubitans de recitatione, tenetur recitare.*

Qui merito dubitant, num horas, vel horam aliquam recitaverint, manente dubio tenentur illas recitare, quia in tali dubio periculo

non implendi munus suum se exponunt; et in dubiis tutior pars est eligenda. Scrupulosis vero, qui frequenti timore corripiuntur, num vel antecedentem psalmum dixerint, vel aliquas horas praetermiserint, quum plerumque hoc dubium ex animi imbecillitate oriatur, haec regula est praestituenda, ut nunquam repetant, quae dubitant omisisse, nisi adeo certi de omissione sint, ut queant jurare. Implet vero praeceptum recitationis Officii, qui illud persolvit, dum Missam de praecepto audit, ut fert communior opinio; quia ad eamdem virtutem pertinent, et respiciunt, nec Missae auditio devotam recitationem Breviarii impedit, nec ista attentionem ad Missae Sacrificium tollit.

III. *Omittens partem notabilem Officii, peccat lethaliter.*

Graviter peccat, qui vel unam horam licet brevem omittit, vel unum ex Nocturnis, vel medietatem alicujus horae: non vero qui unum Psalmum brevem, vel Responsorium, vel Antiphonam omitteret. Ratio est; quia etiam medietas horae, v. gr. Sextae pars est notabilis, quod et plures Theologi de tertia horae parte affirmant. Qui totum Officium omittit, unum duntaxat perpetrat peccatum mortale, gravius tamen, quam si unam vel alteram omitteret horam: tenetur tamen in Confessione aperire partes Officii omissas, ut rectum possit peccati judicium Confessarius efformare. Ita S. Antoninus 3. part. tit. 13. cap. 4. Peccarent etiam qui Breviario Romano utuntur si recitare omitterent Litanias Sanctorum in die S. Marci, et in diebus Rogationum, necnon Officium Defunctorum in die Animarum: ad haec enim tenentur sub praecepto graviter obligante, partem enim constituunt Officii divini pro illis diebus.

IV. *Officium unum pro alio recitans ex inadvertentia, non tenetur repetere.*

Qui unum Officium pro alio recitat ex inadvertentia, et ignoranter, probabilius puto sub lethali non teneri ad illius diei Officium repetendum. Quia dum quis bona fide unum pro alio Officium persolvit, licet materialiter praeceptum non impleat, implet tamen formaliter, quod intendit, et putat se implere debito modo; et ego certe gravis peccati insimulare non auderem qui Officium iterare recusaret. Adnotant tamen hujus doctrinae Auctores, teneri emendare aliquo modo errorem si potest, puta recitando lectiones, vel homiliam; et si forte brevius sit Officium, quod persolvit, alio quod erat dicendum, puta si de Sancto celebravit quum esset de Dominica, tenetur tot Psalmos dicere, quot requiruntur ad aequalitatem.

V. *Horarum ordinem invertere, non est lethale.*

Horarum ordinem invertere non est lethale, et quandoque etiam, si justa de caussa fiat, nec veniale. Similiter et integrum Officium vel de mane praevenire, vel sero recitando retardare nonnisi peccatum veniale est, vel justa urgente caussa nullum. Tempus enim recitandi Officium est a media nocte ad aliam mediam noctem; hinc qui intra praefatum tempus Officium recitat, praeceptum quoad substantiam implet. Qui autem boras canonicas recitando magna interruptione secaret puta unum psalmum modo recitando, et post horam alium psalmum deinde longo intervallo antiphonas, Capitula etc. non impleret praeceptum: haec enim non

esset recitatio horarum per modum orationis integrae, et completae; nec a gravi irreverentia excusari posset erga divinam Majestatem, qui hoc pacto preces, quas in praecepto habet, membratim concideret. Brevis tamen interruptio vel solum venialis culpa est, vel etiam nulla, si justa de caussa fiat, puta ad reddendam salutationem, ad brevem audiendam petitionem, ad dandam responsionem, et similia. Sicut nullum est peccatum in privata recitatione Matutinum a Laudibus separare, quia in primoeva institutione hae partes dividebantur, et hanc separationem ipsi hymni ostendunt. In hac tamen separatione, persolutis Nocturnis, et Cantico *Te Deum*, implendum est Officium per Collectam, seu Orationem illius Officii.

VI. *Recitans animo non satisfaciendi, mutata voluntate ad novam recitationem non tenetur.*

Stulte ageret, qui opus praeceptum in recitatione Breviarii impleret, sed animo non satisfaciendi; mutata tamen voluntate ad novam recitationem sub lethali non teneri probabilius dicendum. Quum enim opus praeceptum integre posuerit, et munus impositum impleverit, nihil aliud requiri videtur, nisi ut stultam voluntatem mutet, et velit implere praeceptum. At haec raro contingunt: solum enim id locum haberi potest in Monialibus vel viris scrupulis agitatis, qui sub initium recitationis Officii putantes se debita attentione carere, animo concipiunt voluntatem iterum recitandi, ut animi anxietatem tollant; deinde labore iteratae recitationis perterriti nollent iterum recitare, et novis anguntur scrupulis ob conceptam voluntatem non satisfaciendi. Verum cum his qui non videat mitissime agendum, et ab onere iteratae recitationis eos liberandos?

§. IV.

De causis a recitatione divini Officii excusantibus.

I. *Quaenam impotentia a recitatione Officii excuset.*

Triplici nomine quis legitime ab horarum canonicarum recitatione excusatur, nimirum ex impotentia physica, ex impotentia morali, ex justa, et legitima dispensatione. Titulo physicae impotentiae excusantur graviter aegrotantes, et praesertim qui coecitate, vel linguae impedimento gravantur: qui enim ob infirmitatem loqui non potest, non tenetur mente percurrere horas canonicas, quum praeceptum sit de recitatione vocali; sicut nec alium recitantem audire, quum praeceptum sit de recitatione, non vero de auditione. Nec ad alias preces substituendas loco Officii tenetur, quum praeceptum sit de horarum canonicarum penso solvendo. Surdus non excusatur, quia potest et legere, et recitare horas canonicas. Aegritudo autem tanta esse debet, ut sine notabili detrimento Officium persolvere non possit; quod si levis sit infirmitas vel ab onere omnino non liberat, vel saltem a toto. Hinc qui tertiana, vel quartana febri torquentur, non sunt absolute immunes ab horarum onere, nisi adeo debile reddiderint corpus, et caput infirmum, ut sine gravi incommodo nequeant recitare. Ipso vero die, quo vexatur febri infirmus, num liber sit, et generatim quum dubium oritur de obligatione, prudentum, et praecipue periti Medici judicio dijudicandum.

II. *Oblivio inculpabilis, excusat a recitatione Officii.*

Oblivio inculpabilis excusat a recitatione Officii; qui tamen noverit se obliviosum esse, tenetur signa aliqua sibi conspicua ponere, queis de suo munere admoneatur, vel etiam tempus praevenire; qui tamen ex oblivione aliquam Officii partem omittit, non tenetur sequenti die, quum memoriae occurrit, recitare. Carentia vero Breviarii vel furto sublati, vel deperditi ab omnimoda recitatione non liberat; sed vel quae in Diurno habentur recitare tenetur, vel ea quae memoriter tenet, quum munus suum meliori quo potest modo teneatur implere, sicut et debet quantocius potest de Breviario sibi providere. Nec pariter excusantur ullo modo censura aliqua innodati, quia licet arceantur excommunicati a publica recitatione, non tamen eximuntur a privata, quum nullus lucrum ex propria iniquitate reportare debeat. Nec illi excusantur, qui in Quadragesima etiam quotidianas Conciones habent; nec qui longam aliquam debent subire disputationem pro laurea obtinenda; nec iter habentes. Quoniam hujusmodi opera quum voluntaria sint, assumi quidem possunt, si lubet, at sine Ecclesiastici praecepti injuria.

III. *An excusentur, qui in Confessionibus audiendis diem insumunt.*

Dispensantur quidem ab onere recitandi Breviarii, qui vel ita in Confessionibus excipiendis tempore Jubilaei totum diem insumerent, vel morientibus assistere deberent, ut tempus ipsis recitando Breviario deesset, quia, ut inquit S. Bernardus de praeceptis et dispensation. *Iniquum foret, si statuta pro sola charitate contra charitatem tenerentur.* At animadvertendum, hujusmodi casus raro accidere. Proinde non esse admittendum pro universali regula, licere ob fidelium Confessiones toto etiam die exceptas, vel ob assistentiam diuturnam infirmis praestitam ab Officio recitando abstinare, sed in peculiaribus casibus necessitas, difficultas, labor, defatigatio, aliaque sunt accurate perpendenda, et si forte aliqua occurrat dubitatio, a Superiore vel dispensatio, vel commutatio in breviores preces petenda.

IV. *Qui ab aliqua parte recitationis Officii liberantur, non sunt liberi a tota.*

Qui legitimo titulo ab aliqua Officii parte persolvenda liberantur, non censentur tamen a tota recitatione liberi. Id patet ex prop. 64. ab Innocentio XI. damnata, quae dicebat: *Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Qui solus non potest, Officium persolvere cum socio vero potest, debet cum illo recitare, si commode illum possit adhibere: qui enim socium paratum habet, vel habere facile potest, censetur nec praeceptum implere velle, nec suo muneri satisfacere, si socium non adhibeat. Quod si socium nonnisi persoluto pretio habere possit simplex Clericus, cum hoc onere non teneri putandum est; si vero Beneficiarius sit, non erit excusandus, quum et ipse utilitatem et fructus ex Beneficio lucretur, cujus aliquam partem decerpere potest, ut illud impleat munus, cujus gratia Beneficium obtinet, ut docet Suarez.

V. *Tempus recitationis Officii quandoque praeveniendum.*

Qui certus est de aliquo impedimento ad recitandas horas canonicas superventuro, teoetur illud praevenire Officium recitando, sive voluntarium sit, sive involuotarium. Nam si voluntarium est, puta quia libere iter suscipit, nemo est, qui ambigat teneri, quia idem omnino esset ac Officium nollé recitare. Si vero ooo est voluntarium, puta febris imminens, adhuc tenetur illud praevenire. v. gr. matutinas preces vespere praecedentis diei recitare; quia qui aliquo urgetur praecepto, et aliquo muoere adstringitur, illud tenetur implere eo meliori, quo potest oiodo, alioquiu censetur nolle implere; porro qui praevidens impedimeotum illud non praevenit, noo implet praeceptum meliori quo potest modo. et sic oolle implere cooviocitur.

VI. *Quinam a recitatione Officii valeat dispensare.*

Dispensatio recitandi Officii justa de causa a Summo Pontifice coucedi potest etiam Beneficiariis. Quia horarum Canonicarum persolutio juris est Ecclesiastici, in quo potest Pontifex dispensare. Quod si dispensatio sioe justa caussa coocedatur, nedum illicita diceoda est, sed et iovalida, quia tunc est potius dissipatio quam dispensatio: et suprema potestas S. Pontifici coocessa est ad utilitatem, et bonum Ecclesiae, ooo ad privatum commodum; et praesertim, quod contingit in Beoeficiariis, cum damoo tertii, scilicet Fundatorum, quorum pia voluotas in Beoeficiorum fuodatione frustraretur, et ipsi precum beneficio, et Deus debita laude fraudaotur. Episcopi vero, et Praelati Regulares, licet absolute et io perpetuum, etiam justa de caussa, dispeosare non valeant, quia inferior potestatem ooo habet io lege a Superiore lata, possunt tameu pro tempore et juxta circumstaotias in occurreutibus casibus dispensare, quod et a Sum. Pootificibus concessum praesumitur, et consuetudo jam invecta confirmat.

§. V.

De onere restitutionis fructuum ob omissionem recitationis divini Officii: necnon de distributionibus quotidianis.

I. *Quando urgeat debitum restitutionis fructuum.*

Beneficiarii omnes, sed elapsis a Beoeficii possessione mensibus teoeotur restituere fructus Beneficii, si Officium culpabiliter, non vero si inculpabiliter ob infirmitatem, oblivionem, vel alia justa de caussa omittant. Ita in Lateranensi Coocilio sub Leone X. decretum est: quod confirmavit, et declaravit io sua Const. *Ex proxima* S. Pius V. Restitutio autem ex laud. Decretis hoc pacto facienda est. Si Matutinum cuoi Laudibus omittatur, dimidia fructuum pars est restitueoda; si ceterae omnes horae, alia dimidia; si horarum aliqua; pro earum siogulis sexta pars: et qui plura obtioet Beneficia, omnium Beneficiorum fructus, eadem servata et proportione, et partitione, restituere tenetur.

II. *An urgeat primis sex mensibus.*

Num vero etiam primis sex mensibus teneatur restituere, dissident Theologi, et Canonistae. Opinioaem affirmantem et probabiliorem et tutiorem ego censeo, ab eaque in praxi non recedendum. Nam

jus naturale postulat, ut quod pro aliquo opere datum est, retineri non possit, nisi opere praestito: porro Beneficium pro Officio datur: ergo jus naturale postulat, ut vel Officium persolvatur, vel fructus et redditus pro illo dati non percipiantur. Nec profecto Sum. Pontifices naturali juri suis Constitutionibus derogare voluisse ullo modo praesumendum est. In hac tamen restitutione facienda probabiliorem existimo Suaresii opinionem, posse Beneficiarium omissionem supplere aliis piis, et spiritualibus operibus, videlicet vel his eodem die Officium recitando, vel psalmis et praecibus omissionem Officii aequiparantibus; quia quum Concilium et S. Pius nihil circa priores sex menses statuerint quoad restitutionem, sed quod juris est naturalis servaverint, huic juri repugnare non videtur, si quis quod omisit eo modo suppleat: quod quidem locum habere non potest in culpabili omissione horarum canonicarum elapsis prioribus sex mensibus, quum S. Pius aperte declaraverit, *non facere fructus suos, si non recitent suo tempore.*

III. *Restitutio est facienda ante sententiam Judicis.*

Restitutio ob horas omissas facienda est in foro conscientiae etiam ante omnem Judicis sententiam. Ita aperte definivit Alex. VII. dum hanc Thesim proscripsit n. 20. *Restitutio a Pio V. impositam Beneficiariis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, quum sit poena.* Ad hanc autem restitutionem non prosunt eleemosynae a Beneficiario erogatae ante recitationis omissionem. Nam asserentem propositionem n. 37. damnavit idem Pontifex. Num vero debitam impleat restitutionem Beneficiarius per eleemosynas erogatas post omissionem horarum, licet non mente et intentione satisfaciendi, quia ad hoc non advertit; affirmandum censeo, quia merito praesumi potest in Beneficiario virtualis intentio prius implendi in eleemosynis faciendis praeceptum de restitutione, si forte urgeat, quam liberaliter erogandi; nisi ipse sciens, et onus advertens expresse velit liberaliter erogare, animo satisfaciendi ex justitia aliis eleemosynis.

IV. *Ad restitutionem tenentur qui sine attentione recitant, et qui in choro alta voce non canunt.*

Non faciunt fructus suos, adeoque ad restitutionem tenentur tum qui Officium sine debita attentione recitant, tum qui in choro alta voce cum aliis Beneficiariis Officium non canunt. Praeceptum enim Ecclesiae est de oratione, quae Deo cultum offerat, non quae Deo injuriam irroget: porro recitatio sine debita animi attentione injuriosa Deo est, non religiosa, non pia; quia ergo hoc pacto Officium persolvit, praeceptum non implet, et idem est, ac si omitteret: nam physica quidem, et materialis operis substantia posita est, quae esse potest et psittacis communis, non forma, spiritus, et anima orationis. Ita docent Suarez, Sylvius, Navarrus, Sotus, aliique complures. In confirmationem vero alterius partis omitto et plurium Theologorum auctoritates, et Conciliorum statuta: nam rem extra omnem dubitationis aleam posuit sapientissimus Pontifex Benedictus XIV. dum in Constitutione, *Quum super* data 19. Augusti anni 1744. et in Brevi ad Em. Card. Delphinum Patriarcham Aquilejensem dato die 14. Januarii 1748. definivit 1. juxta Concilii Trid. decreta Dignitatibus

et Canonicis, qui choro interesse debent, munus impositum in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare. 2. Minime sibi compertum, quo peculiari titulo suffulti sibi persuasum habeant Canonici, se muneri suo satisfacere per solam praesentiam in choro absque cantu. 3. Abusum esse morem hunc et corruptelam Ecclesiae disciplinae contrariam. 4. Denique choro interessentes; et minime psallentes nullo pacto facere fructus suos, et proinde esse restitutioni obnoxios.

V. *Quibus est facienda restitutio.*

Fructus injuste percepti sunt vel Fabricae Beneficii, vel pauperibus erogandi. Ita statuit Concilium Lateranense, et confirmavit in sua Bulla S. Pius V. Nomine Fabricae intelligitur non solum Ecclesia, cui Beneficiarius inservit, sed etiam quidquid ad temporale Beneficii pertinent; hinc ex illis fructibus male perceptis potest domom Beneficii instaurare, agros excolere, bona ad meliorem statum adducere, et etiam augere: nam haec omnia veniunt nomine Fabricae Beneficii, ut communiter sentiunt Theologi. Nomine vero pauperum universaliter omnes pauperes intelliguntur. Menti tamen Fundatorum, necnon Ecclesiae conformius erit, si pauperes loci extraneis praeferantur. Universim loquendo debitae restitutioni non satisfacit, qui eleemosynas faciendas sibi applicat titulo suae paupertatis. Non denego tamen aliquo in casu id posse fieri; at tunc judicium requiritur periti Confessarii, vel justi probique viri, cui explorata sit, et comperta Beneficiarii vera paupertas, et angustia: nam nemo potest esse judex in propria caussa, et periculosum est judicium de sua paupertate Beneficiario relinquere.

VI. *Pensionarii Officium omittentes, tenentur restituere.*

Pensionarii quoque Officium omittentes perceptas pensiones pro rata omissionis restituere tenentur. Ita statuit S. Pius V. *Quicunque pensiones .... ut Clericus percipit, eum modo praedicto ad dicendum Officium parvum B. M. Virginis decernimus obligatum, et pensionum .... amissioni obnoxium.* Hic vero, si omittat Officium recitare, potest tamen adhuc a Beneficiario pensionem repetere, non sibi quidem retinendam, sed juxta statuta distribuendam, et Beneficiarius solvere debet communiter loquendo, quum ipse debitoris partes agat, non judicis. Quod si certo noverit Pensionarium consuevisse omittere Officium, et fructus perceptos non restituisse, poterit fructus pensionis denegare, et apud se veluti depositus retinere, donec per legitimum Superiorem cogatur ad id, quod est sui muneris, implendum.

VII. *Quid sint distributiones quotidianae.*

Distributiones quotidianae sunt emolumenta quaedam, quae singulis diebus, vel etiam singulis horis canonicis distribuuntur in pecunia, in victu et potu, vel alia specie his tantum, qui personaliter praesentes sunt Officiis divinis. Antiquus est mos elargiendi istas distributiones; eumque approbavit, confirmavit, observandumque decrevit S. Synodus Trid. sess. 21. cap. 1. de Reform. sic statuens: *Statuit S. Synodus in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis .... tertiam partem fructuum, et quarumcumque proventuum, et obventionum tam Dignitatum quam Canonicatuum, personatuum, por-*

tionum, et officiorum separari debere, et in distributiones quotidianas converti. Et sess. 24. cap. 12. statuit: *Distributiones, qui statutis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant.* Et juxta Bonifacii VIII. decretum ab ea Synodo in hac sess. confirmatum: *Quid de distributionibus ipsis aliquid absens acceperit . . . rerum sic receptarum dominium non acquirat, nec faciat fructus suos, immo ad omnium restitutionem . . . . teneatur.*

VIII. *Caussae ob quas possunt absentes distributiones lucrare.*

Nihilo tamen minus jure communi tres sunt caussae, quibus possunt etiam absentes distributiones lucrari, ut definivit idem Bonifacius VIII. cap. unico *de clericis non residentibus*, videlicet 1. infirmitas: 2. justa corporalis necessitas: 3. Ecclesiae utilitas: *Exceptis illis, quos infirmitas, seu justa corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret; justa tamen Ecclesiae cujuslibet ordinationem rationabilem jam factam, seu faciendam.* Infirmitatis nomine intelligitur non solum quae Clericum in vitae discrimine constituit, sed quae illum vel decumbentem, vel domi detinet, et nonnisi cum gravi incommodo ad Ecclesiam vel Chorum valet accedere; immo et convalescentes, et qui ad vires reficiendas brevi aliquo tempore rus concedunt post longam aegritudinem. Justa vero corporalis necessitas illa censetur, quum quis domi detinetur ob medicinam sumendam, vel sanguinis minutionem ex consilio Medici, sicut qui ad thermales aquas, vel ad balnea recuperandae salutis caussa accedit: similiter si ex accessu vel assistentia ad chorum immineat illi grave damnum et periculum vitae, honoris, vel bonorum, vel injuste in carcere detineatur. Utilitas evidens Ecclesiae illa reputatur, qua servitium aliquod magni momenti praestat Beneficiarius Ecclesiae, vel Capitulo, cujus est membrum. Duo tamen sunt necessario notanda, 1. quod pro propria Ecclesia laboret et operetur, non pro aliena; nisi forte ageretur de Ecclesia universali, puta si mitteretur tamquam Theologus, vel Canonista, vel Procurator ad Concilium Generale, vel Provinciale. 2. Dummodo Ecclesiae vel Capituli negotia procurans resideat in loco, licet absit a choro: si enim alio pergere debeat, etiam ad Sedem Apostolicam, fructus quidem percipiet, at distributiones non lucrabitur. Excipiendum tamen, si a proprio Episcopo ad Apostolorum limina ejus nomine visitanda mittatur: quia et id concessum fuit a Sixto V. Const. 17. et pluribus Congregationis Concilii Decretis a Barbosa, et Garzia relatis confirmatum. Hisce tribus titulis in jure designatis addunt etiam Theologi et Canonistae quartum pietatis, et charitatis, si Praelatus vel Superior concederet Beneficiario accedere vel detineri apud Patrem, vel alium proximum consanguineum graviter aegrotantem.

IX. *Quomodo distribuendae distributiones, quas amittunt absentes.*

Distributiones quotidianae, quas amittunt absentes, diverso modo sunt distribuendae: nam communes omnibus sunt inter praesentes dividendae, ita statuente Conc. Trid. sess. 21. cap. 3. Distributiones vero debitae extraordinarie, competentes alicui ob dignitatem, quam obtinet, non praesentibus acquiruntur, sed vel fabricae Ecclesiae, vel alteri pio loco ad beneplacitum Episcopi sunt concedendae, ut decernit idem Concilium sess. 22. cap. 3. Quod pariter intelligendum

communiter docent Canonistae, et Theologi de distributionibus amissis a Poenitentiariis; seu Praebendatis ob aliquod crimen, excommunicationem, vel interdictum, quae pariter arbitrio Episcopi sunt applicandae.

CAPUT III.

De Ecclesiasticis Beneficiis.

§. I.

De definitione et divisione Beneficiorum.

I. *Definitio beneficii, ejusque explicatio.*

Beneficium Ecclesiasticum cum Canonistae tum Theologi sic communiter definiunt: *jus perpetuum Ecclesiae auctoritate constitutum, et Clericis concessum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis ratione alicujus, quod praestare debent, spiritualis ministerii, vel officii.* Dicitur *jus*, quia rependitur loco mercedis, et residet semper in electo, sive fructus percipiat, sive a perceptione vel juste vel injuste arceatur: *perpetuum*, ut a pensionibus secernatur, quae perpetuae non sunt, quum vel ad tempus concedantur, vel pensionarii obitu extinguantur, proinde minime inter Beneficia ecclesiastica connumerandae, quae morte quidem Beneficiarii vacant, at minime cessant, sed alius est subrogandus: *Ecclesiae auctoritate constitutum*, quum enim sint Beneficia juris spiritualis, nonnisi ab habente spiritualem potestatem queunt constitui; proinde vel a Sum. Pontifice, vel ab Episcopo, vel ex diuturna praescriptione illud conferendi: *Clericis concessum*, quia ut docet S. Th. 2. 2. q. 100. art. 4. *Beneficia ecclesiastica non competunt nisi habenti officium clericale.* Additur *percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis*; tum quia illorum dominium et proprietas penes Ecclesiam semper residet; unde Beneficiarii fructus quidem percipere valent, fundos tamen minime distrahere queunt, nisi forte aliquibus in casibus, et servatis juris formulis; tum quia bona illa Ecclesiae donata sunt in ministrorum, et pauperum sustentationem. Postrema denique verba indicant, Beneficiis semper adnexum onus aliquid spirituale praestandi, puta Missam celebrandi, Sacramenta administrandi, Officium saltem recitandi. Unde optime loquit Concilium Trid. sess. 25. de Reform. cap. 3. *Beneficia ad divinum cultum atque Ecclesiastica munia obeunda sunt constituta.* Et tamquam axioma statuitur de Rescr, cap. ultim. *Beneficium datur pro Officio.*

II. *Beneficiorum divisio.*

Varia a Canonistis distinguuntur Beneficia. 1. Alia majora dicuntur, cujusmodi sunt Papatus, Episcopatus, et Abbatiae; minora vero cetera inferiora. 2. Alia secularia, alia Regularia: haec sunt, quae solis Religiosis Professis conferri debent, ut Abbatia, Prioratus, et nonnullae etiam Paroeciae; illa vero, quae saecularibus Clericis conferuntur. 3. Dividitur Beneficium in duplex, et simplex. Primum illud est, quod adnexam habet vel curam animarum, vel jurisdictionem in Clerum, vel populum, sive rerum ecclesiasticarum administrationem, vel saltem localem aliquam praeeminentiam, uti sunt Episco-

patus, Decanatus, Primiceriatus, vel Cantoratus. Simplicia vero illa dicuntur, quae iis carent praeeminentiis, et solum sunt instituta ad laudes Deo decantandas, ad Altaris ministerium, et chori servitium, cujusmodi sunt omnes Canonicatus Ecclesiarum sive Cathedralium, sive Collegiatarum. 4. In electivum, collativum, et mixtum. Primum illud est, quod confertur per electionem a Superiore confirmandam. Alterum, quod Superiorum libera, et absoluta confertur voluntate. Tertium, quod et Patronatus dicitur, est, quod, designante Patrono, et Episcopo instituente confertur. Denique alia in titulum conferuntur, alia in Commendam: priora sunt, quae per totam vitam conferuntur cum tota juris plenitudine; posteriora vero ea dicuntur, quae, quum regularia sint, a Summo Pontifice Clericis saecularibus velut administratoribus custodiae caussa conceduutur. et haec in titulum transeunt, quoties perpetua sint, et per totam Commendatarii vitam conferuntur, et tunc illis collata intelliguntur jura omnia, quae titularibus conveniunt.

§. II.

De Subjectis ad beneficia idoneis, et de conditionibus ad ea obtinenda requisitis.

I. *Quinam sint Beneficiorum capaces; Prima conditio necessaria.*

Clerici tantum capaces sunt ecclesiasticorum bonorum. In bis tamen plures tum a Canonistis, tum a Theologis requiruntur, ut sint ad ecclesiastica Beneficia obtinenda idonei, conditiones, et quidem nonnullae ad omnia beneficia necessariae, nonnullae vero juxta Beneficiorum diversitatem. Et prima quidem conditio omnibus necessaria est vocatio divina ad clericalem, et ecclesiasticum statum. Periculosum siquidem est absque divina vocatione vitae statum amplecti, qui peculiarem postulat pietatem, et perfectionis studium: quomodo enim sibi ea polliceri poterit gratiae auxilia summopere necessaria ad ecclesiastica munia rite et recte obennda, qui non vocatus, sed ultro, et quidem humano fortassis impulsus motivo in Clerum irrepit?

II. *Aliae enumerantur conditiones.*

Conditiones alias summatim perstringo. Secundo requiritur recta intentio Deo scilicet, et Ecclesiae inserviendi, ac in Ecclesiastico statu perseverandi, sacrosque Ordines a Beneficio requisitos suscipiendi. 3. Ut sit bonis moribus praeditus: *Ad Beneficium promovendus* (ait Clemens V. in Clement. *Quum ei* de concessione praebendae) *debet esse vitae laudabilis, et conversationis honestae.* Oportet proinde, ut nulla sint censura innodati, excommunicatione majori, interdicto, suspensione, aut irregularitate etiam occulta, alioquin collatio, electio, et praesentatio non solum illicita est, sed, ut probabilior docet sententia, etiam invalida. Spurii etiam, et illegitimi sunt ab Ecclesiastlcis Beneficiis exclusi, nisi sint a Pontifice, Principe, vel alio potestatem babente legitimati. 4. Requiritur legitima aetas. Haec juxta variam Beneficiorum conditionem est quoque diversa. Sic itaque statuit Conc. Trid. sess. 23. de Reform. cap. 6. *Nullus ante 14. annum Beneficium possit obtinere.* Et sess. 24. *Nemo ad dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem vigesimum-*

quintum aetatis annum attigerit. Pro aliis dignitatibus sufficit annus 22. completus. At si dignitas sit Subdiaconalis, eadem aetas sufficit, si sit Diaconalis, annus 23. si Presbyteralis, 25. requiritur. Ad Praebendam Poenitentiariae Tridentinum postulat an. 40. De Episcopis vero statutum est, *nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam trigesimum aetatis annum exegerit.* Ubi aliter statutum non est, sufficit si annus sit inchoatus, licet non completus. 5. Ut qui Beneficium obtinere cupit, sit saltem prima tonsura initiatus, sine qua Beneficii collatio foret invalida: et praeterea si Beneficium ex lege vel sua institutione aliquem requirat Ordinem, qui tali Ordine non est insignitus, ineptus efficitur ad Beneficium obtinendum. Usus tamen, et consuetudo concedit, ut intra annum Ordo sacer suscipiatur, ulterius tamen differre, illicitum. 6. Requiritur coelibatus. Nam Clerici conjugati Beneficiorum incapaces sunt, ut habetur in cap. 2. de Cler. Conjug. 7. necessaria est scientia, quae gradui dignitatis, muneri, et officio respondeat, ut illa recte valeat obire. Sic statuit Trid. sess. 24. de Reform.

III. *Conditiones necessariae ad pensiones obtinendas.*

Ad pensiones obtinendas requiruntur nonnullae ex praefatis conditionibus ceteris Beneficiis communes, nimirum, ut sit ex legitimo matrimonio procreatus, nisi dispensatio accedat, primam tonsuram habeat, sit ab irregularitate, excommunicatione, aliave censura immunis; et si forte ob aliquod officium spirituale detur, puta docendi Clericos, praedicandi, rudes catechizandi, sit ad haec munia idoneus; requiruntur vero aliae propriae, et particulares, videlicet ut sit pensio a Sum. Pontifice concessa justo, honestoque titulo. Ab Episcopis vero pensiones dari non possunt, nisi, ut statuit Tridentinum sess. 21. cap. 6. et sess. 23. cap. 8. in quibusdam peculiaribus casibus, nimirum ob paupertatem, vel senectutem Beneficiarii Beneficium resignantis, ad litem dirimendam. Demum ut sit moderata, nec Beneficiarium privet necessariis ad honestam juxta suum gradum sustentationem.

Consectaria.

I. *Petere beneficium cum cura animarum, vitio non caret.*

Licet vitio non careat, ut tenent S. Raymundus, et S. Antoninus, petere Beneficium, cui adnexa sit animarum cura; non est tamen illicitum examini se sistere in concursu indicto ab Episcopo ob Ecclesiarum vacantium provisionem. Quum enim Trid. Synodus sess. 24. cap. 18. de Reform. statuerit, ut Episcopi ad Beneficia conferenda examen instituant, et *per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari*, manifestum est licere cuilibet se huic examini exponere. Concursus etiam, suique oblatio ad examen non est petitio Beneficii, sed mera exhibitio sui facta Superiori, ut ipse videat, num idoneus sit ad Ecclesiae inserviendum.

II. *Peccant parentes suis filiis improbis Beneficia procurantes.*

Gravissime peccant parentes, qui filiis suis adolescentibus, quos pravis moribus corruptos sciunt, Beneficia conferri procurant. Tum quia filios sine vocatione in Clerum adscribunt, unde Clero dedecus redundat, et filiorum aeternam salutem discrimini exponunt. Tum quia plerumque non moventur, nisi desiderio reddituum, et fru-

cluum Beneficii, non Dei gloriam et servitium spectantes, sed temporale familiae emolumentum. Tum demum quia quum corruptis moribus infectos perspiciunt, evidens habent argumentum, eos nec ad ecclesiastica munia esse a Deo vocatos, nec ad sacra ministeria idoneos, proinde Beneficiis prorsus indignos. Si quis ergo paterfamilias Beneficium habeat domesticum, curet, ut illi ex filiis conferatur, quem coram Deo judicaverit esse meliorem. Collationes tamen factae Clericis improbis non sunt ipso facto irritae, sed irritandae, nisi forte improbitas vel irregularitatem induceret, vel censurae redderet obnoxium.

III. *Peccat qui beneficia acceptat, quorum munia ob ignorantiam implere non potest.*

Qui tanta pollet ignorantia, ut munera Beneficiis adnexa implere non valeat, incapax est Beneficii, et peccat acceptando. Id manifeste patet, quia quum Beneficium detur pro officio, qui munus, vel officium implere nequit, neque Beneficii est capax; immo, si plane rudis, et illiteratus sit, ita est Beneficiorum incapax, ut si quod forte illi collatum fuerit, sit ipso jure collatio invalida. Scientia autem debet esse muneribus, ad quae Beneficia destinantur, proportionata. Hinc in illis, qui ad curam animarum assumuntur, longe major, quam in aliis, scientia requiritur, ut populos et oves sibi commissas valeant erudire. Nec par in omnibus Parochis scientia requiritur, sed longe majori opus est scientia et doctrina in Pastoribus majoris et frequentioris Urbis, quam Oppidorum, vel Villularum. Ubi autem statuitur, ut Beneficia nonnisi iis conferantur, qui aliquo Magisterio vel Doctoratus laurea sunt insigniti, nisi revera vel gradum in universitate obtinuerint, vel falso titulo et sine requisita scientia gradum impetraverint, peccant Beneficium acceptando.

IV. *Neophyti, ad Beneficia promoveri non debent.*

Neophyti, ad Beneficia promoveri non debent juxta regulam Apostoli: *Non Neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat Diaboli.* Post biennium tamen si probae vitae comperiantur, et firmitas in fide appareat, ab Episcopo tum ad Ordines, tum ad Beneficia possunt promoveri. De filiis autem haereticorum, qui in haeresi obierunt (secus autem si etiam paulo ante mortem catholicam fidem sint professi) in jure Can. statuitur Cap. *Quicunque* extra de haereticis: *Haeretici autem, credentes, receptores, defensores, et fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem ad nullum Ecclesiasticum Beneficium, seu officium publicum admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum, et inane.* Hoc tamen statutum in Galliis non obtinet.

§. III.

De modis Beneficia obtinendi.

I. *Sex modi obtinendi Beneficia, et primum de Collatione.*

Sex modis obtineri beneficia valent, nimirum 1. per liberam collationem, 2. per praesentationem, 3. per electionem, quae aliquando confirmationem postulat, aliquando ea non indiget, 4. per postulationem, 5. per resignationem, 6. per approbatam permutationem.

Collatio proprie dicta communiter definitur: *Concessio canonica Beneficii facta ab habente potestatem.* Haec dividitur in liberam, quae ex solo jure collatoris pendet independenter ab electione, praesentatione, nominatione alterius; et in non liberam, quae nimirum ad aliquam personam coarctatur ratione juris alterius nominandi, praesentandi etc.

II. *De Electione.*

Electio stricte sumpta est designatio, sive destinatio personae ad certum Beneficium canonice facta per suffragia eorum, qui jus obtinent eligendi. Per electionem electus nonnisi jus ad beneficium consequitur, nam jus in Beneficio sola confirmatione adipiscitur. Hinc qui ante confirmationem sibi Beneficii administrationem usurpat, censetur intrusus, et jus deperdit, quod per electionem obtinuerat. Differt a nominatione, quae esse potest de pluribus, quum electio sit unius tantum; et a petitione, per quam plebs, vel populus, seu communitas postulat, et rogat sibi talem in Pastorem concedi, per quam petitionem electus nullum jus adipiscitur, et Praelatus potest non concedere.

III. *De Praesentatione.*

Praesentatio describitur actio, per quam Patronus etiam laicus exhibet Superiori ecclesiastico idoneam personam pro Beneficio illi concedendo. Ex hac praesentatione oritur in praesentato jus ad Beneficium, facta autem institutione a Superiore jus resultat in Beneficio. Patronus esse potest et laicus. Praesentatus debet esse Clericus, et conditiones obtinere, quae ad munus ecclesiasticum, ad quod eligitur, rite obeundum sunt requisitae. Praelatus licet debeat praesentatum admittere, potest tamen, si indignum compererit, repellere.

IV. *Juspatronatus quid sit, et quotuplex.*

Juspatronatus a Canonistis describitur *jus, sive potestas nominandi, seu praesentandi aliquem clericum instituendum in Beneficium vacans.* Triplex est, nimirum laicum, ecclesiasticum, et mixtum. Laicale illud est, quod laico competit, quia ipse, vel aliquis ex suis praedecessoribus Ecclesiam vel fundavit, vel erexit, vel dotavit; cui additur praescriptio, nimirum, ut ait Conc. Trid. sess. 25. cap. 9. de Ref. *Ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat.* Ecclesiasticum, quod Clerico competit ratione alicujus dignitatis ecclesiasticae, puta Decanatus, Rectoratus. Mixtum denique, quando patronus ecclesiasticus et laicus concurrunt in usu jurispatronatus, sive id fiat cumulative simul praesentando, vel disjunctive, idest per vices, et modo Ecclesiasticus per turnum praesentat, modo laicus. Ad juspatronatus obtinendum praeter titulos fundationis, erectionis, dotationis Ecclesiae requiritur consensus Episcopi, aut Capituli Sede vacante. Jurispatronatus certa debent esse documenta, ut statuit Conc. Trid. sess. 25. cap. 9. Transfertur autem vel haereditatio jure, per quod transit ad haeredes nedum necessarios, sed et liberos, vel donatione etiam laico viro facta, si juspatronatus sit laicale, et hoc etiam sine Episcopi consensu, vel per venditionem fundi, cui adnexum est, ut docet S. Th. 2. 2. q. 100. art. 4. ad 3.

V. *De Postulatione.*

Postulatio locum habet, quum quis ineligibilis ob aliquem defectum, vel canonicum impedimentum rationabili de caussa dispensatione dignum per vocales postulatur a Superiore, ut sublato impedimento aligi possit ad beneficium vel dignitatem, vel ipse dispensando instituat. Cadit vero haec postulatio, si major, vel sanior eligentium pars ad electionem deveniat, quia electio praevalet utpote juri conformior.

VI. *De Resignatione.*

Olim resignatio, et renunciatio synonyma erant; modo tamen ex stylo curiae distinguuntur. Renunciatio enim importat simplicem absolutamque Beneficii cessionem absque ulla conditione. Resignatio vero est cessio Beneficii cum aliqua conditione. Hinc omnis resignatio renunciationem continet, at non e contra. Renunciatio pura et absoluta fieri potest penes Superiorem, ad quem spectat conferre. Beneficium, et cuicunque licita est. Resignatio vero pluribus modis fieri potest, nimirum 1. si quis resignet ea conditione, ut tertiae conferatur personae, et haec dicitur resignatio in favorem tertii. 2. Si quis resignet Beneficium ea conditione, ut fructus partem sibi quotannis accipiat, et dicitur resignatio cum pensione. 3. Si quis resignet ea conditione, ut si resignatarius praemoriatur, valeat ipse in Beneficii possessionem regredi, et haec resignatio dicitur cum regressu. 4. Si duo beneficio abrenuncient cum conditione, ut alter alterius beneficium obtineat, et haec dicitur resignatio cum permutatione.

VII. *De Permutatione.*

Permutatio itaque ex dictis habetur, quum quis Beneficium in manu Episcopi resignat ea conditione, ut alterius simile, vel dissimile Beneficium consequatur, unde duo sint oportet, qui Beneficio se abdicant, ut alterius Beneficium obtineant. Permutationes Beneficiorum sunt de simonia suspectae praesertim si praecesserit pactum, et a jure communi reprobatae. Absolute tamen omni simonia carere queunt, ut optime observat S. Thom. in 4. Sent. dist. 25. q. 3. art. 3. ad 8. scribens: » In permutatione est simonia, si pro aliquo » terreno commodo utriusque, vel alterius permutatio fiat. Si autem » pro spirituali, utpote quia hic in illo loco melius possit Deo ser» vire, non est simonia ». Ex qua doctrina patet hujusmodi permutationes fieri nequaquam posse sine justa caussa, et nisi cedant in utilitatem Ecclesiae. Praeterea si Beneficia permutanda sint in diversis Dioecesibus, utriusque Episcopi est necessarius assensus. Requiritur etiam consensus Electorum, sive Patroni, si Beneficium sit electivum, vel jurispatronatus. Si vero fiat cum adjectione oneris, vel pensionis, Summi Pontificis authoritas, et beneplacitum intervenire oportet. Quod tamen onus, vel pensio adjici non potest, eo quia beneficia sint inaequalia in dignitate, et jurisdictione, nam esset simonia, quum dignitas, et jurisdictio res sint spirituales; si vero inaequalitas sit in Beneficii redditibus, poterit justa de caussa Pontifex pinguiori Beneficio pensionem imponere, non tamen in compensationem, ut docent quidam Theologi, sed titulo honestae sustentationis, cui permutatum beneficium non sufficiat.

CONSECTARIA.

I. *Vetitum est, Beneficium resignatum, familiaribus conferre.*

Quum Beneficium resignatum fuerit in manu Episcopi, vel Collatoris, vetitum est illis ex Bulla S. Pii V. de eisdem providere consanguineos, affines, familiares, vel suos, vel ipsius resignantis; ideo si Beneficium conferatur per concursum, et concurrant consanguinei, et affines vel collatoris, vel resignantis, illis non conferatur Beneficium, licet digniores judicati fuerint; proinde ex Decreto Congr. Concilii confirmato a Gregorio XIII. vetitum fuit illos ad concursum admittere.

II. *Resignantes cum pensione, si pactum ineant de redimenda pensione, quas poenas incurrant.*

Resignantes Beneficia cum pensione, si clam pactum cum resignatario inierint de cedenda pensione, vel utilitate exigendi fructus ejusdem pensionis soluta per hoc anticipata pecunia, pactum illud irritum, et inane declaratur, et insuper resignans, et resignatarius ab omni jure Beneficii decedunt ipso facto, quin ulla requiratur Judicis declaratio, et sub peccato lethali restituenda est pecunia non ei, qui dedit, sed Ordinario, qui eam piis locis applicet. Eisdem poenis etiam subjecti declarantur, si haec pactà ineant intra sex menses a die acceptae per resignatarium possessionis. Ita statuit Benedictus XIV. Bulla *In sublimi*, Bull. T. I.

III. *Resignationes etiam simplices, vel cum pensione, quando licitae sint.*

Resignationes etiam purae in manu Superioris illicitae sunt, nisi fiant ob justam caussam, utilitatem videlicet Ecclesiae, vel ipsius resignantis bonum spirituale. Hinc peccant, qui ob temporales utilitates vel fines Beneficiciis abrenunciant, puta ut Beneficium perseveret in familia, ut amico gratificetur, ut quiete, et otiose vivere possit: in his enim motivis simonia saltem mentalis latitare potest. Si vero resignatio fiat cum pensione, praeter allata motiva requiritur ulterius et concessio Summi Pontificis, et justa caussa pensionis recipiendae; quae esse non potest ipsa resignatio; quum ex lege naturae, et jure canonico statutum sit, *ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur;* nec ex ministerio praestito etiam per longum tempus, et solerter, quum per illud tempus justam jam acceperit mercedem, et posset percipere, si velit Beneficium retinere. Una igitur semper est caussa recipiendi pensionem respectu resignantis, nimirum indigentia ipsius, adeout illi sit loco alimentorum, et quidem in moderata quantitate, et non ex partium pectione. Quod de Resignatione diximus, sunt et de permutatione intelligenda.

§ IV.

De dignioribus ad Beneficia eligendis; et de Beneficiorum pluralitate.

I. *Quinam indigni censendi sint.*

Indigni ad Beneficia illi censendi 1. qui pravis moribus sunt defoedati, ut statuit Trident. Conc. sess. 24. cap. 12. de Reform. Sicut

vero ut quis corruptis dicatur moribus, non requiritur, ut in graviora sit prolapsus facinora, ita nec sufficit, si semel ob fragilitatem in aliquod peccatum lapsus sit, nisi forte ex illis sint, quae ob inductam sive censuram, sive irregularitatem non solum indignum, sed et ineptum faciunt ad Officia Ecclesiastica, vel adeo in aliorum offensionem cesserint, ut difficile ex hominum memoria aboleantur. Sed indignus est, qui pravo aliquo habitu irretitur vel ebrietatis, vel blasphemiae, vel fornicationis, vel qui in clericali statu constitutus ludo indulget, epulis, conversationibus, familiaritatem suspectam cum mulieribus ostentat, saecularibus negotiis se immiscet, et ut scribit Tournellius, *minus ejus crimen est vita otiosa*. Hunc ego ex defectu probitatis indignum existimo, ut Ecclesiastica Beneficia consequatur. Praeterea indignus est ille, qui ea caret scientia, quae ad officium recte obeundum est necessaria. Dignus vero ille est dicendus non solum qui juxta saeculi judicium a gravioribus culpis, et pravis habitibus immunis apparet, sed qui pietatem in Deum ostendit, charitatem erga proximos exercet, et si Ecclesiae sit addictus, orationi vacat, Ecclesiae suae inservit, studio indulget, ab otio abhorret, uno verbo eam vitae agit rationem, quae probum decet Ecclesiasticum.

II. *Quinam dici dignior possit.*

Quis autem dici dignior possit, explicat S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 2. scribens: » Dignitas alicujus personae attendi potest dupliciter. » Uno modo simpliciter, et secundum se, et sic majoris dignitatis » est ille, qui magis abundat in spiritualibus gratiae donis. Alio » modo per comparationem ad bonum commune. Contingit enim » quandoque, quod ille, qui est minus sanctus, et minus sciens, » potest magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel » industriam saecularem, vel propter aliquod hujusmodi. Et quia » dispensationes spiritualium principalius ordinantur ad utilitatem » communem .... ideo quandoque absque acceptione in dispensa- » tione spiritualium illi, qui sunt simpliciter minus boni, melioribus » praeferuntur ». Ex qua S. Th. doctrina patet, majorem dignitatem unius prae alio non esse absolute spectandam, et simpliciter, sed respective ad utilitatem Ecclesiae, et bonum fidelium.

III. *Quando non sint quaerendi digniores.*

Quando Beneficia ex fundatione, sive ex justa aliqua lege, statuto, consuetudine sunt certo personarum generi, vel coetui tribuendo, tunc non sunt quaerendi digniores, vel etiam dignissimi extra coetum illum, sed sufficit, si dignior eligatur inter personas ad Beneficium designatas, alioquin perturbatio sequeretur in Ecclesia. His praenotatis.

IV. *Non licet indiginis, ullum Beneficium conferre.*

Non licet indignis ullum Ecclesiasticum Beneficium conferre. Ita statuit Trid. Conc. sess. 7. cap. 3. *Inferiora Beneficia praesertim curam animarum habentia personis dignis, et habilibus conferantur.* Immo dignioribus duntaxat esse Beneficia conferenda statuit sess. 24. de Reformat. cap. 1. dicens: » Omnes et singulos, qui ad promotionem » praeficiendorum quodcumque jus habent.... aut aliquam operam » suam praestant..... hortatur, et monet..... alienis peccatis » communicando mortaliter peccare, nisi quos digniores, et Eccle-

» sine magis utiles ipsi judicaverint, non quidem praecibus, vel » humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum » exigentibus meritis, praefici diligenter curaverint ». Et S. Thom. » 2. 2. q. 63. a. 3. art. 1. docet nullum apponendo discrimen inter Beneficia simplicia, et parochialia: » Si minus digni et simpliciter, et » per respectum ad bonum commune dignioribus praeferantur, est » peccatum acceptionis personarum in dispensatione spiritualium, » quorum Praelatus Ecclesiasticus non est dominus, ut ea possit dare » pro libito, sed est dispensator ».

V. *Beneficia alia sunt compatibilia, alia incompatibilia.*

Praeter varia, quae superius distinximus, Beneficiorum genera, aliam classem assignant Juris Canonici periti, scilicet in ea, quae compatibilia dicuntur, et quae incompatibilia. Priora sunt, quae uniri simul possunt, quia unius Beneficii munia alterius Beneficii non impediunt officia, cujusmodi forent Beneficium parrochiale, et Beneficium simplex sine residentia onere, vel duo beneficia simplicia in eodem loco. Posteriora vero, quae uniri non queunt, quia unius officia alterius munia impediunt. De jure incompatibilia sunt Beneficia, quae fundatione, vel consuetudine personalem residentiam requirunt in Ecclesiis, ubi sunt constituta, et hujusmodi sunt omnia beneficia curam animarum habentia. 2. Sunt incompatibilia ea, quae Officia, Dignitates, et Personatus dicuntur, ut Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Abbatiae, Prioratus. 3. Portiones et Canonicatus in Cathedralibus, et Collegiatis, praecipue si sub eodem tecto sint. Et merito quidem, quum haec Beneficia et personalem requirant residentiam, et pluralitatem, ac distinctionem personarum, ut Dei cultus ea qua par est decentia et honestate praestetur.

VI. *Non licet obtinere duo beneficia incompatibilia, nec plura compatibilia, si unum sufficiat congruae sustentationi.*

Certum est non licere duo obtinere beneficia incompatibilia. Ita statuit Trid. Conc. sess. 24. de Reform. cap. 17. Nec plura Beneficia compatibilia licite obtineri queunt sed lethaliter peccant, qui obtinent, si unum congruae sufficiat sustentationi. Ita laud. Conc. citata sess. Immo Beneficiorum pluralitas absolute, et secundum se jure naturali interdicitur. Ita docet S. Thom, quod l. 9. art, 15. » Habere plures » praebendas plures ex se inordinationes continet. Primo quia sequi» tur diminutio divini cultus, dum unus loco plurium instituitur. Se» quitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui » ad hoc aliqua bona Ecclesiae contulerunt, ut certus numerus Deo » deservientium ibi esset. Sequitur etiam inaequalitas, dum unus » pluribus Beneficiis abundat, et alius nec unum habere potest ». Eamdem pluralitatem Beneficiorum damnant Concilia, detestantur Pontifices, reprobant nobiliores Theologi.

VII. *Pluralitas Beneficiorum non est tam mala, ut nullo in casu liceat.*

Pluralitas tamen Beneficiorum non ita mala est, ut nullo in casu unquam liceat. Ita S. Thom. laud. quod l. 9. *Habere plures, praebendas quamvis aliquas inordinationes contineat; tamen aliae circumstantiae possunt supervenire ita honestantes actum, quod praedictae inordinationes totaliter evacuentur, ut puta, si sit necessitas in pluribus Ec-*

clesiis ejus obsequi, vel possit plus servire Ecclesiae, vel tantundem absens, quam alius praesens, et si quae alia sunt hujusmodi. Justae itaque subesse caussae queunt, ut quis plura habeat Beneficia, quae tamen non bona obtinentis respiciant, sed solam necessitatem, et utilitatem Ecclesiae. » Licitum non est, inquit eodem loco S. Th., » habere plures praebendas, si non adsint illae circumstantiae, quae » illud vetitum poterunt cohonestare, *quantumcumque dispensatio » interveniat:* eo quod dispensatio humana non aufert ligamen juris » naturalis, sed solum ligamen juris positivi, quod per hominem » statuitur, ac per hominem dispensari potest.

Consectaria.

I. *Beneficia simplicia solum dignioribus sunt conferenda, excepto casu necessitatis.*

Beneficia etiam simplicia solum dignioribus sunt conferenda. Ita aperte docet S. Thom. 2. 2. q. 63. a. 2. ubi quaestionem instituens in universali, *num in spiritualibus locum habeat acceptio personarum*, in resp. ad 3. hanc statuit regulam; *Dicendum, quod quantum ad hoc, quod electio impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem: quia sic omnis electio posset habere calumniam: sed quantum ad conscientiam eligentis, necesse est eligere meliorem vel simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune; quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, et alius praeferatur; oportet, quod hoc sit propter aliquam caussam: quae quidem si pertineat ad negotium* (idest praeeligitur qui aptior est ministerio, et utilior Ecclesiae etc.) *quantum ad hoc erit ille, qui eligitur magis idoneus; si vero non pertineat ad negotium* (idest, si sit extraneum Ecclesiae et bono communi) *id quod consideratur ut caussa, erit manifeste acceptio personae.* Licet tamen Beneficium simplex etiam digno conferre, si indigeat. Ita idem S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 5. ad 3. Nam indigentia, et paupertas, licet alium alio digniorem non reddat, pertinet tamen ad bonum commune Ecclesiae, ut ejus ministri indigentes ab ipsa Ecclesia sustententur, praesertim quum Ecclesiastica Beneficia sint etiam in sustentationem pauperum instituta.

II. *Regulares, Superiores suos ex dignioribus eligere debent.*

Regulares quoque suos Superiores quocunque nomine nuncupatos curam animarum habentes ex dignioribus eligere debent. Licet enim Regulares Praepositurae proprie beneficia non sint, quippe quia nec perpetuitatem habent, nec jus percipiendi fructus, nihilo tamen secius Beneficiis aequiparantur in muneribus et officiis, quum et curam habeant animarum, et ex illorum probitate prudentia, sapientia, aliisque dotibus maxime regularis observantia dependeat. Praeterea locum habet etiam in istis vitium acceptionis personarum; quod in re magni momenti non leve peccatum est. Et quidem negotium magni momenti esse Praesulum et Superiorum in sacris Ordinibus delectum, nemo esse potest sanae mentis, qui valeat inficiari. Nam si Praesul Regularis sit morum probitate, zelo regularis observantiae, prudentia, sapientia, charitate egregius, plurimum vigent et florent in Monasterio regularis observantia, pietas, frequentia orationis, si-

lentium, et studium literarum; e contra heu quanta irruunt mala, dum praesunt Superiores desides, faciles, libertatis amatores indocti?

III. *Ad plura beneficia habenda, requiritur praeter Pontificia dispensatio, justissima causa.*

Sola Pontificia dispensatio non sufficit ad plura Beneficia, sive compatibilia, sive incompatibilia tuta conscientia, et sine gravi peccato retinenda. Ita expresse S. Thom. Quod l. 9. art. 15. *eo quod*, inquit, *dispensatio humana non aufert ligamen Juris naturalis, sed solum juris positivi.* Cui doctrinae adhaeret Card. Cajetanus ejus fidissimus interpres V. *Beneficium*: et Card. Bellarminus in Epist. ad Nepotem suum. Sed neque sufficit justissima caussa, sed etiam dispensatio requiritur. Obstant enim adhuc Conciliorum, et SS. Patrum decreta hujusmodi pluralitatem vetantia, quare dispensatio quoque necessaria est.

IV. *Nobilitas, aut merita et praerogativae, nec splendor vel decentia gradus, non valent ad justam causam constituendam.*

Justa autem caussa possidendi plura beneficia non est sublimis nobilitas obtinentis. Nam nobilitas licet eximia, nisi in utilitatem influat Ecclesiae, vel ex necessitate sit in promovendo requirenda, extranea omnino est servitio et ministerio Ecclesiae, cui aeque et multo utilius servire possunt etiam inferioris gradus, et nobilitatis Clerici. Nec merita et praerogativae personae sunt de se sufficientes caussae obtinendi plura Beneficia. Nam et hae, si non conferant ad utilitatem Ecclesiae, vel necessariae omnino sint, non tollunt inordinationes, quas D. Th. dicit in se continere habere plures praebendas, cujusmodi sunt *diminutio cultus divini*, *fraudatio testatorum*, *qui ad hoc aliqua bona contulerunt*, *ut certus numerus Deo servientium ibi esset*, *inaequalitas dum unus pluribus Beneficiis abundat, et alius nec unum acquirere potest.* Nec splendor aut decentia gradus Episcopalis, vel Archiepiscopalis esse potest justa caussa habendi plura Beneficia. Ratio est, quia vix reperire est ullum tale Beneficium, quod possidenti necessaria non suppeditet ad status sui decorem, et decentiam, si intra limites suos se velit continere juxta Synodorum, et Canonum Ecclesiae statuta. Quod si forte redditus Episcopatus vere ad decentem Episcopi sustentationem non sufficiant, jam huic indigentiae consuluit S. Synodus Trid. concedens, ut superaddi possit Beneficium simplex, quod residentiam non postulet. Hinc nulli licet etiam eminentissimae dignitatis plura beneficia nequidem simplicia obtinere, quando unum sufficiens est. Ita statutum est in Conc. Trid. jubente: *A quibuscumque personis, quocunque titulo etiam Cardinalatus honore fulgentibus, mandat observari, ut imposterum UNUM tantum Beneficium ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.* His addenda nonnulla sunt ex Institutionibus Benedicti XIV. qui Instit. 91. §. 7. docet, quod si quis Beneficium simplex obtineat non sufficiens ad ejus sustentationem, possit ab Episcopo idoneus fieri ad aliud obtinendum, quod pariter si insufficiens adhuc sit, ut tertium impetrare possit, necessaria est dispensatio a Sede Apostolica obtinenda, quum Conc. Trid. solum de altero Be-

neficio insufficiente addendo loquatur, de tertio vero nihil habeat. Nihilominus addit, ex Decreto Congregationis non esse inquietandos, qui bona fide tria vel quatuor Beneficia insufficientia sola Episcopi auctoritate obtinuissent.

§. V.

De Beneficiorum oneribus.

I. *Beneficiarii onera enumerantur.*

Plura sunt, quibus gravantur Beneficiarii, onera, nimirum horas canonicas, vel privatim, vel in Choro recitare, Beneficii sui munia implere, ut si Parochus sit, vel Episcopus, Sacramenta ministrare, oves instruere, pro populo orare, in loco residere, eleemosynis pauperes subvenire. Verum quum de his, ut de primo, superius dixerimus, et de ceteris, quum de Sacramentis, et praesertim de Ordine Sacro dicendum sit, tria tantum hic ex his oneribus explicanda suscipimus, nimirum residentiam, Missae celebrationem pro populo, at onus redditus, qui ex sufficienti sustentatione supersunt in pauperes distribuendi.

II. *Quo jure Pastores teneantur residere.*

Certum compertumque est, Pastores omnes sive Episcopos, sive Parochos ad residentiam in sua Dioecesi, vel Paroecia teneri ex jure Ecclesiastico, et naturali. Immo teneri etiam jura divino manifestant tituli, quibus in Scripturis designantur animarum Rectores: vocantur enim *pastores*, *speculatores*, *magistri*, *doctores*, *lux populi*, *custodes:* quae profecto indicant eorum praesentiam requiri. Id luculenter docet S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 5. Confirmant Patres, et Concilia, quae dum Pastoribus debitum inculcant per se pascendi gregem suum illi adhaerendo, non quid superadditum eorum muneri praedicant, sed quid intime divino et naturali jure debitum ostendunt. Nec satis est, si corporaliter, vel localiter tantum resideant, sed ut praecepto residentiae satisfaciant necesse est, ut per se munia Pastoris obeant, non vero per Vicarios impleant: ut enim optime ajebat D. Bernardus, *Qui per Vicarium inservit, per Vicarium remunerabitur.*

III. *Caussae a residentia excusantes, et poenae a Tridentini statutae adversus non residentes.*

Ab hoc onere residentiae non liberantur Episcopi, nisi legitimae adsint caussae, quae in Trident. Synodo hae tantum statuuntur, videlicet *christiana charitas*, *urgens necessitas*, *debita obedientia*, *evidens Ecclesiae vel Reipublicae utilitas.* Et hoc quidem si longior sit absentia; at si brevis, licet aliqua requiratur semper legitima ratio, tam urgens tamen non requiritur: nam inquit Trid. Synodus, *qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse.* Hanc autem brevem absentiam declaravit eadem Synodus, duorum vel trium mensium spatium excedere non debere, dummodo tamen et id *aequa ex caussa fiat, et absque ullo gregis detrimento*, et non absint per *illud anni tempus Dominicis Adventus, Quadragesimae, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, et Corporis Christi diebus, quo refici maxime, et in Domino gaudere Pastoris praesentia oves debent.* Ceteris vero inferioribus Pastoribus concedit, ut justa

interveniente caussa ad bimestre a sua Ecclesia abscedere possint, cum hoc tamen ab Episcopis discrimine, quod isti non tenentur licentiam a Superiori petere pro trimestri absentia, Parochis vero incumbit, ut ad bimestre ex legitima caussa non abscendant a sua residentia sine Episcopi licentia, ut ipsamet Trident. Synodus declaravit. Poenae autem non residentibus hae primo universaliter statuuntur a laud. Synod sess. 23. de Reform. *Qui contra hujus Decreti dispositionem abfuerit; statuit sacrosancta Synodus, praeter peccati mortalis reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiae fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illo sibi detinere non posse, sed teneri illos fabricae Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare.* In Parochos vero contumaciter absentes statuit remedia, ut compelli possint usque ad privationem Beneficii, ut habetur loc. cit.

IV. *De onere Parochorum, Missam celebrandi pro populo.*

Circa onus Parochorum Missam celebrandi pro populo lites omnes, quae Theologos inter, et Canonistas versabantur, diremit Summus Pontifex Benedictus XIV. in sua Bulla incipiente *Quum semper*, in qua haec statuit: 1. Parochos omnes etiam pinguioribus redditibus praeditos ab onere applicandi Missam pro populo singulis diebus liberat, dummodo tamen in fundatione Beneficii non aliter cautum sit. 2. Parochos omnes etiam Regulares quocunque nomine appellatos, sive sint Vicarii perpetui, sive amovibiles, licet congruis redditibus careant, teneri singulis diebus festis de praecepto, quibus populus Missae interesse tenetur, quamvis concessum sit operibus servilibus vacare, Missam pro populo applicare. 3. Si in hisce festis diebus onus habeat Parochus applicandi Missam pro aliis, debeat per alios Sacerdotes huic oneri satisfacere, ipse vero pro populo celebret. Concedit tamen Parochis egentibus, ut de licentia Episcopi possint praedictis festis diebus eleemosynas accipere, et pro offerente celebrare, dummodo tamen infra hebdomadam onus adimpleant celebrandi pro populo. 4. Episcopis etiam jubet, et Vicariis actu exercentibus curam animarum, quae apud alios resideat, si fructuum portio illis assignata satis non sit ad implendum onus applicationis Missae, aliam congruam addant portionem juxta potestatem illis factam a Trident. Concilio, quam confirmat, opportunas etiam addens et necessarias ad hoc facultates. 5. Statuit etiam, ut Missa Conventualis, quae singulis diebus a Clero Ecclesiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum celebratur, applicetur quotidie pro Benefactoribus in genere, quin teneantur applicare secundam, et tertiam Missam in aliquibus diebus juxta Rubricas celebrandas.

V. *Quaestio, de bonis clericorum in fructus superabundantes Beneficiorum eruitur, auctoritate SS. Patrum, summorum Pontificum Conciliorum, Theologorum et D. Thomae momentis.*

De bonis hic disquirendum est, quae superabundant Clericis, non quidem patrimonialibus, sive domesticis, quae saeculari titulo obtinent, sed quae ex ecclesiasticis Beneficiis ipsis obveniunt; num scilicet de his verum dominium habeant, unde superflua dissipando peccent quidem contra charitatem, et etiam contra religionem, non

vero contra justitiam. Tres hac de re sunt Theologorum opiniones. Quidam plenum et proprium tribuunt Clericis redditùum Beneficii dominium, verosque dominos agnoscunt: qui proinde peccent quidem contra charitatem, et religionem superflua dissipando, non vero violent justitiam ea pauperibus denegando. Alii vero Theologi dominium concedunt, et dominos dicunt redditùum, sed gravatos onere justitiae distribuendi pauperibus, quae congruae suae sustentationi superabundant, eo ferme pacto, quo haeres dominium acquirit haereditatis, sed cum onere aes alienum solvendi. Tertio denique plerique Theologi, et quidem magni nominis nullum dominium concedunt Beneficiatis in ea, quae ipsis supersunt, dempta convenienti sustentatione, quae proinde utpote pauperibus destinata; et eorum administrationi commissa, ex justitia illis dispertienda sint. His ego me adjungo eo praecipuae nomine, quia haec sententia doctrinae Angelici Praeceptoris nostri maxime cohaeret. Nulla tamen erit pugna cum Auctoribus secundae sententiae, quippe qui re conveniunt, licet nomine differant.

Auctores, qui de hisce bonis dominium Clericis concedunt, putant suam sententiam non labefactari testimoniis veterum Patrum, Conciliorum, et Canonum, qui ante X. saeculum vocant bona Ecclesiastica *bona pauperum*, *patrimonium Christi*, qui Episcopos, et Ecclesiasticos vocant *distributores*, *dispensatores*, *oeconomos*, *non dominos* suorum redditùum; quia ipsi, inquiunt, sic loquebantur, quando adhuc bona erant confusa, confusi reditus pauperum, Episcoporum, et Fabricae. At modo, facta jam divisione, et segregatione partium (cujus tempus licet exacte nequeat designari; dicere tamen possumus invaluisse X. saeculo, et XI, ferme ubique obtinuisse) non amplius urgent.

Verum in hoc ipso fundamento suae doctrinae puto eos a vero aberrare; supponunt enim factam quartae partis redditùum ecclesiasticorum debitae pauperibus separationem; at quo, amabo, argumento, qua ratione? Nullum profecto afferunt non Patrum, non Conciliorum, non Pontificum, non ecclesiasticorum monumentorum testimonium. E contra vero apparet manifeste, quod quum Episcopi, et Clerici fuerint perpetuo quartae pauperum partis distributores, et administratores, dum ea bona diviserunt, et partim Mensae Episcopali, partim Beneficiis, et titulis applicarunt, tum Episcopi, tum Clerici sibi eamdem distributionem et administrationem quisque pro rata sibi retinuerunt. Unde enim constat, quod ea se abdicaverint, et aliis renuntiaverint? Quinam sunt administratores, distributores, oeconomi loco Ecclesiasticorum constituti? Num Rectores, et Praesides Hospitalium, Nosocomiorumque? At istorum fundationes, erectiones, et donationes nimium recentes sunt, ut ad tempora erectionis titulorum, et Beneficiorum possint revocari: et praeterea constat, pene omnia haec pia loca eleemosynis, legatis piis, aliisque donationibus Regum, Principum, Privatorum erecta esse, et fundata. Quid quod (ut observat etiam P. Concina) post Beneficiorum erectionem plures alii sunt a Principibus, aliisque vel ditioribus, vel potentioribus personis assignati reditus Ecclesiis, ut ex illis et Ministris Altaris alerentur, et divinus cultus celebraretur, et pauperes alerentur?

At istorum redditaum ubi et quando facta divisio? Ubi constituti oeconomi praeter ipsos Episcopos et Beneficiarios? Nutans igitur et arenosum est fundamentum, super quod struunt laudati Theologi Clericorum dominium nullo justitiae onere gravatum.

Sed quod meo Judicio rem plane conficit, et nunquam factam portionis pauperum a bonis Beneficiorum segregetionem evincit, illud est, quo Patres, Pontifices, Concilia, et Doctores quotquot scripsere post factam etiam Beneficiorum, et Titulorum institutionem, et segregationem, eodem modo locuti sunt de dominio Clericorum, sive de onere distribuendi superflua in pauperes, ac locuti sint et docuerint Patres, Pontifices, et Concilia ante eam separationem, et divisionem. Quod si probem, rem confecero, quum et ipsi dominii Clericorum patroni ultro fateantur, non facta ea divisione. Clericorum sustentationi redundantia esse pauperum portionem illis ex justitia distribuendam. Nonnulla itaque promemus ex laudatis fontibus ad rem evincendam; et 1. ex Patribus afferimus S. Bernardus XII. saeculi scriptorem, qui explicans Christi verba: *Ecce nos reliquimus omnia*, scribit: *Clericus de Altario vivat, et non ex Clericatu ditior fiat, non sibi de bonis Ecclesiae ampla palatia fabricet, nec in vanitate, et superfluitate dispergat .... Res pauperum non pauperibus dare par sacrilegii crimen agnoscitur. Sunt patrimonia pauperum facultates Ecclesiarum. Sacrilega eis crudelitate surripitur quidquid sibi ministri et dispensatores, non utique domini et possessores ultra victum et vestitum accipiunt.* S. Petrus Damiani XI. saeculi scriptor Opusc. 19. cap. 2. de quibusdam Episcopis scribens lib. 1. Epist. 10, ait: » Quum » Episcopus dispensator debeat esse promptus pauperum, ad eorum » mensam affluentibus deliciis alieni ructant, quum et illi, *quorum* » *tota est substantia* procul exclusi famis inopia contabescunt ». S. Laurentius Justiniani. lib. de compunct. et planct. Christi haec habet: » Patrem pauperum esse recusant, quoniam indigentium substantiam » attribuunt sibi. Oh quanta abusio est Christi ditari divitiis, et » Christo velle nihil tradere! Nonne thesauri Christi sunt facultates » Ecclesiae? Unde temporalia Ecclesiis sunt praerogata stipendia? » Nonne propter Christum? Nonne ut Christi pauperibus erogantur? » Noli igitur tu, qui praesides retinere quod alienum est, ne furti » reprehendaris in caussa .... Scio, te debitorem esse facultatum, » quae bonesto victui tuo supersunt ». Igitur XII. saeculo, quo scribebat S. Bernardus, XI. quo S. Petrus Dam. XV. quo S. Laurentius Justin. facta ignorabatur divisio bonorum inter Clericos, et pauperes, sed istorum pars adhuc esse credebatur bonis Clericorum immixta, illaque esse, quae eorum honesto victui supererat.

A Patribus non dissentiunt ejusdem aevi Pontifices, et Concilia. Alex. III., qui sedem Petri tenuit medio elapso XII. saeculo tamquam certum compertumque habebat, Episcopos *rerum Ecclesiasticarum* non esse dominos, sed procuratores, nam Episcopo Parisiensi sic scribebat: » Fraternitatem tuam credimus non latere, quod quum » Episcopus, et quilibet Praelatus ecclesiasticarum *rerum* sit *procu-* » *rator, non dominus,* conditionem Ecclesiae meliorem potest facere, » deteriorem vero non debet ». Habetur cap. *Fraternitatem* in Extr. de Donat. Ignorabat igitur Pontifex jactatam bonorum divisionem.

Idem docet Innoc. IV. qui sedit anno 1243. » Non Praelatus, sed » Christus dominium et possessionem rerum Ecclesiae habet, unde » quaecumque homines offerunt Ecclesiis, dicuntur esse Deo oblata, » et si aliquando inveniantur haec bona Deo oblata, esse Episcopo- » rum, vel Praelatorum, vel Capitulorum, dic esse eorum quoad » gubernationem ». Pontificibus concordant Concilia. Concilium Provinciale Rodonense an. 1582. tit. de Monasteriis: » Ne existiment » Commendatarii sibi commendatum Monasteriorum regimen ad lu- » xum, vel prodigalitatem, aut augendam rem suam, et consangui- » neorum familiam, sed ad piam et justam alienarum rerum dispen- » sationem, et quarum non habent proprietatem ». Sunt igitur immixtae in Beneficiis res alienae, quarum Beneficiarii non habent *proprietatem*, et hae sunt, quas ad luxum, vel prodigalitatem, vel augendum familiae statum expendunt, et insumunt. Concilium Trident. licet hanc controversiam dirimere noluerit (ut observat etiam Benedictus XIV. in suo aureo opere de Synodo Dioeces. lib. 7. cap. 2. num. 13.) ita tamen locutum est, ut nostrae favere doctrinae videatur. 1. itaque citat Concilium Carthag. IV. quod celebratum ante Beneficiorum separationem, dominium non agnoscebat in Ecclesiasticis. Deinde Apostolorum Canones allegat, qui pariter nullum Ecclesiasticis tribuunt dominium, sed meram concedunt administrationem. 3. Jubet Episcopis, ceterisque Beneficiariis, ne *reditus Ecclesiae*, quos vocat bona Dei, *consanguineis donet, sed si pauperes sint, ut pauperibus distribuant*, unde indicat superflua esse pauperibus eroganda. Ita sess. 25. cap. 1. de Reform. Idem statuit et S. Carolus in sua I, Mediolanensi Synodo tit. 63, concludens per haec verba. *Quamobrem per viscera misericordiae Jesu Christi obtestamur, atque monemus, ut meminerint, ea bona non esse sibi credita ad luxum, neque ad augendos consanguineos, sed ad vitam honeste, ut fidelem Dei ministrum, et pietatis christianae magistrum decet, traducendam. Ex eo vero quod superevit, si necessaria pauperibus denegaverint, intelligant se, quos non paverint, occidisse.*

Ab hac doctrina non recesserunt antiquiores Theologi, et Canonistae. S. Raimundus de Pennafort, qui floruit ineunte XIII. saeculo in Summa lib. 2. tit. 5. §. 8. Abbas Panormitanus in Cap. *Tuam* secundum de praebenda n. 2. et 4. Alexander Alensis p. 3. memb. 5. art. 2. B. Albertus M. in 4. dist. 5. Quibus consentit D. Th., quippe qui a novis opinionibus semper abhorruit, et doctrinis semper adhaesit constantissime communibus apud Patres, Concilia, et sui aevi Theologos. Plura habet hac de re luculentissima testimonia, quibus mentem suam aperuit, adeo ut si quae forte ambigua reperiantur, ad haec sint accomodanda, non haec ad illa trahenda. Sic itaque scribit Quod l. 6. » Dicendum, quod aliter videtur se habere circa » bona patrimonialia, et circa bona ecclesiastica. Nam bonorum pa- » trimonialium vel licite acquisitorum, homo vere est dominus..... » Bonorum vero ecclesiasticorum non sunt *vere domini, sed dispen- » satores*, secundum illud 1. ad Cor. 7. *Dispensatio autem mihi cre- » dita est.* Pertinet autem ad dispensatorem, ut fideliter distribuat » ea, quae ejus dispensationi committuntur, secundum illud 1. ad » Cor. 4. *Hic autem quaeritur inter dispensatores, ut fidelis quis inve-*

» *niatur.* In his ergo potest dupliciter peccatum contingere. Uno » modo ex conditione ipsius rei, dum scilicet usurpat sibi quasi rem » propriam, et in usus suos convertit id, quod esset aliis erogandum. » Alio modo ex inordinato usu eorum, quae in partem suam cedunt, » sicut etiam de aliis dictum est. Verum quia horum dispensatio fidei » dispensatoris committitur, ut dictum est, si quis bona fide dispen- » set ecclesiastica bona, inde accipiens quod sibi convenit secundum » conditionem status, et personae et aliis elargitur secundum quod » sibi videtur bona fide expedire; non peccat mortaliter, etiamsi » forte aliquid plus in suos usus convertat, quam oporteat. Talia » enim, quia in singularibus est eorum judicium, non possunt per » omnimodam certitudinem definiri. Unde si non sit multus excessus, » potest compati bonam fidem dispensatoris. Si verò multus exces- » sus fiat, non potest latere; et ita non potest cum bona fide di- » spensatoris hoc agi. Si autem non conservat bonam fidem in » dispensando, peccat mortaliter ». Idem repetit 2. 2. q. 185. a. 7. in corp. Favent huic sententiae innumeri propemodum Theologi, et Canonistae, S. Antoninus, Petrus Paludanus, Dionysius Cartus. Richardus, Henricus Gandaven. Valdensis, Gerson, Raphael a Turre, Martinus Wigandt, Reginaldus, Turrianus, Tannerus, Gregorius Lopez, Van-Espen, Bellet, Paulus a Lugduno, Ledesma, Natalis Alexander, Genetus, Paulus Layman, Gabriel Antoine, Henricus a S. Ignatio, Ludovicus Thomasinus, Christianus Lupus, Millante, et Cuniliati. Ideo jure meritoque scribere potuit Paulus Comitolus Resp. Moral. lib. 1: q. 70. » A recentis memoriae hominibus saepe ad- » dubitatum est illud, quod ab antiquis Magistris, et melio- » ribus auctoribus superioris atque adeo nostrae aetatis in con- » troversiam nunquam vocatum est, num ii, quibus Ecclesia- » stica Sacerdotia, Beneficiaque mandata sunt, sint bonorum, » fructuumque omnium, quae ex eis percipiuntur, veri domini, Au- » ctores, nescio quomodo, novam et periculosam opinionem post » mille et quingentos annos in christianam rempublicam invehere » conati sunt, eos, a quibus ecclesiastica Beneficia obtinentur, fru- » ctuum, quos illa pariunt, veros esse dominos, quorum ipsi opinionem » in iis libris, quibus Parochorum officia persecuti sumus, omni » machinarum genere convellere, atque evellere adorti sumus, horum » hominum sensum a Conciliorum Decretis, a Rom. Pontificum san- » ctionibus, a SS. Patrum sententiis, a Theologorum consensione, a » sacrorum Canonum gravissimis explanatoribus, et a certissima ra- » tione demonstravimus abhorrere ».

VI. *Objectiones in superexpositam doctrinam, diruuntur.*

Sunt et eorum Theologorum perpendenda argumenta, quibus Clericorum dominium conantur adstruere. Dicunt itaque 1. In Jure canonico, et in Conc. Trid. dicitur, Beneficiarios vel absentes a Choro et servitio Ecclesiae, vel Breviarium omittentes non *facere fructus* Beneficiorum *suos*: ergo si haec praestent, *suos* faciunt fructus, quorum proinde domini sunt. 2. Onus elargiendi eleemosynas de superfluis certum non est; ergo quum melior sit conditio possidentis, non sunt ex justitia cogendi ad superflua pauperibus eroganda. 3. Nullus pauperum jus habet ad ista superflua; non dando

igitur justitia non violatur. 4. Dissipatis superfluis, a quo fiet restitutio? Ab ipso Beneficiario? At non habet quod restituat. Ab accipientibus superflua? At quis hoc onus intolerabile imponet? 5. In bonis Ecclesiasticorum succedunt ab intestato consanguinei non minus quam in ceteris bonis, non reclamante Ecclesia: verum ergo dominium in utraque competere agnoscit Ecclesiae ministris.

At haec nimis levia sunt, ut oppositam valeant doctrinam convellere. Resp. igitur ad 1. verba Canonum, et Concilii Trid. solum significare, deficientes a suis muneribus non acquirere fructus, et redditus Beneficiorum, quibus uti non possunt ad sui sustentationem, sed debent illis se privare, et pauperibus, vel Ecclesiae cedere: non ergo dominium inferunt, sed usum; et si lubet etiam dicere dominium, hoc extenditur solum ad ea, quae sunt ejus sustentationi necessaria, non quae superflua. Ad 2. Onus elargiendi superflua intimum est ipsis bonis, quae talis indolis, et naturae sunt, et eo fine donata a benefactoribus, ut in usum cedant et sustentationem Ministrorum, et in pauperum alimoniam, ut patet in Capitularibus Caroli M. et clamant Concilia, et Patres. Jus ergo ad ea bona superabundantia habebant pauperes, antequam in possessionem Clericorum transirent: non poterant igitur Beneficiarii in possessionem immitti illorum bonorum, nisi cum onere servandi indemnes pauperes, et illorum jure illaeso: sicut haeres non adit haereditatem nisi cum onere jus alienum solvendi. Dubium igitur, quod comminiscuntur, non ex ratione, sed ex cupiditate oritur, et ab onere distribuendi superflua egenis Beneficiarios non liberat. Ad 3. Licet nullus singularis et privatus pauper jus habeat in haec determinata bona, pauperes tamen in communi jus habent ad omnia, quae Beneficiatis superabundant, et hoc sufficit ad inducendum onus restitutionis eo pacto, quo ad restitutionem teneretur, qui surriperet bona alicujus Monasterii, vel Communitatis, in quae licet singulatim Religiosi dominium, et jus non habeant, obtinent tamen omnes in communi. Ad 4. Beneficiarius, qui superabundantia dissipavit, tenetur restituere pauperibus ex bonis propriis sive patrimonialibus, si habeat: si vero non habeat, non adstringitur restituere, at non quia non debeat, sed quia non potest. Qui autem illa superflua acceperunt, si noverant esse pauperum, nec consumi potuisse a Beneficiato, tenentur proculdubio ex re accepta ad restitutionem. Si vero bona fide acceperunt, nec facti sunt ditiores, restituere non tenentur. Ceterum qui contrahunt cum Clericis non obstringuntur perpendere, num ex superfluis contrahant, sed supponere debent de suis disponere, quum delicta non praesumuntur, sed sint probanda. Ad ultimum. Illa consuetudo non est nec Ecclesiae statuto, nec ejus saltem approbatione inducta, sed merus abusus ab ea toleratus ad lites dirimendas; quae tamen sua generali lege reclamat: nam in Canone *Episcopi* 29. sic statuit: *Episcopi de rebus propriis vel acquisitis, vel quidquid de proprio habent haeredibus suis, si voluerint, derelinquant, quidquid vero de provisione suae Ecclesiae fuerit, sive de agris, sive de fructibus, sive de oblationibus, omnia in jure Ecclesiae reservare censuimus. Non obstat* (subdit Cajetanus 2. 2. q. 185. a. 7.) *si dicatur, quod jura illa sint per contrariam consuetudinem abrogata, sciente tanto tempore Romano Pontifice, et non reprehendente; quoniam non consuetudo, sed abusus est.*

CONSECTARIA.

I. *Quomodo Beneficiarii peccent circa residentiam.*

Non licet Episcopis tres menses unius anni cum trimestri sequentis conjungere, ut per sex menses a sua Ecclesia absint. Ita declaravit Sacra Congregatio, ut Fagnanus refert in Cap. *Qualiter de Clericis non resident.* Parochi vero nec per hebdomadam abesse possunt a sua residentia sine Episcopi licentia expressa, nec sufficit tacita. Ruralibus tamen Parochis satis est licentia Vicarii foranei ad brevem absentiam, quae si sit duorum, vel trium dierum, standum erit consuetudini Dioecesis, vel Synodi decretis. Ita Benedictus XIV. in Instit. 17. §. 11. et 12. Aeris intemperies non excusat nec Episcopum, nec Parochum a residentia. Nec onus residentiae implet qui noctem agit quidem loco, at summo mane, Missa celebrata, discedit, relicto substituto, et reliquum tempus agit in Civitate, et ita se gerit per majorem anni partem. Sic docet laud. Bened. cit. Instit. ex pluribus Decretis Sacrae Congr. n. 18. Nec satisfaciunt praecepto residendi Episcopi, et Parochi sola corporali praesentia, nisi etiam pastoralis officii munia per se ipsos exerceant. Ita aperte colligitur ex Trident. Concilio, quod Pastorum residentiam postulat non ad otiosam corporalem praesentiam, sed (ita sess. 23. cap. 3.) *ut divinorum praeceptorum memores, factique forma gregis in judicio, et veritate pascant, et regant.* Nec demum excusantur a residentia Parochi, vel quia tenuiores, vel etiam tenuissimos fructus percipiant, sive quia paucissimi sint Parochiani, ut declaravit sacra Congregatio Concilii interpres.

II. *Praelati Regulares tenentur, diebus festis, Missam pro subditis celebrare.*

Praelati Regulares curam animarum habentes tenentur diebus festis juxta Decretum Benedicti XIV. Missam pro suis subditis celebrare. Nam ita aperte statuit Concilium Trid. quod dicit: *Quum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre.* Et revera non minus cura incumbit Praelatis Regularibus, quam Parochis pro grege sibi commisso.

III. *Qui bona habent patrimonialia, de redditibus ecclesiasticis, vivere utique possunt.*

In praesenti Ecclesiae disciplina non videtur illicitum, ut qui bona obtinent patrimonialia, de redditibus ecclesiasticis vivant, nisi gravis urgeat pauperum necessitas. Non repugnat enim, ut qui *Altari deservit, et de Altari vivat*; et, ut inquit Apostolus, *quis militat stipendiis suis unquam?* Quis plantat vineam, e de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Nec Ecclesia repellit a Beneficiorum perceptione Clericos, qui patrimonia obtinent etiam pinguiora. Addidi tamen, *nisi gravis urgeat pauperum necessitas,* quia tunc debet ex suo patrimonio vivere, quum bona illa sint in pauperum subsidia praecipue ordinata. Ita docet S. Th. 2. 2. q. 185. a. 7. ad 3. ubi ait: » Non omnia bona Ecclesiarum sunt pauperibus » largienda, nisi forte in articulo necessitatis, in quo etiam pro re- » demptione captivorum, et aliis necessitatibus pauperum vasa cultui

» divino dicata distrahuntur, ut Ambrosius dicit. Et in tali necessitate » peccaret Clericus si vellet de rebus Ecclesiae vivere, dummodo » haberet patrimonialia bona, de quibus vivere posset ».

IV. *Beneficiarii possunt de necessariis sibi subtrahere, et dare consanguineis, si egentes sint.*

Licitum est Beneficiariis de sibi necessariis ad sui sustentationem aliquid subtrahere, ut consanguineis auxilientur, si egentes sint, non vero ut ditescant. Ratio est, quia quum fructus illos juste consumere possint in suos usus et necessitates, non prohibentur illis seipsos privare. Ita docet S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. ad 2. Caveant tamen Beneficiati, ne putent sibi parsimoniae titulo subtracta, quae non expendunt in luxu, pompis, conviviis opiparis, ludis, similibusque, quia ista tantum abest, ut statui ecclesiastico necessaria sint, quin immo nec decent; sed revera in victus, et vestitus, commodorumque parcitate consistant, semper prae oculis habentes, illa esse Ecclesiae bona solum in pios usus expendenda.

V. *Quid dicendum de distributionibus, de eleemosynis Missarum, de stipendiis pro Concionibus, nec non de illis qui Commendas habent.*

Nec Canonici de quotidianis distributionibus, nec Beneficiarii de Missarum, et Exequiarum eleemosynis, nec Concionatores de stipendiis pro concionibus ad libitum disponere possunt. Semper enim haec officia sacra sunt, et quidquid pro illis rependitur, non datur pro mercede laboris corporalis; alioquin jam nulla esset simonia in mundo, quum nullum sit opus tam sacrum et spirituale, quod sine aliquo corporali labore administrari queat, sed datur pro sustentatione ministri. Ita diserte S. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. Qui etiam pensiones, vel Commendas obtinent, tenentur superflua ad sui sustentationem pauperibus erogare. Nam pensiones partes sunt redditnum beneficiorum, quae ex eo quod sint a Beneficio separatae, et sejunctae conditionem suam non amittunt; nec eas concedit Sanctus Pater, ut in profanos usus expendantur, sed titulo sustentationis, et pietatis. Idem dicendum et de Commendis, quae ex bonis pariter ecclesiasticis constituuntur, multoque magis si ipsa Beneficia dentur in Commendam: quum enim tunc Commendatarius loco sit Beneficiarii, sicut et hujus commoda percipit, ita et onera ferre tenetur.

§. VI.

De Beneficiorum vacatione.

I. *Modi, quibus beneficia vacare queunt.*

Pluribus modis vacare beneficia queunt. Primus et potissimus est per mortem Beneficiarii. 2. Per renunciationem, vel resignationem, sive cessionem, quae est voluntaria dimissio Beneficii coram Ordinario legitime facta. 3. Per Professionem religiosam. 4. Per validum matrimonium. 5. Per consecutionem alterius Beneficii incompatibilis. 6. Ob varia crimina perpetrata, quae Beneficiis omnibus ipso facto privant.

II. *Resignationes puras, admittere possunt Ordinarii.*

Resignationes puras admittere possunt Ordinarii legitimis de caussis. Resignationes vero conditionatas, cujusmodi sunt resignationes in fa-

vorem alterius, vel cum reservatione fructuum, vel pensionum, solus Rom. Pontifex potest admittere. Caussae legitime resignationis a S. Pio V. designatae fuerunt in Constit. 58. anni 1568. et hae ferme sunt. Impotentia Beneficiati ad ecclesiasticum ministerium vel ob nimiam et aegram senectutem, vel ob infirmitates. Si fiat coecus, mutus, claudus, vel corpore ob alicujus membri abscissionem notabiliter deformatus. Si sit publice scandalosus, ebrietatis deditus, concubinarius. Si sit exilio multatus. Si denique ob capitales inimicitias, vel populi odium non valeat, aut audeat in loco residere.

III. *Vacant Beneficia per professionem religiosam.*

Per professionem religiosam vacant Beneficia, servata tamen forma a Concilio Trident. constituta, quod sic statuit sess. 25. cap. 16. de Regul. *Nulla renunciatio, vel obligatio antea facta; etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque caussae piae valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem: ac non alias intelligatur effectum sortiri, nisi secuta professione: aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renunciatione etiam jurata, sit irrita, et nullius effectus.*

IV. *Vacant Beneficia per matrimonium validum.*

Per matrimonium validum, etiam non consummatum vacat Beneficium, quia sic se gerens Clericali statui abrenunciat, et incompatibilem cum illo assumit, et *quia*, ut inquit Alex. III. in Cap. *quod ad te* de Cler. conjug. *simul voluptatibus, et carnalibus desideriis, ac divinis et ecclesiasticis obsequiis vacare non valent.* Dixi per validum matrimonium, quia si nullum sit, dissident Theologi. Nonnulli censent ipso facto vacare, quum etiam per matrimonium nullum virtualiter sic se gerens virtualiter renuntiet Beneficio, et ostendat se velle, Clericalem statum relinquere. Alii negant, quia matrimonium nullum idem est ac si matrimonium non esset, nec per illud potest vacare voluptatibus et carnalibus desideriis. Alii denique distinctione utuntur. Nimirum si matrimonium contraxit bona fide, et cum debita solemnitate ignorans impedimentum, et nullitatem non amittit jus ad Beneficium, quod ipso facto amittit, si scienter et mala fide contrahat. Salmaticenses arbitrantur per matrimonium quocunque modo nullum non amitti ipso facto jus ad Beneficium, sed requiri sententiam Judicis criminis, si adsit, declaratoriam.

V. *Vacant etiam per aliqua crimina.*

Simonia, haeresis, sodomia, intrusio suimet in Beneficium, Episcopi, vel Cardinalis percussio, falsificatio literarum Apostolicarum, et homicidium qualificatum, cujusmodi foret Patris, vel Matris occisio, vel per sicarium mercede conductum, crimina sunt, quae Beneficiorum privationem ipso facto inferunt; requiritur tamen sententia Judicis criminis declaratoria, quae vim habet a die patrati sceleris, adeout et amittat, et privetur omnibus redditibus et fructibus perceptis, et nulla sit vel resignatio vel permutatio post crimen patratum facta, sed rescindi possit. Sunt et alia crimina, puta homicidium simplex, adulterium, perjurium in judicio, et similia, ob quae non ipso facto Beneficio privantur, sed privari possunt rei per sententiam Judicis non solum declaratoriam criminis, sed et condemnatoriam.

VI. *Vacant quoque per promotionem ad Episcopatum.*

Quaenam sint Beneficia compatibilia, et incompatibilia, jam superius diximus, et Decreta attulimus Trident. Concilii. Solum hic dicemus, per promotionem ad Episcopatum omnia obtinentis eam dignitatem Beneficia vacare, et etiam pensiones, et jus seu facultatem eas transferendi, ut communiter docent Canonistae. Tunc vero censentur vacare ex stylo Curiae statim ac est promotus et confirmatus a Summo Pontifice. Quod tamen non est intelligendum de Episcopis Titularibus; quorum Beneficia per promotionem, et consecrationem non vacant. Pari jure vacant etiam omnia Beneficia per promotionem ad Abbatiam saecularem, quae jurisdictionem habeat quasi Episcopalem, quum Episcopatui aequiparetur.

CONSECTARIA.

I. *Quando valeat renunciatio in infirmitate facta.*

Qui in infirmitate Beneficium renunciat, nisi in vivis agat per dies viginti post resignationem, haec nulla est, et Beneficium vacare censetur per obitum Beneficiarii. Nec potest infirmus in periculo mortis constitutus Beneficium resignare cum spe regressus, si convalescet, quum a Trid. Synodo omnes ad Beneficia regressus vetiti sint sess. 25. cap. 1. de Reform. his verbis: *Nemini in posterum accessus, aut regressus, etiam de consensu, ad Beneficium Ecclesiasticum cujuscunque qualitatis concedatur.* Quod confirmavit et S. Pius V, in Bulla *Romani Pontificis.*

II. *Statuta Benedicti XIV. circa Beneficiatos, Religionem ingredientes.*

De Beneficiatis Religionem ingredientibus statuit Sum. Pontif. Benedictus XIV. juxta Trid. Concilii mentem, ut Beneficium non vacet, nisi post professionem, tempore vero intermedio inter ingressum, et professionem, quoad Beneficia curata, debet Episcopus eo modo se gerere, ut quando Parochus aliquo detinetur impedimento. Quoad Beneficia vero choralia, relictis tyroni religioso ipsius Beneficii fructibus, de distributionibus ita statuat, ut jura praescribunt. Si forte Beneficiatus Religionem ingressurus Beneficium suum dimitteret (quae renunciatio admitti non potest ex Constit. 58. S. Pii V.) sive eam renunciationem faceret juxta statuta a Concilio Trid., nihilominus in suspenso remanere debent ea Beneficia, nec potest Episcopus alteri conferre, nisi post factam a renunciante solemnem professionem. Ita in litteris ad Card. Quirinum Bull. T. 2. n. 25. Qui etiam docet posse Presbyteros Ecclesiae, vel Dioecesis servitio addictos ad regularem statum, etiam proprio invito Episcopo, transire; tenentur tamen, nisi aliquid obstet, illum consulere.

CAPUT IV.

De Vitiis Religioni oppositis.

I. *Vitia Religioni opposita per excessum, et per defectum.*

Quemadmodum et ceterae morales virtutes, ita et Religio sua habet opposita vitia et per excessum, et per defectum. Vitium oppositum per excessum vocatur generali nomine superstitio; oppositum vero

per defectum dicitur irreligiositas. Superstitio definitur a S. Th. *Vitium Religioni oppositum secundum excessum .... quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet.* Ex ejusdem S. Doct. doctrina, quam habet 2. 2. q 92. et aliis in locis omnes superstitionis species ad quatuor revocari queunt, quae ceteras omnes minutiores divisiones complectatur, nimirum Superstitio indebiti cultus, Superstitio idololatriae, Superstitio divinationis, Superstitio vanae observantiae. De quibus omnibus hoc in capite agemus. Ex parte vero defectus Religioni opponitur irreligiositas, quae contemptum eorum importat, quae ad divinum pertinet cultum; et haec quatuor pariter complectitur species, quas sic enumerat S. Th. nimirum tentationem Dei, perjurium, sacrilegium, et simoniam, quas suo loco explicabimus, excepto tamen perjurio, de quo in secundo Decalogi praecepto, ubi de juramento, et voto disputabimus.

§. I.

De superstitione indebiti cultus, et de Idololatria.

I. Ad dignoscendum, num in aliqua actione vitium lateat superstitionis, hae regulae observandae communiter a Theologis proponuntur.

Reg. 1. *Quando actio, quae ut medium adhibetur ad aliquem obtinendum effectum, nullam habet cum eodem connexionem, vel influxum, sive ex natura sua, sive ex institutione divina, tunc facile est subrepere superstitionem.*

Attendendus est igitur nexus inter caussam, et effectum, medium, et finem, et quando nullus apparet, immo summa elucet disparitas, omittenda ceu de superstitione suspecta. Hujusmodi esset salem ponere die prima Aprilis in quatuor angulis pascuorum, ut pecora a maleficio serventur, quum nulla sit connexio inter effectum et caussam, et hujus generis plures sunt inter christianos praecipue rudes, de quibus nonnulla in Consectariis.

II. Reg. 2. *Quotiescunque aliquod etiam pietatis opus nihil confert vel ad gloriam Dei, vel ad utilitatem animae, et praecipue si Ecclesiae ritibus vel consuetudini adversetur; superstitiosum reputandum est.*

Peccant contra hanc regulam qui Missam audire nolunt nisi ante solis ortum, vel putant, eam magis prodesse, vel orant adhibito tali numero, ordine, et colore cereorum. Tripliciter autem contingit, ut superstitioso modo seu inordinato Deum colamus, nimirum cultu vel falso et pernicioso, vel turpi et indecenti, vel simpliciter superfluo. Falsum cultum explicat S. Th. 2. 2. q. 93. art. 1. ostendens ex duplici capite oriri posse, nimirum » Si per cultum exteriorem aliquid » falsum significetur, erit cultus perniciosus; et hoc modo tempore » novae legis perniciosum est uti caeremoniis veteris legis, quibus Christi » mysteria figurabantur futura .... Alio modo potest contingere » falsitas ex parte colentis .... sicut enim falsarius esset, qui aliqua » proponeret ex parte alicujus, quae non essent ei commissa, ita » vitium falsitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiae cultum exhibet » Deo contra modum divina auctoritate constitutum, et in Ecclesia » consuetum ». Et ideo falsarius esset, qui vel falsa miracula

jactaret, vel falsas Reliquias proponeret adorandas. Modus vero turpis aut indecens habetur, quum verba vel res divino cultui miscentur, quae non in Dei gloriam, sed in offensam cedunt, ut quum turpia, et obscoena miscentur psalmis, et musica, seu organa, quae in divino officio adhiberi solent lasciviam redolent. Simpliciter vero superfluus ille est, de quo diximus reg. 2. qui nihil habet conferens ad gloriam Dei, et salutem animae. Inter superstitiosos quoque illos enumerat Doctor Angelicus cum Augustino, qui exterioribus tantùm Religionis actibus Deum colunt, quum interim peccata vitare non curant, nihilque sunt de interiori sanctitate, at gratia solliciti.

III. *Idololatria quid sit, et quotuplex.*

Idololatriae crimen committitur, juxta S. Th. *Quum cuicumque creaturae cultus exhibetur, qui exhiberi debet soli summo Deo increato.* Triplex esse potest, nimirum completa et formalis, quando scilicet est cum infidelitate conjuncta: quia scilicet putat creaturam esse Deum, divinoque honore colendam. Incompleta, quando quis sciens creaturam non esse Deum, nihilominus eam colit, et adorat, ut sibi propitiam efficiat, ut contingit in illis, qui Daemonem invocant et adorant, ut aliquid ab ipso consequantur. 3. Materialis, et imperfecta, ut quando quis exteritus timore mortis thus offert Idolo, quod interius in animo detestatur.

IV. *Quodnam peccatum sit Idololatria.*

Primum idololatriae scelus gravissimum omnium dicit S. Th. et quidem non solum illorum, quae religioni aliisque virtutibus moralibus opponuntur, sed etiam omnium absolute, quatenus tamen infidelitatem complectitur, et odium Dei, per quod etiam Theologicis adversatur virtutibus. Secunda vero idololatriae species gravissimum quoque peccatum est. Tertia vero minor est quidem aliis, at semper lethale peccatum. Immo, ut optime animadvertit S. Thom. art. 3. q. 94. *ex parte ipsius peccantis* graviora dici possunt peccata secundae, et tertiae idololatriae, *quia*, inquit, *dicitur gravius esse peccatum ejus, qui peccat scienter, quam ejus, qui peccat ignoranter, et secundum hoc nihil prohibet gravius peccare haereticos, qui scienter corrumpunt fidem, quam acceperunt, quam idololatras ignoranter peccantes.*

CONSECTARIA.

I. ***Quinam sint rei superstitionis habendi ex cultu falso, et pernicioso.***

Rei lethalis superstitionis sunt habendi, qui ritus antiquos Hebraeorum adhibent Agnum immolando in Paschatae, vel a suina carne abstinentes, quippe qui falso cultu et jam pernicioso Deum colerent. Sicut etiam qui falsas Reliquias colendas proponeret, vel falsa et ficta miracula praedicaret, vel in signum falsi miraculi votum imagini alicujus Sancti suspenderet, reus esset superstitionis, et quidem gravis; quippe qui falso cultu Deum honorare praesumeret, et Deum colere mendacio: nec simplicitas aut ignorantia excusare potest, quum haec locum quidem habere queat in illis, qui miracula, quae in libris legerunt, narrant putantes vera esse; vel qui Reliquiam aliquam colunt existimantes esse vere vel illius, cui tribuitur, vel alterius Sancti; at non in illis, qui turpis lucri caussa populos hisce super-

stitionibus fallunt. Non peccant tamen, qui a carnibus abstinent etiam in die Paschatis, quum hoc ex poenitentiae spiritu proficiscatur, ut patet in pluribus regularibus Ordinibus, qui a carnibus toto anno abstinent. Jejunare autem diebus Dominicis, in quibus semper Ecclesia a jejunio abstinuit, nisi fieret errore Manichaeorum, qui in contemptum Dominicae Resurrectionis jejunabant, omni superstitione vacare potest; a more tamen Ecclesiae ob privatam devotionem non est recedendum.

II. *Quinam sint rei superstitionis, ex supradictis capitibus.*

Superstitionis rei sunt, qui verba insusurrant in aures vel aequorum, ut eos ab intestinorum doloribus liberent, vel hominis morbo regio correpti, ut sanetur, et qui versus aliquos Psalmorum, vel Scripturae recitant ad compescendos canes rabidos, vel sistendum sanguinis fluxum e naribus; quum haec juxta S. Th. doctrinam nullam habeant cum effectu naturalem connexionem, nec a Deo, sive ab Ecclesia sint ad illos producendos instituta. Licet vero nullam contineat superstitionem Cruces, Imagines, Rosaria, Reliquias, aliaque sacra signa collo suspensa deferre, immo sit pietatis et religionis actus; nihilominus in superstitionem degenerare potest, si quis putet per ea se vel invulnerabilem fieri, vel mori non posse subitanea morte, vel in aquam lapsum non mergi, vel ab hostibus non videri, etsi illis occurrat, quia non sunt ad hoc instituta ab Ecclesia, sed solum ut quis se Christo, Deiparae; vel Sanctis commendet, qui illum in periculis adjuvent, non vero ut haec prodigia infallibiliter praestent. Ita S. Thom. 2. 2. q. 96. art. 4. ad 3. Superstiosum autem omnino est appensas ad collum vel super se deferre chartulas ignota nomina continentes, licet plura sint verba vel nomina sacra immixta, vel numismata, aerea argentea, sive plumbea cum insculptis signis, et imaginibus, ut ab aliquibus malis, et periculis ipsi liberentur, vel mulierum amorem sibi concilient, et similia.

§. II.

De ceteris superstitionis speciebus, Divinatione, et vana observantia.

I. *Definitio Divinationis.*

Divinatio sic definitur a S. Th. 2. 2. q. 95. art. 2. *Vana inquisitio futurorum, qua aliquis futurum praenoscere tentat, unde praenosci non potest.* Speciem autem esse superstitionis ostendit; *quia omnis divinatio ex operatione daemonum provenit;* vel scilicet quia Daemones expresse invocantur, dum quis cum Daemone paciscitur, ut positis talibus signis aliqua praesciat, vel efficiat; vel implicite, quando aliqua ponuntur ad futura praescienda prorsus inepta, in quae postea Daemon se ingerit, ut homines vanitate implicet.

II. *Tria Divinationum genera, et aliae species plures.*

Ex hoc expresso vel tacito pacto cum Daemone tria divinationum genera deducit S. Th. art. 3. nimirum 1. per manifestam invocationem Daemonum, quod pertinet ad Necromanticos. 2. Per solam considerationem, dispositionem, vel motum alterius rei, quod pertinet ad Augures. 3. Dum aliquid facimus, ut nobis manifestetur aliquid

occultum, quod pertinet ad Sortes. Tria autem haec genera divinationum in plures distinguit classes juxta varios modos, quibus Daemon se ingerit ad futura designanda. Nam si quibusdam apparitionibus se aspectui et auditui hominum se ingerunt Daemones ad praenuncianda futura, vocatur *praestigium*. Quando per mortuorum apparitionem vel locutionem, dicitur *necromantia*. Quando per homines vivos, est divinatio per Pythones. Quando per figuras et signa, si quidem appareant in aliquo corpore terrestri, vocatur *geomantia*, si in aqua, *hydromantia*, si in aere *aeromantia*, si in igne, *pyromantia*; si autem in visceribus animalium immolatorum in aris Daemonum, haruspicium. In his vero divinationibus, quae sine expressa Daemonis invocatione fiunt, sed inepta adhibentur ad futura praenoscenda, rursus plures distinguit classes S. Th. Si enim quis praenoscere futura conatur ex consideratione situs, et motus syderum, hoc pertinet ad Astrologos, qui et *Genethliaci* vocantur. Si vero per motus vel voces avium, seu quorumcumque animalium, sive per sternutationes hominem, vel membrorum saltus, hoc pertinet generaliter ad *augurium*, sive *auspicium*. Si vero fiat consideratio circa verba hominum absque intentione dicta, quae quis retorquet ad futurum, quod vult praenoscere, hoc vocatur *omen*. Si lineamentis manuum, *chiromantia*, si in spatula alicujus animalis, *spatulamantia*: Si quae autem ab hominibus serio fiunt ad aliquid occultum inquirendum per protractionem punctorum, pertinet ad artem *geomantiae*, si vero per considerationem figurarum, quae proveniunt ex plumbo liquefacto in aqua projecto, vel ex quibusdam schedulis vel scriptis, vel non scriptis in occulto repositis, vel ex festucis inaequalibus propositis, vel taxillorum projectione, vel dum consideratur, quod aperienti librum occurrat; haec omnia *sortium* nomen habent.

III. *Divinatio quodnam peccatum sit.*

Divinationem per Daemonum expressam invocationem gravissimum esse crimen ostendit S. Doct. art. 4. et maxime si sacrificium vel reverentia Daemoni invocato exhibeatur. Similiter et eam reprobat divinationem, qua quis » astrorum consideratione utitur ad praeco» gnoscendos futuros casuales, vel fortuitos eventus, aut etiam ad » cognoscendum per certitudinem futura opera hominum ». Divinationem vero per somnia, quum haec ex pluribus caussis, vel bonis, vel naturalibus, vel malis possunt proficisci, docet non esse illicitam, si somnia procedant ex revelatione divina, ut contingit in somnio Pharaonis, et Nabucodonosor; vel ex caussa naturali sive intrinseca, sive extrinseca, quantum potest se virtus talis caussae extendere. Si vero hujusmodi divinatio caussetur ex revelatione Daemonum, cum quibus pacta habentur expressa vel tacita, erit divinatio illicita, et superstitiosa. De haruspicio autem et augurio statuit, ex motu et garritu avium, vel quarumcumque dispositionum in his consideratarum futura cognosci non posse sicut ex caussis. Possunt tamen esse futurorum signa aliquando naturalia, ut ex adventu vel recessu hirundinum colligitur vernum vel hyemale tempus proximum esse; at si extendatur ultra id, quod potest pertingere secundum ordinem naturae vel divinae providentiae, divinationem inde deductam superstitiosam esse et illicitam docet.

IV. *Divinatio per sortes quotuplex sit, et quodnam peccatum.*

Quoad divinationem vero per sortes eam trifariam Angel. Doct. dividit art. 8. in divisoriam, consultoriam, et divinatoriam. Et quidem in sorte divisoria, *quando aliqui non valentes aliquid concorditer dividere, velint sortibus ad divisionem uti, quasi fortunae exponentes quam quis partem accipiat*, nullum agnoscit vitium, nisi forte vanitatis, quod etiam abest, quotiescunque pro bono pacis hoc medium eligitur. In sortibus vero consultoriis si judicium expectetur a Daemone, sunt illicitae hujusmodi sortes, et a Canonibus prohibitae. Si vero expectetur a Deo, licet *secundum se malum non sit talis sors*, observat tamen, in ea posse quadrupliciter peccatum contingere. 1. *Si absque ulla necessitate ad sortes recurratur.* 2. *Si quis etiam in necessitate absque reverentia Dei sortibus utatur.* 3. *Si divina oracula ad terrena negotia convertatur.* 4. *Si in electionibus Ecclesiasticis, quae ex Spiritu Sancti inspiratione fieri debent, aliquis sortibus utatur.* Concludit tamen *si necessitas inmineat, licitum esse cum debita reverentia sortibus divinum judicium implorare.* Sortem vero divinatoriam illicitam pronunciat, *quando quis ea intentione sortibus utatur, quasi actus humani secundum dispositionem stellarum sortiantur effectum*, vel a Daemone expectatur futurorum notitia.

V. *Vana observantia quid sit, et quotuplex.*

Vana observantia ex D. Thom. definiri potest: *Superstitio quaedam, qua ineptis instrumentis nec a Deo, nec a natura institutis ad aliquid producendum quis utitur.* Eam dividit Doctor Angelicus q. 96. ar. 1. *in artem notoriam, observantiam sanitatum, et futurorum eventuum divinationem.* Artem notoriam illam esse dicit, » quae utitur inspe- » ctione quarundam figurarum, et prolatione quorundam ignotorum » verborum ad scientiam acquirendam, et quidem his utitur non ut » caussis, sed ut signis ». Illicitam vero esse, et inefficacem ostendit, » quia hujusmodi signa secundum se habent virtutem caussandi » scientiam, nec sunt signa divinitus instituta, sicut sunt sacramen- » talia signa; unde relinquitur, quod sint supervacanea signa, et per » consequens *pertinentia ad pacta quaedam cum Daemonibus placita* » *atque foederata*; et ideo ars notoria penitus est repudianda ». De observantia vero sanitatum animadvertendum docet, utrum ea, quae adhibentur » naturaliter possint tales effectus caussare, et sic non » erit illicitum etc. Si vero naturaliter non videantur posse tales » effectus caussare, consequens est, quod nec adhibeantur ad hos » effectus tanquam caussae, sed solum quasi signa, et sic pertinent » ad pacta significationum cum Daemonibus inita ». Pari pacto de futurorum eventuum observantia docet S. D. art. 3. » Quod homines » hujusmodi observationes attendunt non ut quasdam caussas, sed » ut signa quaedam futurorum eventuum vel bonorum, vel malorum. » Non observantur autem sicut signa a Deo tradita, quum non sint » introducta ex auctoritate divina, sed magis ex vanitate humana . . . . » Et ideo manifestum est, hujusmodi observationes superstitiosas esse, » et illicitas, et videntur esse quaedam reliquiae idololatriae, secun- » dum quam observantur auguria, et quidem dies fausti, vel in- » fausti ».

CONSECTARIA.

I. *In salutis discrimine, versantur qui astrologiam judiciarium exercent; et lethaliter peccant qui astrologos consulunt.*

In certo suae salutis discrimine versantur; qui astrologiam judiciariam exercent, et futura libera praedicere profitentur sive ex astris sive ex signis vel manuum vel frontis, et similibus, etiamsi non certo sed probabiliter, vel conjecturaliter se divinare affirment; nec absolvendi, nisi ab arte desistant; quia *in his*, ait S. Thom., *se Daemonis operatio immiscet.* Contra hos Sixtus V. sua Const. *Coeli et terrae Creator* anni 1586. statuit, et mandat, *ut .... contrafacientes judicia, et nativitates hominum, quibus de futuris contingentibus successibus.... ex humana voluntate pendentibus, aliquid eventurum affirmare audent, etiamsi id non certo affirmare asserant, aut protestentur .... inquirant, et procedant, et in eos severius canonicis poenis, et aliis eorum arbitrio animadvertant.* Non minus lethaliter peccant, qui eos consulunt, audiunt, interrogant, vel credunt, quum divinatio, in qua Diabolus sese immiscet, de se lethale peccatum sit, non minus quam fornicatio, blasphemia etc. Praeterea homines istos in sua arte pecunia sua et consultatione detinent, eorumque pravo operi cooperantur. Num autem rudiores aliqui pueri et puellae sint a lethali excusandi ob ignorantiam, vel simplicitatem, vel quia illis non credunt, videat in praxi peritus Minister; et ego quidem puto, aliquando, licet raro excusari posse a lethali, praesertim si ipsi non se ultro ingerant, sed illecti, vel decepti audiant. Nec a lethali excusatur qui Astrologos de futuris interrogat solius curiositatis caussa; quia futura contingentia vel occulta nosse velle per divinationem de se lethale est: nam curiositas, quae petitae divinationis caussa est, superstitionem ab ipsa divinatione non tollit, adeoque peccatum non minuit. At quid de illis, qui joci caussa se petere dicunt? Ii sunt illis accensendi, de quibus in Scriptura dicitur: *Stultus quasi per risum operatur scelus.* Nam per hoc scandali rei sunt, et cooperationis ad alterius superstitionem, ad quam ipsi petendo et concurrunt, et impellunt.

II. *Somniis fidem adhibere, de se lethale peccatum est.*

Somniis fidem adhibere de se lethale peccatum est, quando per ea occulta et futura quis praenoscere posse arbitratur. Nam licet somnia aliquando a Deo esse possint, ut quum ad peccatum fugiendum impellunt, vel ad mores mutandos; et tunc illis attendere non solum superstitiosum non est, sed laudabile: nihilominus frequentius vana sunt, et inutilia ad occulta noscenda, vel ad futura praescienda, nec cum illis ullam habent naturalem connexionem; proinde cognitio, quae ex illis hauritur, temeraria est, vanae, et falsae innixa opinioni. Porro, ut docet S. Th. 2. 2. q. 95. a. 6. *Divinatio, quae innititur falsae opinioni, est superstitiosa, quia*, ut ipse subdit, *hujusmodi divinatio extenditur ad quod se non potest extendere.* Quod multo magis verum erit si quis ut futura, vel occulta ex somniis praenosse possit, se certo situ et modo in cubili sternit, vel sub pulvinari nummos, vel alia ponit, ut de futuris sortibus, vel aliis eventibus instruatur.

III. *Futura ariolari ex motu animalium, superstitiosum est.*

Superstitiosum est ex motu, volatu, occursu animalium futura vel occulta ariolari; quamvis juxta S. Th. aeris, vel temporum immutationem ex garritu, aut volatu quorundam animalium licitum sit colligere. Hinc peccant, qui ut infausta habent, si in egressu domus canis vel felis occurrat, si vestes fuerint a soricibus corrosae, si in porta pedem ad lapidem, vel caput ad fores alliserit, si sternutaverit, et similia, unde vel domum revertuntur, vel negotia, et quae agere statuerant, abrumpunt.

IV. *Non licet sortibus uti ad ecclesiastica officia, bene vero ad saecularia.*

Sortibus uti in electione ad ecclesiastica officia, vel Beneficia a canonibus vetitum est: ut constat ex Cap. *Ecclesia* extra de sortilegiis, ubi dicitur: *Sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnamus.* Electiones tamen hujusmodi ad Beneficia, et officia ecclesiastica licet illicitae, invalidae tamen non sunt, excepta electione Praelati Ecclesiae, qui jurisdictionem habeat tum in criminalibus, cum in civilibus, quippe quia haec electio expresse non solum ut illicita sed etiam ut nulla prohibetur, et declaratur Cap. *Quia propter* de electione. Quoad dignitates vero saeculares sortium usus licitus est: quia nullo jure vetita est hujusmodi per sortes electio, nec de se ullam continet superstitionem. Peccatum tamen committi potest 1. si sortes non inter idoneos ad officia mittantur, sed promiscue et idoneos et imperitos una urna complecteretur: tunc enim violaretur justitia distributiva, quum minus idoneis officia et ministeria etiam temporalia obtingere possent. 2. Si juxta S. Th. absque ulla necessitate ad sortes recurratur: hoc enim videtur ad Dei tentationem pertinere. Oportet igitur, ut sortitia licita sit, omnes esse idoneos ad officium et ministerium, et omnium merita ita aequalia, ut discerni non possit, quis melior; vel etiam si tot praemia non suppetant, quot sunt qui ea merentur: tunc enim sorte possunt distribui.

V. *Peccata quaedam vanae observantiae, enumerantur.*

Vanae observantiae peccatum est quosdam dies tamquam faustos, vel infaustos observare ad actiones suas dirigendas, ut qui herbas colligunt in die S. Jo. Baptistae, putantes eas vim majorem habere ad quosdam morbos curandos; qui die S. Stephani Protomartyris pane, et aqua jejunant putantes se fore invulnerabiles; qui die Veneris vel negotium ullum incipere, vel iter aggredi nolunt putantes infaustum diem esse, et sexcenta hujusmodi. Quemadmodum etiam qui quaedam vana vel fugiunt, vel sectantur, putantes fausta esse, vel infausta. Cujusmodi sunt, qui ad mensam sedere timent, si tredecim sint commensales, quia putant ex illis unum eo anno moriturum; sicut qui tertium in sternendo lecto adjutorem rejiciunt, quia juniorem credunt cito moriturum; qui ungues certis diebus abscindere nolunt; qui gladium, quo quis vulneratus est, medicamentis liniunt, ut aeger sanetur, et similia. Quippe quia haec omnia, ut patet, plane superstitiosa sunt, quum nulla intersit inter effectum, et caussam connexio naturalis, sed nec a Deo inducta: superest igitur, ut si quis sit nexus, a Daemone proficiscatur.

V. *Inutilia ad effectum adhibere, superstitiosum est.*

Quum aliqua prorsus inutilia ad aliquem effectum adhibentur, praesertim si ex sola fiat curiositate, licet praemittatur protestatio, per quam omnem Satanae concursum, si qui foret, se abjicere et detestari quis affirmet, superstitionis tamen crimen non evitatur: quia haec protestatio inepta prorsus est, et facto ipso enervatur, nam quod adhibetur, inutile et vanum est, proinde superstitiosum, et nulla adest legitima ita agendi vel praestandi ratio. Pari pacto si etiam dubitatur, num res sit inutilis et vana, vel an revera aliquis latere possit nexus inter rem et effectum, nisi necessitas urgeat, prorsus abstinendum est, quum peccandi periculum totis viribus vitare teneamur. Si vero vel justa agendi ratio, vel necessitas adsit, et credi possit rem cum effectu suo posse congruere, facta interna protestatione, illicitum non erit adhibere. Hinc ex primo capite prorsus superstitiosum est, etiam emissa protestatione, annulo vel globulo ex filo suspenso, ac inter pollicem et indicem retento uti ad indicationem horarum, quum hoc plane sit superstitiosum, nec nisi Satanae ministerio hora valeat designari. Ex secundo capite non licet virga uti ad detegendas aquae venas (ad dignoscendos enim vel defossos thesauros, vel fures, vel res deperditas plane superstitiosum esse, nullus est, qui ambigat), nam incertum plane est, num aquae sub terra latentes in virgam ita valeant effluere, ut eas concutere possint, et movere, si praesertim id fiat ex sola explorandi curiositate. Quod si necessitas adinveniendae aquae revera urgeret, praemissa protestatione, non illicitum putarem, praesertim si nihil vanum, et inutile adjungatur.

§. III.

De Magia, et Maleficio.

I. *Definitio Magiae, ejusque divisio.*

Magia in universum definiri potest *Ars, per quam mira, et insolita fieri ab hominibus videntur.* Quum vero haec, quae mira sunt, et insolita et fieri possint per artem et scientias, praesertim mathematicas, et ope Daemonis, duplex oritur Magiae divisio, scilicet in naturalem, et superstitiosam. Priorem definire possumus *Artem, qua per naturales caussas communiter occultas miri, et insoliti producuntur effectus,* ut contingit in Optica, Dioptrica, et Catoptrica, aliisque scientiis; et hanc artem licitam esse omnes fatentur. Posterior vero definitur *Ars, qua Daemonis ope, pacto cum eo vel implicite vel explicite inito, miri effectus praestantur; qui hominis quidem, at non Daemonis superant potestatem.*

II. *Quomodo opera magica, dignosci queant.*

Licet difficile sit clare dignoscere in aliquibus casibus, num effectus miri ab arte, seu a magia naturali, an a diabolica proficiscantur; plura enim mira sunt, quae etiam naturaliter fieri queunt: nihilominus haec prae oculis sunt habenda et notanda. 1. Num qui mira operatur tamquam caussas res adhibeat nedum ineptas, sed superstitiosas, puta characteres, signa, nomina ignota, ligaturas, ossa mortuorum, vel violenta morte interfectorum, vel si etiam indifferentia,

vel sacra, ut verba Scripturae, cruces, orationes, eas tamen vel in pravum sensum detortas, vel tot vicibus adhibitas, seu tali bora, et tempore; quia sic ostendit, se non sacras res, ea qua decet reverentia, tractare, sed eis ad superstitionem abuti. 2. Ex parte modi operandi, puta, si in istanti morbus pellatur, si res longe distans brevissimo tempore praesens fiat, vel ex opposito quod praesens est longius transferatur, ut contingit illis, qui brevissimo tempore plures leucas percurrunt. 3. Denique si effectus vires et humanam artem certo excedere comperiatur, ut si obtruncatum membrum suo loco restituat; rem plane ignotam et occultam revelet.

III. *Fascinatio quid sit.*

Fascinatio, quae in prava sita dicitur qualitate oculis insita, et ex maligna intuentis affectione orta, unde solo visu nocet, non tantum naturalis est, sed ex diaboli oriri operatione potest. Ita docet S. Hieronymus in Comment. Epistolae ad Galatas scribens: *Dicitur fascinus infantibus nocere, et aetati parvulae. Hoc utrum verum necne sit, Deus viderit, quia fieri potest, ut daemones huic pacto inserviant.* Porro ex doctrina, quam habet D. Th. 1. p. q. 117. art. 3. ad 2. colligitur, triplicem esse fascinationem, nimirum vulgarem, ex vulgi opinione ortam putantis, vetulas sola visione malo vel invido animo consociata posse pueros, et tenellam aetatem inficere, eique nocere; et haec est rejicienda, quum juxta S. Th. loc. cit. *materia corporalis non obediat substantiae spirituali ad nutum, nisi soli Creatori.* Altera physica ex vehementi orta imaginatione putridos humores commovente, et alterante, ex quibus particulae et effluvia per oculos errumpentia objecta in determinata sita distantia inficiant, et labefactent. Et haec licet impossibilis non sit, rarissima tamen est, quum difficile admodum concipiatur in humano praesertim corpore tantam inesse vim, et copiam veneni, ut sine contactu et solum per aerem diffusione valeat nocere, et infantes inficere. Tertia diabolica est, qua ex pacto vel expresso, vel tacito cum Sathana solo etiam aspectu pravi hominis, et perversae foeminae pueris vel plantis vel frugibus noceat, et huic, si talia contingant nocumenta, sunt plerumque tribuenda.

IV. *Maleficii definitio, et divisio.*

Maleficium est Magiae diabolicae *opus, per quod quis ope Daemonis proximo infert nocumentum.* Ex qua definitione patet, pessimum hocce peccatum triplici adversari virtuti, religioni scilicet, charitati, et justitiae. Non tamen omnes Magi sunt Malefici, licet omnes Malefici sint Magi, quamvis enim in hoc conveniant; quod utrique cum Daemone pactum ineunt, Magi tamen solum ejus opem ad mira facienda implorant, Malefici vero ad clam nocendum aliis. Triplex ratione effectus maleficii genus distinguunt Theologi, nimirum somnificum seu soporiferum, dum carminibus, vel alio superstitioso ritu homines somno demergunt, ut interim vel furari possint, vel infantes laedere, vel moechari. Alterum est amatorium, quod graeco vocabulo *philtrum* dicitur, quod per superstitiosum cibum vel potum, vel alio pravo et superstitioso ritu aestum libidinis in aliquo erga alium excitant. Tertium est veneficum, quo ope Daemonis, et quibusdam adhibitis superstitiosis rebus, varia malorum genera hominibus, animalibus, frugibus terrae inferuntur, nimirum infirmitates, abortus,

partus difficiles, ad opus matrimonii impotentia, grandines, sterilitates etc.

V. *Contra maleficia, quaenam remedia adhibenda sint.*

Ad maleficia cujuscunque generis expellenda 1. adhibenda sunt spiritualia remedia, idest utendum exorcismi ab Ecclesia approbatis, orationibus, Reliquiis Sanctorum, aqua benedicta, necnon Sacramenta frequententur juxta pii, doctique Ministri consilium, et Jesu nomen frequenter invocetur, et Crucis signo, quod contra Daemones maxima vi pollet, frequenter maleficiati se muniant. Adhibenda sunt etiam naturalia remedia ex medicina petita, non quasi haec in Daemones agere possint, sed quia jam illata documenta vel sanare, vel impedire valent, vel commotos humores sedare, et purgare queunt.

CONSECTARIA.

I. *Non licet petere a Daemone, neque a malefico, ut maleficium dissolvat.*

Non licet petere a Daemone, ut maleficium dissolvat: quia quaecunque cum Daemone communicatio illicita est et superstitiosa; dum vero quis ab eo petit, ut maleficium dissolvat; vel a nocendo desistat, jam ejus deposcit auxilium, opem implorat, et tanquam superiorem agnoscit. Neque a Malefico licitum est petere, ut alio maleficio maleficium dissolvat, licet paratus sit, immo sponte offerat hoc pacto illud tollere: nam tunc esset vero maleficio cooperari, quod de se est intrinsece malum. Nec maleficia tollere licet per ritus vanos, et ineptos: omnes enim vani ritus superstitione non carent. Ministris vero Ecclesiae fas est illum exorcismis cogere: nam Exorcistae divina virtute Daemonibus imperant, illumque tamquam sibi inferiorem subjiciunt, quum per sacram ordinationem Daemoni facti sint potestate, et dignitate superiores.

II. *Licet maleficii signa destruere, etiam ex intentione et expectatione, ut Daemon a nocendo cesset.*

Licitum est maleficii signa destruere, etiam ea intentione, et expectatione, ut Daemon a nocendo cesset. Signa alia sunt, quae naturaliter nocent, uti sunt venena cibis immixta, vel in puteum vel balneum immissa, et sicut ista ponere non est Magi, sed venefici hominis nocere cupientis; et si fiat Daemonis ope, superstitiosum opus quidem est, sed quod per accidens se habet, et solum concomitanter ad damnum inferendum, obessent enim etiam nullo posito Satanae opere, proinde ista auferre licitum esse, nemo est qui ambigat. Similiter Theologi omnes concedunt licere, signa illa nuda, quae per se venefica non sunt, sed solum ex pacto Daemonis cum malefico nocent, destruere, dissolvere, comburere ex odio et indignatione facinoris, et ad opera diaboli destruenda. Ideo licite potest, immo debet quilibet ligaturas, amuleta, chartas, capillos, ossa mortuorum inventa dissipare. Sed quod difficultatem ingerit aliquibus Theologis est, num in hac dissipatione signorum liceat expectare, sperare, credere, quod Satanas sit a nocumento cessaturus? Ego quidem puto, in hac expectatione et spe, dummodo non certo et infallibiliter existimetur, nihil inesse vel superstitionis, vel commercii cum diabolo. Rituale enim Romanum Exorcistis praescribit, ut *ju-*

beant Daemoni dicere, an detineatur in illo corpore ob aliquam operationem magicam, vel malefica signa, vel instrumenta, quae, si obsessus ore sumpserit, evomat, vel si alibi extra corpus fuerint, ea revelet, et inventa comburat. At quorum haec? Num ut omne pactum cum daemone se detestari, abominari, fugere ostendat? At quis nescit, ab iis omnibus, etiam a Daemone non revelatis Ecclesiam Dei, quammaxime abhorrere? Id itaque merito praescribit, quia primo remedia naturalia sunt adhibenda, qualis est disruptio signorum, quibus positis nocet Daemon, ut a nocendo cesset, quod sine expectatione et spe concipi non potest; deinde supernaturalia et spiritualia adhibentur remedia, scilicet exorcismi, et orationes Ecclesiae.

III. *Quando uti liceat cognitione, vel alia utilitate per Daemonem obtenta, et quid dicendum de Thesauris, et pecunia diaboli ope obtentis.*

Non est illicitum uti cognitione, scientia, aliaque utilitate per Daemonem obtenta, quotiescunque ejus conservatio et usus a Daemone non pendeat. Id patet manifeste in illo, qui per maleficium consecutus est sanitatem: non enim tenetur se iterum in eundem morbum conjicere; et ratio est, quia licet acquisitio criminosa fuerit, ejus tamen detentio et usus licitus est et bonus; proinde deleta per poenitentiam culpa, non tenetur se ea utilitate privare; et idem dicas de licita aliqua arte, vel cognitione, qua quis uti possit non ad vana et curiosa, sed ad utilia et honesta cognoscenda. Sed quid de Thesauris et pecunia diaboli et magiae ope inventis vel acceptis? De thesauris tali pacto repertis leges statuunt, esse in poenam totum thesaurum fisco applicandum, ut constat ex lege unica C. de thesauris, et l. *nemo* Cap. de Maleficiis. Quoad pecuniam vero, si contingeret veram pecuniam dari, et non fictam, ut contingere solet, qui reciperet ad poenitentiam veniens si furto sublatam sciret, eam suis dominis restituere tenetur; si vero ab ipso Daemone ex aliquo loco hominibus impervio, puta e maris fundo erutam noscet, adhuc restituere deberet, ne ex maxima sua iniquitate lucrum reportaret, nisi forte extrema, vel gravi premeretur necessitate, sed acceptam pecuniam opere pessimo, pauperibus distribuere deberet: et certe saltem in poenitentiam admissi sceleris foret a Confessario prudente cogendus.

IV. *Quid agere debeant Magi ad poenitentiam revertentes.*

Magi, incantatores, Sagae ad poenitentiam revertentes debent. 1. a se abjicere omnia signa pacti; quia sicut pactum initum cum Daemone toto corde detestari, et abominari debent, ita et omnia ejus signa detestando abolere. Quodsi haec sita sint in aliquo signo in corpore impresso et indelebili, vel chirographo proprio sanguine conscripto et apud Daemonem existente, quod recuperare non valeant, de venia tamen desperare non debent. 2. Lucrum ex magia tenentur in pauperes distribuere. Quo enim jure illud retinebunt? Non certe naturali tanquam mercedem operis: nam opus illud diabolicum tantum abest, ut sit mercede, pretio, vel praemio dignum, quinimmo ipso jure naturali esset poena puniendum. Jure ne positivo? At leges omnes nedum divinae, sed ecclesiasticae et civiles non solum mercedem pravis hisce hominibus non statuunt, quinimmo infamia, bonorum proscriptione, aliisque poenis eos coercent. Num

ratione laboris? At labor quum sit cum ipso pravo opere conjunctus, immo sit ipsum pravum opus, quod sine aliquo labore exerceri non potest, non est pretio dignum, sed poena. Exemplum a meretricibus desumptum non urget, quia, ut suo loco videbimus, non est merces pravi operis, sed mulcta pecuniaria fornicatori inflicta a legibus civilibus, quae et pretium taxant, et ad solvendum adigunt, quod certe non concedunt lucris ex aliis criminibus perceptis, ut suo loco fusius ostendemus.

CAPUT V.

De vitiis Religioni oppositis per defectum.

Vitia Religioni opposita per defectum in duas partitur classes S. Th. 2. 2. q. 97. Prima ea complectitur. *quae pertinent ad contemptum, sive irreverentiam Dei;* altera, *quae rerum sacrarum contemptum* asserunt. Ad primam classem revocat tentationem Dei, et perjurium, ad alteram vero sacrilegium, et simoniam. De his agemus, excepto perjurio, quod ad secundum Decalogi praeceptum, ubi de juramento, reservamus.

§. I.

De Tentatione Dei, et Sacrilegio.

I. *Definitio tentationis Dei, ejusque explicatio, atque divisio.*

Ex iis, quae habet S. Th. l. c. art. 1. haec tentationis Dei definitio erui potest. *Tentatio Dei est inordinatum experimentum, sive probatio alicujus divinae perfectionis verbis, vel factis.* Dicitur experimentum *inordinatum*, quando scilicet fit absque necessitate, vel grandi utilitate; si enim fiat Dei instinctu, vel ex justa necessitate, ita scilicet exigente Dei honore, et Ecclesiae, vel proximi utilitate, omni culpa vacat. Subditur, *divinae perfectionis*, quippe quia homines non alia de caussa Deum tentant, nisi ut de ejus misericordia. sapientia, justitia, bonitate etc. quae sunt attributa Dei, experimentum sumant. Denique dicitur, *verbis, vel factis,* quia Deum utroque modo tentare possumus. Duplex autem esse potest haec tentatio Dei, nimirum expressa, et formalis, et virtualis, seu interpretativa. Priorem exponit S. Th. l. c. scribens: *In sua petitione expresse aliquis Deum tentat, quando ea intentione aliquid a Deo postulat, ut exploret Dei scientiam, potestatem vel voluntatem.* De posteriore vero sic subdit: *Quasi interpretative Deum tentat, qui etsi non intendit experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit vel facit ad nihil aliud utile, nisi ad probandam Dei potestatem, vel bonitatem, vel cognitionem . . . . Quando hoc agitur absque necessitate, et utilitate, hoc est interpretative tentare Deum.*

II. *Tentatio Dei, quibus virtutibus adversatur, et quod peccatum sit.*

Malitiam hujus criminis constituit D. Aug. in irreverentia Deo facta, quum quis absque juxta caussa ob ignorantiam vel dubitationem experimentum sumit de aliquo Dei attributo. Hinc triplici virtuti adversari potest hoc crimen, nimirum fidei, quum quis Deum tentat dubitans, num sit justus, vel potens: tunc enim haeresis et infidelitatis

malitiam complectitur. 2. Religioni, quum quis de his attributis minime baesitans, absque necessitate tamen, vel justa caussa vult de illis experimentum sumere: tunc enim vult Deum otiose, inutiliter, et ad suae indulgendum curiositati aliquid operari. 3. Charitati sui ipsius, ut si quis aliquod evidenti sive corporis, sive animae periculo se exponat, ut videat, num Deus possit illum eripere, de ejus potentia alioquin non dubius. Peccatum hoc esse ex genere suo lethale docet S. Th. l. c. a. 2. Et quidem quando tentatio Dei conjuncta est cum dubitatione, vel materia est de se gravis, nullus est, qui dubitet. Solum non conveniunt Theologi, num fieri possit venialis ex levitate materiae, puta si quis levi morbo gravatus omnem respuat medicinam sperans a Deo sanandum. Aliqui Theologi affirmant; at oppositum verius et longe probabilius docent alii; et quidem jure, meritoque: nam semper gravem irrogat Deo injuriam, qui eum tentat, sive leve, sive grave sit experimentum; immo tanto gravius peccatum videtur, quo levior est caussa, qua ad experimentum capiendum quis movetur. Ideo si levis sit morbus, a quo facili medicina vel dieta, vel alio naturali, et facili modo liberari potes, et tamen omnia respuis expectans a Deo sanitatem, postulas ergo ab illo miraculum absque ulla vel necessitate, vel justa caussa; ejus ergo omnipotentiam contemnis, quam ad haec levia miraculo tollenda vis descendere: illi ergo gravem infers injuriam, immo graviorem, quam si ab eo peteres, ut a gravissimo, et pene insanabili morbo absque remediis sanaret. Fieri tamem potest veniale non ex hoc capite, sed ex actus imperfectione, quia plene voluntarius non sit, vel quia nec advertit, aut intendit actionem suam ad Deum pertinere, ut contingit in illis, qui non habentes unde vivant, nihilominus manuum laborem refugiunt sperantes a divina providentia victum vel ex eleemosynis, vel ab amicis, vel alio modo naturali habituros, quum hoc non ex animo tentandi Deum proficiscatur, sed ex mera desidia, otio, et damnabili pigritia.

III. *Sacrilegium quid, et quotuplex sit.*

Sacrilegium ex doctrina D. Th. hic q. 99. art. 1. *est violatio rei sacrae.* Quum autem tria sint genera rerum, quae sanctitate ordinari queunt, nimirum personae, loca, et certae quaedam res; hinc sacrilegium distinguitur in personale, locale, et reale. Quae quidem specifica distinctio, ut optime cum D. Th. notant Theologi, non ex eo desumitur, quod res a se invicem specie, immo toto genere distinguantur; sed quia diverso plane modo sanctitatem participant, et nanciscuntur; unde sanctitas analogice de illis enunciatur.

IV. *In unaquaque specie sacrilegii, varii gradus distinguuntur.*

In hisce tamen speciebus, quae atomae sunt, varios agnoscit gradus, seu modos idem D. Aug *secundum differentiam personarum, et locorum sacrorum, et secundum differentiam rerum sacrarum.* Horum graduum, et modorum aliquos enumerat ibidem S. D., quibus alios addunt Theologi. Itaque quoad personas sacras attinet, seu quoad sacrilegium personale quatuor ponuntur gradus, seu modi sacrilegii, videlicet 1. personam sacram verberando, percutiendo, persequendo, vel reali aliqua contumelia afficiendo. 2. Eam ad laicum forum trahendo. 3. Tributa et vectigalia absque legitima auctoritate, vel urgente

necessitate imponendo. 4. Impudicas actiones, cum ipsa peragendo tum respectu ipsius personae sacrae, tum respectu complicis: nam cujuslibet voti violatio sacrilegium est. Ex parte vero loci sacrilegium committitur. 1. Locum sacrum incendendo, infringendo, spoliando etc. 2. Immunitatem violando per violentam extractionem hominis illuc tanquam ad asylum confugientis, quibusdam tamen casibus exceptis. 3. Locum sacrum polluendo vel per sanguinis injuriosam effusionem, vel per voluntariam pollutionem sive manifestam, sive occultam, vel per sepulturam hominis non baptizati, sive excommunicati non tollerati. 4. Profanas actiones inibi exercendo, quae sive naturali lege, sive juris canonici prohibitione loci sanctitati repugnant, cujusmodi est mercaturas, negotiationes, convivias, scenas in Templis instituere. 5. Furari, nam statutum legimus a jure canonico cap. *Quisquis* 17. quaest. 4. *Sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.* Denique ex parte rei sacrae, prout a loco et persona distinguitur 1. enumerat S. Th. Sacramenta, quibus homo sanctificatur; et post Sacramenta vasa consecrata ad Sacramentorum susceptionem, necnon eorum materias et formas, et ipsas imagines sacras, et reliquias Sanctorum; deinde ea, quae sunt deputata ad sustentationem ministrorum, sive mobilia sint, sive immobilia.

V. *Sacrilegium de se lethale peccatum est.*

Sacrilegium est de se et ex genere suo lethale, ut ipso naturali lumine patet, quum gravem irrogat Deo injuriam, afferatque damnabilem ejusdem dehonestationem. Potest tamen ratione imperfectionis actus, vel etiam parvitate materiae esse veniale, ut si quis ex oblationibus fidelium tenuem furetur monetam. Sacrilegii circumstantia semper est in Confessione aperienda: novam enim addit peccato malitiam.

CONSECTARIA.

I. *Peccant qui in infirmitate communia sumere remedia respuunt; item illicitum est experimentum ferri candentis, aquae ferventis, vel duelli.*

Peccant, et Deum tentant, qui in infirmitate communia sumere respuunt pharmaca, et remedia, sine quibus convalescere nequeunt: nam Scriptura dicit Eccl. 38. v. 4. *Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens non abhorrebit illa.* Neque tamen Deum tentant viri perfectionem studentes, qui Jesu Christi mortificationem in suo corpore portantes, de sanitate corporis nimium solliciti non sunt, nec valetudinem salubrioribus cibis conservare, vel pretiosis, et exquisitis medicinis amissam recuperare negligunt. Deum vero tentant, et graviter peccant, qui innocentiam suam probare conantur experimento ferri cadentis; vel aquae ferventis, vel duello. Ita expresse docet S. Thom. 2. 2. q. 95. a. 8. ad 4. Et ipsa manifeste evincit naturalis ratio, quia non sunt expectanda a Deo miracula, ubi supersunt media naturalia, cujusmodi sunt testium examen, spontanea confessio, judicis sententia, per quae veritas potest detegi. Nec licet absque peccato tentationis Dei alicui reo Eucharistiam dare, ut ejus sumptione a crimine, de quo accusatur, expurgetur. Nam licet ali-

quando tale purgationis medium in usu fuerit, et etiam in jure canonico Cap. *Saepe* 2. q. 2. designatum: tamen optime animadvertit D. Thom. 3. p. q. 80. art. 6. ad 3. » Quod decreta illa sunt abro» gata per contraria documenta Pontificum. Et habetur extra de » purgationibus (Cap. *Ex tuarum*) In omnibus enim talibus esse » videtur Dei tentatio: unde sine peccato fieri non possunt ».

II. *Tentatio Dei explicita, specialem affert deformitatem.*

Licet tentatio Dei explicita et formalis ab interpretativa, et virtuali specie non differat, prior tamen specialem supra aliam affert deformitatem in confessione aperiendam. Majorem afferre malitiam ex eo apparet, quia qui formaliter et expresse Deum tentat, illum gravius contemnit, et dehonestat, unde sicut D. Thom. docet hic q. 95. a. 3. ad 1. *Multo gravius esse Daemones invocare, quam aliqua facere, quibus dignum sit, ut se daemones ingerant;* ita multo gravius erit; Deum expresse et formaliter tentare quam aliqua facere vel petere, per quae Deum tentari appareat. Non est igitur doctrinae Salmaticensium acquiescendum dum docent, sufficere in confessione dicere: *commisi peccatum tentationis Dei;* sed addendum, num esplicite, vel implicite, num formaliter, vel interpretative Deum tentaverit.

III. *Impudicitia Confessarii cum sua poenitente, sacrilegium est.*

Ad sacrilegium pertinet impudicitia peracta a Confessario cum sua filia spirituali. Ita docet S. Thom. in suppl. 3. p. q. 56. a. 2. ad 8. *Per poenitentiam contrahitur quoddam foedus inter mulierem confitentem, et Sacerdotem spirituali cognationi simile, ut tantum peccat eam carnaliter cognoscens, ac si esset sua spiritualis filia.* Similiter sacrilega est impudicitia cum persona spiritualiter conjuncta sive per solemne baptismum, sive per confirmationem, in quibus sacramentis spiritualis contrahitur cognatio inter patrinos et baptizatum, sive confirmatum, atque inter patrem, et matrem baptizati, sive confirmati.

IV. *Furtum rei non sacrae in loco sacro peractum, sacrilegium est: Rei quoque sacrilegii fiunt qui in Ecclesiis de obscenis et turpibus colloquuntur.*

Locum sacrum violant, et sacrilegium committunt, qui res etiam non sacras, et loci sacri fidei commendatas in illo furantur. Et quidem oblationes fidelium e capsulis surripere, vel pecunias, sive alias res in Ecclesia depositas sacrilegium esse concedunt etiam benigniores Theologi. At negant de furto, quod per accidens et casu fit in Templo, cujusmodi est crumenam vel horologium vicino surripere; sed immerito: nam jure canonico, ut superius diximus, sacrilegium dicitur etiam auferre *non sacrum de sacro*, porro qui rem in loco sacro furatur, aufert non sacrum de sacro, ergo sacrilegus est. Idque firmatur communi omnium sensu, qui furantem in Ecclesia non solum eo nomine detestantur, quia aliena rapit, sed etiam quia rapit in Templo: ergo intimo sensu experiuntur, furtum illud specialem afferre deformitatem, quae profecto non alia esse potest, nisi irreverentia loco sacro praestita, proinde sacrilegium. Non sunt itaque audiendi Probabilistae dum hujusmodi furta a sacrilegi crimine immunia declarant. Pariter locum sacrum violant, et sacrilegii rei fiunt, qui in Ecclesiis de obscoenis et turpibus colloquia miscent, et ad

turpia sollicitant licet extra Ecclesiam peragende, et multo magis qui turpes actus in loco sacrò exercent sive manu, sive nutibus, sive tactu aliquo, quae videntibus actionis inhonestae speciem statim exhiberent. Hoc quidem negant Probabilistae, at eorum reclamante conscientia: nam cum Sporerio fatentur, gravem contra loci sanctitatem irreverentiam continere. At quis est, qui non videat irreverentiam hanc esse loci sacri violationem? Violatio autem loci sacri est sacrilegium.

V. *Peccatum saltem externum in Ecclesia patratum, sacrilegium est.*

Quodcunque scelus in Ecclesia patratum saltem externum sacrilegium est. Quodcunque enim peccatum sanctitati loci repugnat, et propriae institutioni, nimirum ut inibi Deus colatur. Et revera si actus profanus alias per se licitus, ut emptio, et venditio, loci sanctitatem violant, quanto magis actus de se malus, et lege divina vetitus loci sanctitatem violabit? Dixi saltem scelus *externum*: quia plerique Theologi spectantes sanctitatem loci tanquam illi omnino externam, nonnisi actu externo violari contendunt. At hoc non est adeo certum existimandum, quum sanctitas loci, licet mere externa, id certe praestet, ut locus ille sit Dei cultui et venerationi destinatus, in quo Deum venerari debeamus non minus externis actibus, quam praecipue interois. Qui itaque Deum offendit etiam actibus mere internis in loco ad ejus honorem destinato, peculiarem illi injuriam irrogat, proinde loci sanctitatem violare, et sic sacrilegium non effugere videtur.

VI. *Sacrilegium est res sacras adhibere ad usum profanum.*

Sacrilegium est res sacras adhibere ad usum profanum, puta sacris vasis ad profanum convivium, vestibus sacris ad spectaculum profanum uti. Non desunt Theologi, qui hanc doctrinam coarctant ad ea sacra, quae benedictione aliqua consecrantur; unde inferunt, sacrilegium non esse ad profanos usus adhibere candelabra, tapetes, manutergium, ampullas, pelvim, et similia; sed improbabiliter omnino: nam S. Thom. 2. 2. q. 99. art. 3. inter *res Deo dicatas, et sacras enumerat ea, quae pertinent ad ornatum Ecclesiae, et Ministrorum, et* postea, nulla facta distinctione, definit: *Quicunque autem contra quodcunque praedictorum peccat, crimen sacrilegii incurrit.* Et revera nonne pius quilibet commoveri se sentit, si videat tapetes, serica, candelabra, et similia profanis usibus adhiberi? Res quoque sacras violant, et sacrilegii crimine polluuntur, qui sacrae Scripturae verbis ad satyras, ad profanas cantiones, ad libellos famosos, et ad quoslibet profanos usus abutuntur. Sic declaravit, et statuit Trid. Synodus sess. 4. Hinc jure meritoque etiam benigniores Theologi a lethali sacrilegio non excusant, qui in more habent sacrae Scripturae verba ad sensus turpes, maledicos, scuriles, ineptos detorquere, quum gravem irrogent injuriam divinis verbis, et Evangelio.

VII. *Etiam peccato omissionis, sacrilegium junctum esse potest.*

Etiam peccato omissionis sacrilegium junctum esse potest. Hinc sacrilegii rei efficiuntur Sacristae, aliique Ecclesiarum Ministri, si ob negligentiam sacramentales species renovandi eas sinunt corrumpi; si sacra Crismata, et Eucharistiam debita diligentia custodire negligant juxta sacrorum canonum decreta, si ad Altaris Sacrificium corpora-

lia, purificatoria, et sacra vasa non munda, et intus deaurata ministrent, sed sordide, foeda, et lurida edhibeant. Omissio tamen recipiendi Eucharistiam in Paschatee, et annuae Confessionis sacrilegium non est, quemadmodum nec bona per testamentum Ecclesiae relicta retinere: quia antequam in Ecclesiae transeant possessionem non censentur sacra. Eademque ratione decimas non solvere proprie sacrilegium non est, licet cum injustitiae peccato conjuncta sit etiam quaedam erga Deum irreverentia, et irreligiositas, quippe quia decimarum solutio ad supremi divini domini recognitionem sit ordinata.

VIII. *Quid in Confessione aperiendum.*

In Confessione aperiendum est et objectum sacrum, quod violatur, quum eo gravius sit sacrilegium, quo res, quae violatur, sanctior est, et etiam quie per ordinem ad diversam sanctitatem speciem mutant. Sic gravius sacrilegium est indigne personam sacram tractare, quam locum sacrum, et qui sacramenta, vel imagines Dei, et Christi, vel lignum Crucis inhonorant, in Religionem peccant, quae Deum respicit, qui vero Reliquias, vel Imagines Sanctorum inhonorant, Duliae aut Hyperduliae adversantur. Sic gravius sacrilegium perpetrat, qui in Ecclesia fornicatur, quam qui in ea furatur.

§. II.

De Simonia.

Simoniae notio, definitio, et divisio traditur.
Varia pretii genera enumerantur, et explicantur.

I. *Simoniae definitio, ejusque declaratio, atque divisio.*

Simonia definitur e S. Th. q. 100. art. 1. *Studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum.* Dicitur 1. *studiosa voluntas*, quia hoc crimen prava voluntate patratur, et in ipsa voluntate, sicut in subjecto recipitur; vel quia aliquando etiam sola voluntate patratur absque ullo exteriore pacto, unde consurgit simonia mentalis. Additur autem *studiosa* ad designandam electionem, *quae principaliter pertinet ad virtutem, et vitium*, ut subdit ibidem Doct. Angelicus. Subditur *emendi, vel vendendi*, nomine autem *emptionis, vel venditionis*, scribit S. Thom. ad 5. *intelligitur omnis contractus non gratuitus, unde nec mutatio praebendarum, vel ecclesiasticorum Beneficiorum fieri potest authoritate partium absque periculo simoniae, sicut nec transactio, ut jura determinant.* Postrema verba materiam designant Simoniae, nimirum ut exponit S. Thom. ad 6. *quae vel sunt spiritualia secundum se ipsa, sicut Sacramenta, et alia hujusmodi, vel quae talibus adhaerent.* Triplex autem spiritualis rei genus distinguit S. Thom. 1. illa, quae in se omnino spiritualia sunt, ut gratia sanctificans, dona Spiritus Sancti, gratiae item gratis datae, et similia. 2. Illa, quae ad gratiam conferendam sunt ordinata, cujusmodi sunt Sacramenta, quae licet per eliquid corporale efficiantur, *dicuntur* tamen, inquit S. Thom. art. 3., *spiritualia, quia spiritualem conferunt gratiam.* 3. Illa, *quae dicuntur spiritualia, quia ex spirituali gratia procedunt*, ut sunt dispensatio in votis et juramentis, omnes actus spiritualis jurisdictionis, et similia, *vel ad illam disponunt*, ut

sunt preces fundere divina officia in choro celebrare defunctos tradere sepolturae.

II. *Simonia duplex est; alia juris divini, alia juris Ecclesiastici.*

Simonia alia est juris divini, alia juris mere ecclesiastici. Prior locum habet in venditione rerum, quae in se vel spirituales sunt et sacrae, vel spiritualibus adnexae, cujusmodi sunt Sacramenta. Ordines, jurisdictio spiritualis, et similia, quae pretio aestimabilia non sunt; et haec Symonia prohibetur, quia in se mala est. Altera vero in Beneficiorum permutationibus, et resignationibus locum obtinent, quae vel fieri fortasse queant positis quibusdam pactis de se non malis, sed ab Ecclesia vetitis, vel quia nihil in illis temporale datur, ut quum ipsa permutantur Beneficia, vel res spiritualis datur pro alia spirituali, quae tamen a canonibus merito prohibentur, et haec est Simonia, quaa mala dicitur, quia prohibita. Ecclesia enim quaedam prohibere jure potest intuitu Religionis, quae licet de se mala non sint, mala tamen fiunt causa prohibitionis, et sic malitiam contrahunt virtuti illi oppositam, ad quam praeceptum ordinatur; sicut qui ad communionem accedit non jejunus, peccat, non quia sit de se malum sumpto cibo communicare, quum primis Ecclesiae saeculis liceret, sed quia interdictum est ab Ecclesia: et peccat quidem non solo inobedientiae peccato transgrediendo praeceptum Ecclesiae, sed peccato sacrilegii, quia jejunium illud est ab Ecclesia inductum in reverentiam Sacramenti, et ad religionis virtutem pertinet. Ita licet Ecclesia efficere nequeat, ut illud, quod de se spirituale non est, fiat spirituale, vel quae venditio non est, fiat venditio; potest tamen quaedam etiam non sacra, et non spiritualia ad rem sacram, et spiritualem ordinare, et quasdam permutationes et cessiones prohibere intuitu Religionis, et tunc ejus violatio Religioni adversabitur, et injuriam inferet rei sacrae, ut patet ex adductu jejunii exemplo.

III. *Simonia mentalis, realis, conventionalis, et confidentialis.*

Dividitur etiam Simonia in mentalem, realem, conventionalem, et confidentialem. Mentalis contrahitur Simonia solo animo et mente, nullo interposito pacto sive tacito, sive aperto: quod dupliciter contingere potest, nimirum 1. Quando quis animo statuit Simoniam committere. 2. Quum aliquod corporale largitur prava intentione aliquid spirituale obtinendi per illud tanquam per pretium. Conventionalis vero Simonia committitur, quando vel expresso, vel tacito, vel formali, vel virtuali pacto aliquid temporale promittitur, vel donatur pro re spirituali, licet conventio non sit vel executioni demandata ex utraque parte, vel saltem ex alterutra. Realis vero utrumque complectitur, nimirum et conventionem et pacti impletionem, quando ex una parte spirituale datum est, et ex altera temporale solutum. Confidentialis vero est conventio sive tacita, sive expressa, ut qui Beneficium obtinet ab alio, illud idem postea in aliam transferat personam, aut Beneficii fructus ab alio percipi conveniat. Sed de hac suo loco.

IV. *Pretium triplex, et primum quid sit* munus a lingua.

Tria rationem pretii obtinere valent in Simonia, quia tria sunt bonorum temporalium suprema genera, quae pro spiritualibus dari queunt, unde consurgit munus a lingua, munus ab obseqnio, munus

a manu. » Munus a lingua, ait S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 5. ad 3., » dicitur vel ipsa laus pertinens ad favorem humanum, qui sub » pretio cadit, vel etiam preces, ex quibus acquiritur favor humanus. Et ideo si aliquis principaliter ad hoc intendit, Simoniam » committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere qui preces » pro indigno correctas exaudit: unde ipsum factum est simoniacum. » Si autem preces pro digno porrigantur, ipsum factum non est simoniacum, quia subest debita caussa, ex qua illi, pro quo preces » porriguntur, spirituale aliquid conferatur. Tamen potest esse Simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem personae, » sed ad favorem humanum. Si vero aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa praesumptione redditur indignus, » et sic preces sunt pro indigno ».

V. *Quid sit munus ab obsequio, et munus a manu.*

De munere autem ab obsequio sic docet S. Doct. loc. laud. a. 5. *Manifestum est, quod obsequium hominis ad aliquam utilitatem ordinatur, quae potest pretio pecuniae aestimari; unde et pecuniaria mercede ministri conducuntur. Et ideo idem est, quod aliquis det rem spiritualem pro aliquo obsequio temporali exhibito, vel exhibendo, ac si daret pro pecunia data, vel promissa, qua illud obsequium aestimari posset.* Denique per munus a manu designatur pecunia, seu quidquid pecunia aestimabile est, sive ager, sive domus, sive vestis, vel vasa argentea vel aurea, et his similia omnia. Et in hoc muneris genere etsi exiguum aliquid et tenue detur, Simonia committitur quotiescunque datur, vel exigitur pro re spirituali vel danda, vel obtinenda; quum etiam in exiguo pretio vera contineatur Symoniae essentia, quae in eo consistit, ut temporale pro spirituali donetur.

VI. *Peccatum Simoniae gravissimum est.*

Gravissimum esse Simoniae scelus ostendit D. Th. 2. 2. q. 100. a. 1. *Actus aliquis est malus ex genere, eo quod cadit super materiam indebitam. Emptionis autem, et venditionis est materia indebita res spiritualis triplici ratione. Primo quidem, quia res spiritualis non potest aliquo terreno pretio compensari . . . . . 2. Quia id non potest esse debita venditionis materia, cujus venditor non est Dominus . . . . Praelatus autem Ecclesiae non est dominus spiritualium rerum, sed dispensator . . . . 3. Quia venditio repugnat spiritualium origini, quae ex gratuita voluntate Dei proveniunt. Unde et Dominus dicit Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date.

Consectaria.

I. *Ad quid teneatur, qui Beneficium simoniace ignorans obtinuit.*

Quandoque etiam sine propria voluntate quis potest simoniace Beneficium obtinere, ut si alius, Beneficiario penitus ignorante, det pecuniam vel aliquid pretio aestimabile, ut illi Beneficium conferatur: tunc vero vel Beneficio renuntiare debet, vel petere dispensationem, et quidem, ut observat et docet D. Thom. hic art. 6. ad 3. non in poenam alicujus criminis, quod ille nequaquam patravit, sed quia privatio rei acceptae quandoque est effectus *acquisitionis injustae; puta quum aliquis emit rem aliquam ab eo, qui non potest vendere.* Cui tamen doctrinae hanc apposuit idem Doct. Angelicus exceptionem: *Nisi forte inimicus ejus fraudolenter pecuniam daret pro*

alicujus promotione, vel nisi ipse expresse contradixerit; tunc enim non tenetur ad renunciandum.

II. *Simoniam committunt, qui conferunt Beneficium ut malum temporale evitent, quid insuper dicendum de his qui ministrant Principi, aut Episcopo, ut ad Beneficium promoveantur.*

Rei sunt Simoniae, qui alium ad Beneficium vel eligunt, vel praesentant timentes aliter sibi aliquod malum infligendum. Ratio est, quia mali, quod timetur, vitatio et fuga est quid pretio aestimabile. Hinc Simoniae rei sunt, qui spirituale quid concedunt precibus Magnatis alicujus,ne ejus incurrant odium, et indignationem. Qui autem alicui Magnati, Principi, vel nobili viro inservit, obsequitur, ministrat, ut ad Beneficia promoveatur, reus est Simoniae, per munus ab obsequio. Ita aperte docet S. Thom. in IV. dist. 25. q. 3. a. 3. ad 1. ubi etiam docet, Clericos Episcopo inservientes in spiritualibus et ad Ecclesiae utilitatem, si ob hoc ad Beneficia promoveantur, Simoniae reos nequaquam habendos, secus vero si in temporalibus serviant. Non licet tamen Clerico Episcopo inservire etiam in spiritualibus ea praecipue mente, et intentione, ut ei Beneficium conferatur. Licet enim hic nulla sit Simonia, quia nihil temporale datur propter spirituale; perversio tamen ordinis habetur.

III. *Canonici, quando rei sint Simoniae.*

Mentalis Simoniae rei sunt tum Canonici, qui ob distributiones et redditus principaliter in Choro assistunt, sicut et Sacerdotes, qui principaliter pro stipendio sive eleemosyna Missam celebrant, qui certe alias Sacrificium non offerrent, vel Choro non interessent. Ita S. Thom. quod l. 8. a. 11. *Si distributiones recipit* (Clericus) *quasi finem sui operis principaliter intentum, Simoniam committit, et ita mortaliter peccat. Si autem habet principalem finem Deum distributiones autem respicit secundario non quasi finem, sed sicut id, quod est necessarium ad sui sustentationem .... Simoniam non committit, nec peccat.* At Simoniae rei non sunt Parentes, Magistri, et Tutores, qui munuscula offerunt filiis, discipulis, pupillis, ut Sacramenta frequentent, pias preces quotidie persolvant, Missae intersint, et similia. Similiter nec vir, qui haereticae, vel infideli mulieri matrimonium polliceretur, si ad Ecclesiam catholicam, vel ad Fidem Christianam veniant, vel dotem spondet virgini, si Monasterium ingredi eligat, et similia; quia haec ex parte offerentis sunt gratuitae largitiones, vel eleemosynae, ex parte vero acceptantis nullam inducunt obligationem, nec nisi spiritualis proximi utilitas quaeritur. Cavendum tamen semper, ne aliquod onus vel obligatio illas donationes accipientibus imponatur, nec ullum temporale commodum ipsi donanti vel promittenti obveniat, cujus gratia illa donantur.

§. III.

De materia Simoniae realis in iis, quae sunt juris divini, ac de simoniaci pretii solutione.

Res pure spirituales, et administratio Sacramentorum sunt materia Simoniae; ita labor corporalis administrationi connexus.

Res pure spirituales, uti sunt gratia sanctificans, gratiae gratis datae, virtutes infusae, characteres Sacramentorum, esse posse

materiam Simoniae docet, et ostendit S. Thom. q. 100. a. 2. Materia quoque Simoniae est ipsa Sacramentorum administratio. Hinc quidquam temporale dare, vel accipere ut pretium pro illorum administratione Simonia est, ut docet S. Thom. a. 2. Materia vero Sacramentorum, cujusmodi sunt panis, vinum, oleum, balsamum etc. vendere nulla est Simonia, quia, ut patet, hae res sunt mere corporales, et contractus materiam constituere queunt, dummodo tamen non vendantur in ipsa Sacramenti administratione. Labor ipse corporalis, qui necessario est eorum administrationi connexus, est materia Simoniae, et pro illo nihil temporale omnino accipi potest. Ratio est, quia hujusmodi labor est pars necessaria ipsius spiritualis actionis, sine qua nec ipsa spiritualis actio esse potest, unde unum morale esse constituit cum ipsa actione, quare agens censeretur merito et ipsam spiritualem actionem vendere. At si labor extrinsecus omnino sit rei spirituali, ut longum iter ad celebrandum, licet aliquid dare pro illo, vel accipere, dummodo tamen absit omnis mercimonii species. Notandum tamen, hoc non licere illis, qui ex officio haec spiritualia etiam cum magno labore conjuncta praestare tenentur, ut docet S. Th. art. 3. ad 3.

II. *Doctrina D. Thomae, pro venditione rerum cum spiritualibus connexarum.*

Pro venditione vel permutatione rerum quae sunt cum spiritualibus adnexae, prae oculis est habenda D. Thom. doctrina, qua docet, quod si res temporalis omnino a spirituali dependeat, non licet nec temporale vendere, quia et spirituale vendi censeretur, sicut diximus de labore adnexo ministrationi Sacramentorum, et de redditibus temporalibus adnexis Beneficio. At contra si temporale sit quid principale, spirituale vero accessorium, ut contingit in calice consecrato, vel in jurepatronato, tunc et calicis materiam vendere licet, et fundum, cui est juspatronatus adnexum, dummodo tamen nihil temporale detur vel accipiatur pro ipsa consecratione, vel pro ipso jure.

III. *Pro debito exercendi spiritualia nihil dari, aut accipi potest; item neque pro actibus jurisdictionis spiritualis.*

Pro debito autem, et obligatione exercendi spiritualia sine Simonia nihil aut dari, aut accipi potest, ut perperam docent nonnulli Canonistae putantes, hoc onus sive debitum ab ipso distingui exercitio et administratione spiritualium. Nam quum hoc onus, et obligatio sit Beneficio, Paroeciae, Episcopatui, curae animarum adnexum, sicut nihil pro illis absque Simonia dari potest, ita nec pro ipso onere ab ipso inseparabili. Debentur quidem istis necessaria pro sustentatione, quae petere, et accipere jure possunt, at pro ipso onere nihil omnino possunt exigere.

Nihil dari, vel accipi potest pro actibus jurisdictionis spiritualis non solum pertinentibus ad forum conscientiae, ut absolutio peccatorum, sed etiam ad forum externum, ut dispensatio in votis, ab irregularitate, a solutione a censuris, et similia; quum hujusmodi modi actus, ut docet S. Thom. a. 3. ad 3. sint spirituales tum ex parte caussae efficientis, quae est ecclesiastica potestas, tum ex parte finis, quum ordinentur ad salutem animarum, tum denique quandoque etiam ex parte effectus, ut contingit in absolutione a peccatis.

IV. *Pro sacris Ordinationibus, neque pro Verbi Dei praedicatione nihil recipere, vel dare licet absque Simonia.*

Pro sacris Ordinationibus nihil omnino recipere vel dare licet absque Simonia. Ita statuit Trid. Conc. sess. 21. de reform. cap. 1. *Nihil pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam clericalis Tonsurae, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo; nec alia quacunque de caussa etiam sponte oblatum Episcopi, et alii Ordinum collatores, aut eorum ministri quovis praetextu accipiant. Notarii vero .... decimam tantum unius aurei partem accipere possunt, dummodo eis nullum salarium sit constitutum.* Verbum autem Dei praedicare propter lucrum simonia est. Ita docet aperte D. Thom. hic a. 3. ad 2. seribens: *Praedicantibus, temporalia debentur ad sustentationem praedicantium, non autem ad emendam praedicationis verbum.* Artes vero liberales, vel etiam Theologiam pro pretio docere simoniacum non est, nisi sit onus alicui beneficio annexum. Ita S. Th. hic art. 3. ad 3.

V. *In Matrimonio aliquid dare non est simoniacum. In sepultura vero et funeribus defunctorum, nec non in Beneficiis nihil ex pacto recipi potest.*

In contrahendo matrimonio aliquid dare non est simoniacum. Quia, ut optime observat S. Th. hic art. 2. ad 6., ut est officium naturae, sive civilis contractus dotem, et alia pacisci nec simoniacum est, nec illicitum; verum ut est Sacramentum aliquid dare vel petere simoniacum est, propterea nihil licet exigere pro nuptiarum benedictione. In sepultura vero, et funeribus Defunctorum nihil ex pacto recipi potest sine simoniae labe praeter id, quod laudabili consuetudine ad Ministrorum sustentationem constitutum est. Ita statuit Innoc. III. in cap. *Apostolicum* extra de Simonia. Et ipsa Beneficia quatenus jus important ad Ecclesiastica munia exercenda ordinatum pro pretio dare Simonia est juris divini, quum sub hoc aspectu nonnisi quid omnino spirituale praeseferant, ut patet; sed etiam est ejusdem juris Simonia ea vendere, quatenus jus important ad aliqua temporalia emolumenta, ut manifeste patet ex D. Th. doctrina hic art. 4. ubi expresse docet, quod *hujusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus, et propter hoc ea nullo modo vendere licet, quia eis venditis intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici* juxta regulam juris, *qui horum alterum vendit, sine quo alterum non provenit, nihil invenditum relinquit.* Ita docent nobiliores Theologi et etiam benigniores.

VI. *Dare ad spirituale obtinendum aliquid temporale titulo, gratuitae compensationis, simoniacum est.*

Pretium vero simoniacum dicitur quidquid temporale datur ad aliquid spirituale obtinendum, sive illud ut pretium detur, sive ut motivum, sive titulo gratuitae compensationis. Et primo quidem simoniacum esse dare ut pretium aliquid temporale ob spirituale nemo est, qui ambigat. Quod vero simonia sit etiam quando datur non ut pretium, sed ut motivum, vel titulo gratitudinis, dubitare non sinunt propositiones ab Alexandro VII. et ab Innocentio XI. damnatae, quarum una haec est n. 45. *Dare temporale pro spirituali non est*

Simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed duntaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

VII. *Item dare ob finem honestum, expectando tamen rei spiritualis consecutionem, simoniacum est.*

Nec a Simonia excusari arbitror, qui pecuniam vel aliquid temporale praestat non tanquam motivum obtinendi immediate rem spiritualem, sed ob alium honestum finem, expectans tamen rei spiritualis consecutionem. Nam et in hac hypothesi adhuc temporale datur *ut motivum* obtinendi spirituale, quod est tanquam simoniacum reprobatum in propositione damnata. Praeterea S. Th. aperte docet 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. *Simoniam esse per pecuniam sibi parare viam ad rem spiritualem obtinendum.* Porro qui pecunia quidpiam temporale etiam honesto motivo immediate sibi constituit, adhuc tamen indirecte, et mediate sibi viam ad spiritualis rei consecutionem parat, nec honestas finis secundarii, et indirecti, sicut patet in illo, qui puellae virgini vere indigenti eleemosynam elargitur, ut ejus necessitati subveniat, vel praeceptum eleemosynae impleat, spe tamen intus in animo concepta ejus amorem simul conciliandi, et ad turpia pertrahendi: hic enim secundarius perversus finis, licet indirecte intentus, jam bonum opus inficit, pravumque reddit.

VIII. *Simonia est, quum munera temporalia dantur mediatoribus, ut officiis Beneficium impetrent. Item mutuum est inter simoniaca munera connumerandum.*

Simonia etiam committitur, quum munera temporalia dantur mediatoribus, intercessoribus, ministris, famulis, aliisque personis, ut precibus, verbis, officiis Beneficium alicui impetrent, quum per hujusmodi (juxta D. Thom. effatum) *sibi viam paret ad spiritualia obtinenda.* Inter simoniaca vero munera est connumerandum etiam mutuum non solum quum ex conventione alter rem confert spiritualem, ut mutuum accipiat, et alter mutuum dat, ut Beneficium consequatur: haec enim, ut omnes fatentur Theologi aperta Simonia est; sed etiam quando mutuum datur spe, animo, voluntate quid spirituali obtinendi, et pari pacto quum quis spirituale confert animo, spe, et voluntate, ut vel ad exigenda mutuata pecunia cesset, vel saltem redditionem non urgeat, et tardet: semper enim verum est, illum pecunia *sibi viam parare* ad spiritualia metenda.

CONSECTARIA.

I. *Non licet quid temporale dare pro administratione Baptismi, alteriusve Sacramenti. Casus difficilis exponitur.*

Non licet absque Simoniae crimine pro administratione Baptismi, alteriusve Sacramenti aliquid temporale dare, adeo ut potius sit Sacramenti susceptio omittenda, quam simoniace recipere. Quum enim Simonia de se jure divino vetita sit, et in se mala, nunquam tali est utendum medio ad Sacramenta suscipienda, et cessat quodcunque aliud praeceptum sive divinum, sive ecclesiasticum suscipiendi Sacramenta, quotiescunque ea nonnisi simoniace possint obtineri. Hinc non licet adulto Baptismum recipere nec in extrema necessitate a Sacerdote, qui nollet illum ministrare, nisi persoluto pretio. Ita

aperte D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 1. *Suppletur enim*, inquit, baptismo *flaminis, quod ei ex sacramento deesset.* Nec licet puerum morientem Sacerdoti offerre, ut illum baptizet, si sacrum munus sine pretio praestare recuset, et tunc perinde ac si non adesset Sacerdos, potest etiam laicus et foemina illum baptizare, et ordo praestitutus ab Ecclesia in Baptismo ex necessitate administrando, ut, si adsit Sacerdos, nullus alius inferioris conditionis ministret, cederet necessitati, et esset praetermittendus potius, quam Simonia perpetranda. Ita pariter S. Th. At quid si talis urgeat necessitas, ut qui puerum offert baptizandum sit mutus, et baptizare non valeat, nec alius adsit, qui baptizet, licebit ne tunc pecuniam dare simoniaco Sacerdoti, ne infans in aeternum pereat? Quidam etiam ex Thomistis censent non licere. Alii ex opposito, quorum sententiae libens subscribo, licere sustinent, quia in tali casu vera est vexatio, vera injustitia, quippe quia summum et extremum alteri damnum infert, quod ipse avertere stricto jure tenetur, ut contingeret in illo, qui pauperi in extrema fame constituto panem, cibumve negaret: licet enim haec denegatio nihil positivi contra pauperem afferat, et adhuc supersit in paupere facultas cibum recipiendi ab alio, si adesset, foret tamen vera caussa ejus mortis, cujus ille reus evaderet, atque de illo merito dici posset, *si non pavisti, occidisti.*

II. *Quandoque etiam omissione Simonia committitur.*

Quandoque etiam omissione Simonia committitur, vel turpis lucri crimen incurritur. Et quidem Simoniam etiam sola omissione committi docet S. Th. hic art. 3. ad 3. ubi ait, Praelatos nihil posse accipere *etiam per hoc, quod subditos suos corrigant, vel a corrigendo desistant.* Et in IV. sentent. dist. 25. q. 3. a. 2. q. 11. ad 6. *Correctio est spiritualis actus, unde Simoniam committit, qui pecuniam accipit, ut peccatum, quod tenetur revelare, aut punire, non revelet, nec puniat.* Hinc Simoniae reus est, qui pecuniam accipit, nec absolutionem vel a peccatis vel ab excommunicatione concedat, vel differat, ut interim postulans ineptus sit ad aliquod officium obtinendum, hujusmodi enim denegatio actum importat potestatis et jurisdictionis spiritualis. Similiter qui pecuniam solveret alteri, ut non obsistat sibi in alicujus Beneficii, ad quod aspirat, consecutione; quia tali pacto viam sibi pararet ad Beneficium pecunia. Turpis vero lucri rei forent habendi, qui pecuniam acciperent, ne indignum ad Beneficium eligerent; vel Episcopos vel Parochos, qui ob pecuniam vel ab Ordinatione, vel a suis ministeriis cessaret, quia quae ex officio praestare tenentur, injuste omitteret; Simoniae tamen rei non forent, quum nihil sacri vendant, sed solum liberos actus suos, quos pro libito sive injuste, sive juste possunt omittere.

III. *Simoniacum est dare pecuniam pauperibus distribuendam, ut Beneficium impetretur: Item dare gratis, vel accipere temporale ea mente, ut alter det, vel accipiat spirituale.*

Pretium simoniacum est alteri promittere, vel dare pecuniam vel pauperibus distribuendam vel pio loco applicandam, ut ipse officium aliquod, vel Beneficium danti impetret. Ratio est manifesta, quia iste pecunia sibi viam parat et sternit ad spirituale obtinendum, et pecuniam exhibet, vel largitur, ut spirituale consequatur. Est quoque

pretium simoniacum aliquid etiam gratis dare vel accipere temporale ea mente, vel etiam conventione, ut alter gratis det, vel accipiat spirituale alias non daturus, vel accepturus. Nam hisce nominibus gratuitae donationis, vel gratitudinis Simonia tegitur. Sic Patronus Clerico dicit, te ad Beneficium nominabo, memineris tamen accepti doni, nec mihi, qui te aliis praefero, sis ingratus. Clericus vero Patrono agnum, vitulum largitur, addens, accipe hoc munusculum, quod ultro offero, et si me idoneum censes, ad Beneficium tuae collationis pro tua in me humanitate nomina; vel si verbis id non exprimant, ratione tamen vel circumstantiae, vel personae donantis et accipientis, vel temporis ita animo et mente concipiunt, profecto quis non videt, in hisce specie tenus gratuitis donationibus latere simoniacum vitus? S. Th. aperte docet Simoniam committere, qui *per pecuniam sibi viam parat ad rem spiritualem obtinendam.* At quis, amabo, inficiabitur, illum, qui ex liberalitate donat alteri temporale sperans se accepturum ab eo ex gratitudine spirituale, vel vicissim, non sibi parare viam ad spirituale obtinendum?

IV. *Non est Simoniacum gratis offerre temporale, ad alterius spirituale bonum promovendum; Nec eleemosynas dare pauperibus, ut pro dantibus orent.*

Simoniacum pretium non est aliquid temporale gratis offerre ad alterius bonum spirituale promovendum. Nam in jure Can. cap. 2. de conditionibus appositis etc. licita et valida pronunciatur libertatis promissio mancipio facta, si Monachorum statum velit amplecti, et in illo perseverare. Et cap. 23. q. 6. conceditur dominis, ut levamen a laboribus servitutis mancipiis polliceantur, si christianam fidem velint amplecti. Hinc nec illicitum, nec simoniacum est polliceri aliquod temporale commodum alicui, ut ad Sacramenta accedat. Nec culpandi sunt Domini, qui servus ad sui servitium retinere nolunt, qui vel in Paschate, vel etiam frequentius ad Eucharistiam recusant accedere. Nam in hisce largitionibus nulla imponitur alteri obligatio, sed optio datur, ut quod maluerit eligat, et solum ejus spiritualis promoveatur utilitas. Hinc S. Thom. q. 100. art. 3. ad 2. ostendit, quomodo simoniacum non sit eleemosynas dare pauperibus, ut pro dantibus orent, scribens: *Illi, qui dant eleemosynas pauperibus, ut orationum ab ipsis suffragia impetrent, non eo tenore dant, quasi intendentes orationes emere; sed per gratuitam beneficientiam pauperum animos rovocant ad hoc, quod pro eis gratis, et ex charitate orent.*

§. IV.

De Simonia in collatione Beneficiorum, et de Confidentia Beneficiali.

I. *Beneficia simplicia ob pretium dare, vel accipere Simonia est juris divini.*

Beneficia etiam simplicia, licet non aliam adferant obligationem praeter divini Officii recitationem, ob pretium dare vel accipere Simonia est juris divini. Nam Canones, omni prorsus distinctione semota inter Beneficia simplicia, et quae spiritualem jurisdictionem

important, illorum nundinationes ejusdem reos Simoniae constituunt, qua reus declaratus fuit ab Apostolis Simon Magus. In Canone *Si quis*, caus. 1. q. 3. statuitur: *Si quis dator, vel acceptor Dei Ecclesias, vel ecclesiastica Beneficia, quae praebendas vocant, sub pecuniae interventu susceperit, sive dando emerit, a Simonis non excluditur perditione.* Id etiam evincit ipsa ratio naturalis: nam jus percipiendi fructus est quid spirituale, tum quia ab ecclesiastica provenit potestate, tum quia clericalem tonsuram, quae de se est quid spirituale necessario postulat.

II. *Juspatronatus praetio, mercari non potest.*

Juspatronatus etiam mere laicale absque Simonia, et quidem probabilius juris divini pretio mercari non potest, quia ad spiritualia ordinatur, et jus spirituale importat praesentandi ad Beneficia, cujus praesentationis vi, jus praesentatus obtinet ad Beneficia, si alias sit idoneus.

III. *A praesentatione ad Beneficia, omnis pactio exulare debet.*

Ab ipsa praesentatione ad Beneficia pactio omnis, omnisque conventio exulare debet. Ita definitum fuit in Extrav. *de pactis*, cap. finali, ubi stutuitur: *In spiritualibus obtinendis omnis pactio, omnisque conventio cessare debet.* Optime tamen animadvertunt Canonistae, et Theologi, duo pactionum et conventionum genera distingui posse, nimirum alterum illarum, quae *jure ipsis* Beneficiis *insunt*, alterum eorum, quae alienae prorsus sunt, et, ut ipsi loquuntur, *jure non insunt*. Priorum pactiones licitae sunt, et omni Simonia carent: sic pacisci potest Patronus, ut Beneficium obtinens resideat fideliter, si residentiam postulet Beneficium, ut jura et possessiones Beneficii conservet et tueatur, ne ex superfluis Beneficii consanguineos ditet, ut Beneficium, quod jam obtinet et est incompatibile, abrenunciet. Haec enim omnia insunt Beneficio. E contra vero pacisci sine Simonia non valet, ut praesentatus Beneficium, quod obtinet et abdicare debet, cedat filio, vel nepoti, vel alteri determinatae personae, quod redditus Beneficii partem aliquam ipsi Patrono vel alteri cedat, vel consentiat pensioni in favorem alterius: haec enim omnia extranea Beneficio sunt, et onus imponunt plane simoniacum. Et haec, quae de praesentatione diximus, locum habent etiam in collatione, institutione, confirmatione Beneficiorum, et immissione in possessionem alicujus Beneficii. Ita statuit Trid. Conc. sess. 24. de Reform. cap. 14.

IV. *Resignatio Beneficii in favorem alterius, qualis Simonia sit.*

Resignatio Beneficii in favorem alterius absque Sum. Pontificis venia et concessione simonia est jure ecclesiastico. Tum quia in tali resignatione habetur conventio et pactum, quae a canonibus omnino vetantur. Tum quia S. Pius V. in sua Bulla anni 1568. expresse indicit: *Caveant Episcopi, et alii praedicti, itemque omnes electores et patroni tam Ecclesiastici, quam laici quicunque sint, ne verbo quidem futuri in hujusmodi Beneficiis successores ab ipsis resignantibus aut aliis eorum significatione vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscunque intercedat.* Recolantur ea, quae superius diximus Dissert. 3. de Benef. cap. 5. Multoque magis simonia erit etiam juris divini, si qua interveniat pactio, conventio dandi aliquid temporale. Idem dicas de permuta-

tione Beneficiorum, quae simonia est juris ecclesiastici, si fiat privata auctoritate. Ita enim statuunt Canones. Vide de Beneficiis, loco mox citato.

V. *Redimere praetio vexationem justam, Simonia est.*

Simonia est redimere pretio vexationem justam, qua quis ab obtinendo Beneficio impeditur. Nam hoc pacto sibi per pecuniam viam pararet ad Beneficium; et quum ille jus nullum habeat ad Beneficium, ad quod aspirat, et impeditur, convincitur, pretio sibi viam sternere ad illius consecutionem. Hinc non licet pecuniam obtinere, ne Praelatus Beneficium auferat ob dilectum ejus privationem promerens, licet jus in illud possideas, quum ob perpetratum delictum jus illud infirmum factum sit, et in discrimen adductum. Pari pacto non licet pecuniam dare, ut quis vel crimen, vel impedimentum non revelet, cujus caussa ab obtinendo Beneficio removereris. Similiter si lis oriatur super electione, nominatione, praesentatione, neutri parti licet cum alia transigere, et pecuniam tradere, vel pensionem polliceri. Immo et simoniacus foret, qui ad opulentum electus Beneficium suo competitori tenuius aliquod Beneficium offerret, vel in sui Vicarium eligeret, quia re spirituali temporalem vexationem arceret et redimeret.

VI. *Injustam vero, quandoque est Simonia, quandoque non.*

Redimere vero vexationem injustam, qua quis a Beneficii consecutione arcetur, si fiat cum illis, qui obesse possunt, juvare vero non possunt, Simonia non est; at Simonia erit, si injustae vexationis redemptio fiat cum illis, qui prodesse et obesse queunt. Prioris exemplum habes in illo, qui ab hoste et inimico falsis calumniis vel electorum animos malis artibus seducendo, impeditur a Beneficii consecutione, interim tamen qui impedit nullum jus, nullamque habet in electione actionem. Hunc muneribus, et donis impedire ne noceat, nulla est Simonia: est enim mera impedimentorum ablatio, quae nihil influit in electionem, nec electorum animos ullo modo tangit, et movet. Alterius vero exemplum est in illo, qui electores vel aliquos illorum ex odio, inimicitia, vel prava aliqua, injustaque de caussa suffragium denegantes muneribus placaret, eorumque animos pecunia devinciret. Simonia tunc esset, quippe non solum is injustam redimeret vexationem, sed et viam sibi pararet ad spirituale obtinendum pecunia, et re temporali, quae in ejus electionem mirum in modum influeret.

VII. *Post acquisitum jus in re, Simonia non est pecunia redimere injustam vexationem.*

Simonia non est injustam redimere pecunia vexationem post acquisitum jus in re spirituali. Ita docet S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 5. *Postquam jus alicui acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere.* Dum enim in injustam vexationem pecunia redimit, non pro re spirituali aliquid confert, in qua jus habet plenum, et certum, sed pro temporali molestia tollenda pretium solvit; ideoque si pro redimenda tali vexatione aliquid spirituale cederet, Simoniam et quidem juris divini perpetraret, quia rem spiritualem pro temporali emolumento tribueret. Duo tamen hic sunt attente notanda; primo quod vexatio plane sit injusta; 2. ut jus in re nulli

subsit contradictioni, sed firmum sit, ratum, et inconcussum: nam si etiam dubium sit, num iis mota aequa sit vel iniqua, non licet pecunia collitigantem removere; hoc enim pacto pecunia et re temporali viam sibi pararet ad spirituale obtinendum.

VIII. *Vexationem redimere impedientem possessionem Beneficii adire, simoniacum non est.*

Simoniacum non est vexationem redimere impedientem possessionem Beneficii adire. Jus enim in re perfecte acquiritur electione et confirmatione, etiam ante aditam possessionem, et ipsa actio possessionis non est nisi quid ceremoniale, vel signum adepti Beneficii. Proinde qui post electionem, et confirmationem injusta vexatione ab adeunda possessione praepeditur, ipsam vexationem poterit pecunia redimere, quum per possessionem nullum majus jus ad Beneficium adipiscatur, quod plenum, certum, inconcussum jam obtinebat.

IX. *Transactiones quando Simoniacae.*

Transactiones pro bono pacis habitae inter litigantes simoniacae sunt, dum remittitur spirituale pro re temporali. Transactio, ut superius de Beneficiis diximus, est *onerosa conventio super jus dubium et incertum ad litem vel motam, vel movendam, vel auferendam.* Onerosa dicitur haec conventio, quia si gratuita sit, non pactum, non conventio est, sed cessio, condonatio, et amica compositio additur *super jus dubium*: si enim jus firmum certumque sit, jam locum non habet compositio, sed sola vexationis redemptio: denique additur *ad dirimendam litem vel motam, vel movendam*; quia ubi nulla est controversia, transactio locum habere nequit. Porro quod hujusmodi transactio sit illicita et simoniaca, quando aliquid temporale retinetur, vel remittitur, patet manifeste: nam tunc pro spirituali datur temporale, vel temporale accipitur pro spiritualis juris cessione. Hinc hujusmodi transactiones a jure Canonico prohibentur. Hinc nec Episcopus litem componere eo pacto valet, ut alter Beneficium, alter pensionem accipiat: hoc enim modo temporale daretur pro re spirituali. Si quando vero Pontifex pensionem concedit, non ideo litigantes tuti sunt in conscientia, sed respicere debent, num Ecclesiae utilis sit eorum transactio, alioquin Deo de nundinatione rationem erunt redditori.

X. *Quid sit confidentia beneficialis, et quot modis hoc crimen committatur.*

Simonia fiduciaria, seu confidentia beneficialis definitur, *Conventio sive tacita sive expressa, ut qui Beneficium recipit, illud ipsum postea in aliam certam personam transferat, aut Beneficii fructus ab alio percipi sinat.* Triplici modo hoc fiduciariae Simoniae crimen committitur, nimirum per ingressum, accessum, et regressum. Ingressus est, quando quis Beneficium sibi collatum, sed cujus nondum est possessionem consecutus, alteri cedit ea pactione, ut si accipiens moriatur, sive alia de caussa illud non assequatur, revertatur ad cedentem. Regressus eodem modo habetur hoc solo discrimine, quod Beneficium supponit jam in possessione cedentis. Accessus autem dicitur, quam quis cupiens Beneficium in filii vel nepotis manum venire, qui tamen ob aetatem, vel aliis de caussis illius capax non est, alteri confert, vel cedit ea conditione, ut, remoto impedimento, filio

vel nepoti resignet. His tribus modis accedit et quartus, quum quis Beneficium confert eo pacto, ut alteri fructuum partem cedat, vel solvat pensionem. Num vero fiduciaria inquinetur Simonia, qui Beneficium alteri cedit inita pactione de pensione illi solvenda, disputant Theologi; sed affirmantem sententiam probabiliorem, et unice veram censeo, quam tuentur Garzias, Suarez, immo et benignissimus Castropalao. Nam S. Pius V. in Bulla Piana sic statuit: *Conferens Beneficium eo pacto, ut de eo provisus fructus illius, vel partem ad utilitatem vel libitum conferentis, aut cedentis relinquat, vel remittat.* Porro partem fructuum relinquere ad utilitatem cedentis idem omnino est ac pensionem illi solvere: quid enim aliud est pensio, nisi jus percipiendi fructus ex alieno Beneficio?

CONSECTARIA.

I. *Pecunia dare Beneficia adeo simoniacum est, ut nec ipsi Sum. Pontifici liceat.*

Beneficia Ecclesiastica pecunia dare adeo simoniacum est, ut nec ipsi Sum. Pontifici liceat. Ita aperte docet S. Th. in 4. dist. 25. q. 1. art. 3. Verum quidem est, quod leges ecclesiasticae, quae permutationes, resignationes, commutationes Beneficiórum sub conditione, modo, aut cum pensione prohibent, vetant haec fieri sine consensu Sum. Pontificis, proinde nec peccat, nec simoniacus est quotiescunque ea concedit, dummodo tamen hujusmodi concessiones cedant in gloriam Dei, et in Ecclesiae utilitatem, vel in pauperum subsidium, et levamen, non vero dumtaxat in ipsorum resignantium, vel petentium commodum, et utilitatem.

II. *Patronus, jus praesentandi alteri, cedere nequit eo pacto, ut ipse ad Beneficium praesentetur.*

Patronus jus praesentandi alteri cedere nequit eo pacto vel explicito vel implicito, ut ipse ad Beneficium praesentetur. Ratio est apertissima, quia hoc pacto per eam cessionem pararet sibi viam ad Beneficium; quod utique magis verum est, si non absolute, sed solum pro ea vice jus praesentandi alteri cederet, quum adhuc jus praesentandi alteri maneret. Summus tamen Pontifex Benedictus XIV. in sua Instit. 95. §. 5. docet, licere Patrono rogare Episcopum, ut Beneficium sibi conferat, si dignum, idoneumque agnoscat. Vel si donatione sincera, per quam spolietur jure Patroni, alteri jus suum cedat approbante Episcopo. Tunc enim quum non sit amplius Beneficii Patronus, poterit ab alio praesentari, ne efficiatur deterioris conditionis quam coeteri. Deinde addit, posse Episcopum eidem absque ulla praesentatione Beneficium conferre, quod Beneficiatus acceptet, et post collationem suum praestet assensum. Coeterum Patrono non licere seipsum praesentare decretum est Cap. *Per vestras* Ext. de jure patronatus. Et merito quidem, quippe quia quum praesentatio initium sit vocationis, et missionis ad ecclesiastica obeunda munia, nemo seipsum vocare, vel mittere debet, ne sacrum ministerium sibi videatur usurpare. Recolantur quae diximus de ecclesiasticis Beneficiis.

III. *Quaedam permutationes illicitae.*

Non licet absque Simonia spiritualia, quae adnexa habent temporalia emolumenta, quamvis propriam Beneficii rationem non obtu-

neant, cum Beneficio permutare: id enim Ecclesiae decreto vetitum est. Hinc nonnullorum Theologorum est rejicienda opinio existimantium, licere beneficium permutare cum Vicaria, vel Capellania amovibili. Immo optime docet Tournellius, Simoniam juris ecclesiastici committi, si et ipsae actiones ad Beneficiorum provisionem pertinentes commutentur, ut si unus electorum alteri Electori dicat, tu hac vice elige hunc, et alia vice ego alium a te propositum eligam; vel tu Beneficium confer huic, et ego alium confirmabo, vel tibi Beneficium confero, dummodo tu cedas praesentationi ad aliud Beneficium a te jam factae, vel praesentabo hunc ad Beneficium mei jurispatronatus, si tu meum simplex Beneficium mihi renuntiaveris, et similia. Ratio est, quia praeterquam quod pacta omnia atque conventiones in re beneficiali vetitae sunt, in hisce pactis licet non alia appareat commutatio nisi spiritualis actionis cum alia pariter spirituali; attamen reputantur media ad aliquid temporale lucrandum: nam rarissime sine hoc temporali lucro contingit has fieri permutationes, et illud semper ab alterutro, vel ab utroque intenditur. Nec a Simoniae labe immunis habendus foret Regularis, qui alium in Priorem eligeret, ut ille vicissim ab ipso in Provincialem eligatur, vel suffragium suum in electione polliceretur eo pacto, ut ipse vicissim suffragium suum altera vice in electione tribuat, vel aliquod officium vel munus in Religione conferat, in hisce enim casibus spiritualis jurisdictio non gratis confertur.

IV. *Confidentialis Simoniae quinam rei sint.*

Confidentialis Simoniae rei sunt 1. Qui praesentationem ad aliquod Beneficium acceptat cum pacto, ut post aliquod tempus illud resignet filio vel nepoti Patroni praesentantis. 2. Qui Beneficium confert nepoti, vel consanguineo cum onere, ut redditus dividat cum fratre suo in castris militante. 3. Qui Beneficium acceptat cum onere, ut postea illud cedat non resignanti, vel collatori, vel patrono, sed alteri, qui Beneficium sibi procuravit, vel cui hic designaverit, vel cum onere solvendi pensionem; vel partem reddituum filio, vel consanguineis illius, qui sibi Beneficium impetravit, licet hic nec collator sit, nec resignans, nec patronus. Hi tres casus colliguntur ex Bulla S. Pii V.

V. *Casus in quo non committitur confidentia beneficialis.*

Qui Beneficium confert alteri nulla expressa vel tacita couventione, sed sola interna spe et fiducia collatum Beneficium a recipiente sponte resignandum filio Collatoris non committit beneficialem confidentiam, quia S. Pius V. expresse postulat ad hoc Simoniae genus, ut intersit pactum sive expressum, sive tacitum. At reus hujusce Simoniae foret, qui Beneficium acceptat a resignante ea pactione, ut illud postea alteri cedat, licet expresse protestaretur se nolle pactionem acceptare, vel exequi: nam laudatus Pontifex declarat, ad confidentialem Simoniam sufficere *etiamsi sola dimittentis intentione receperit . . . . . conscientia tantum unius partis.*

VI. *In confidentia Beneficiali, quando habeatur Simonia juris divini, quando non.*

In Confidentia beneficiali habetur aliquando Simonia juris divini, et aliquando solius juris ecclesiastici. Et quidem Simonia juris divini habetur quotiescunque Patronus, vel Collator, vel Resignans sibi aut

aliis fructus, vel partem fructuum reservant; tunc enim datur spirituale pro temporali, quum hoc ineant tacitum pactum, confero, resigno, vel praesento ad Beneficium, ut mihi vel alteri talem persolvas pecuniam. Quando vero pactum initur, ut collatum Beneficium resignet alteri, habetur sola Simonia juris ecclesiastici, quo pacta omnia in Beneficiorum collatione vetantur, at interdicitur, ne quis Beneficium acceptet animo illud renunciandi, et ne quid fiat, quod libertatem eligentium, praesentantium, et conferentium Beneficia imminuat.

§ V.

De Simonia in ingressu Religionis, et in Defunctorum funeribus.

I. *Quaedam certa praemittuntur.*

Hac in re satis implexa, quae certa sunt, omnibusque comperta praemittimus, videlicet 1. Temporale aliquid exigere pro ingressu Religionis tamquam pretium simoniacum est, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4. *Dicendum quod pro ingressu in Monasterio non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium.* 2. Licet tamen accipere, et petere, quae necessaria sunt pro victu et vestitu anno primo probationis: nam ita statuit Trident. Concil. sess. 25. de Reform. cap. 16. *Neque ante professionem, excepto victu et vestitu novitii, vel novitiae illius temporis, quo in probatione est, quocunque praetextu a parentibus vel propinquis aut curatoribus ejus Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur.* 3. Licet etiam ea recipere, quae sponte et liberaliter vel ab ingredientibus Religionem, vel eorum Parentibus vel Curatoribus offeruntur. Urbanus enim V. declaravit, recipi posse *illa duntaxat, quae personae illae ingredientes plane sponte, et plena libertate, omnique pactione cessante, dare vel offerre Ecclesiis, Monasteriis, et locis hujusmodi voluerint.* 4. Quando Monasteria redditus, possessiones, et bona possident, queis Religiosos alere queunt, absque Simonia pro ingressu Religionis temporale exigere non valent. Ita expresse statuunt Pontifices, et Concilia. Idem docent Theologi, S. Thom. in IV. dist. 25. q. 3. a. 2., quaestiunc. 2. ad 7. quum sibi objecisset, *in quibusdam Monasteriis, praecipue Monialium, exigi aliquid ab eis, quae ibi recipi debent.* Respondet, *quod si sine gravamine Ecclesiae potest recipi, simoniacum est aliquod pro receptione exigere.* Idem docet S. Antoninus in Summa.

II. *Si Monasterium pauper sit, quidpiam exigere licet pro postulantis sustentatione.*

Si vero Monasterium tenue sit, nec habeat unde ingressum petentes alere possit, licet tunc aliquid pro ipsius postulantis sustentatione exigere. Ita cum nobilioribus docet idem S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4. *Dicendum, quod pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium; licet tamen si Monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personae, quae in Monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant Monasterii opes.* Nihilo tamen secius non sunt Simoniae damnanda illa

Monasteria, in quibus dos ab ingredientibus accipitur, sed prae oculis habenda prudens oeconomia a Sacra Congregatione Concili interprete praestituta, et a Fagnano relata; quae *animadvertens Sanctimonialium Monasteria sine dotium subsidio diu sustineri non posse, et propter ingruentes necessitates, et casus inopinatos plerumque ad inopiam redigi, Summis Pontificibus approbantibus, sanxit, ut dotales eleemosynae a Monialibus numerariis persolverentur, tametsi numerus sit taxatus ad mensuram redditum Monasterii:* nonnullis tamen adjectis conditionibus accurate custodiendis, videlicet 1. ut pecunia, quae nomine dotis dabitur, convertatur vere in emptionem tanti annui redditus, vel in redemptionem tot bonorum Monasterii oppignoratorum, ut sic redditus Monasterii tantum augeantur, quantum sufficiant victui puellarum in Moniales recipiendarum. 2. Quod hoc augmentum non privatim, vertatur in utilitatem ipsarum puellarum, sed in totius Monasterii communem usum, ex quo et ipsae puellae cum aliis ali poterunt. 3. Ut licitum sit Puellarum parentibus vel propinquis se ad annuam praestationem obstringere solvendam pro necessitatibus puellarum, dum vixerint, dummodo tamen haec pecunia minime eis detur puellis, sed recta deferatur ad manus Abatissae, vel Superiorissae, et bonis communibus Monasteri uniatur, ex quibus postea subveniat arbitrio suo necessitatibus earum Monialium, pro quibus fuerint persolutae, et si quid supersit, in utilitatem cedat, et communem usum totius familiae. Sunt praeterea servandae etiam leges et statuta cujuscunque Dioecesis vel in Synodis, vel per Episcopos, tum ad communitatem servandam vel inducendam, tum ad paupertatis votum sartum tectumque custodiendum constituta. Legantur ea, quae hac de re habet et docet Sapientissimus Pontifex Bened. XIV. in suo opere de Synodo Dioeces. lib. 11. cap. 6. n. 2. et seq.

III. *Si dos ad puellae alimenta sufficiat, non est addendus annuus census.*

Si vero dos ad puellae alimenta sufficiat, non est addendus annuus census, sive praestatio, sicut e contra si annui census constituantur, qui ad eadem satis sint alimenta, non est dos expetenda, quum nihil sine Simonia exigi possit praeter puellae sustentationi necessaria: tunc enim pretium evaderet receptionis vel ingressus, ut optime statuit S. Carolus Borromaeus in suo Concil. II. Mediolanensi, ubi tum dotis, tum annui census taxationem Episcopo, non ipsi Monialibus, ut 1. Concilio decreverat, reservavit.

IV. *Quid in Defunctorum funeribus exigi queat, vel non.*

Quum in Defunctorum funeribus plures habeantur actiones, nimirum Parochi et Ecclesiasticorum praesentia, et ad sepulturam consociatio, cadaveris ad sepulcrum delatio, et fossae, seu sepulturae aperitio, necnon locus, ubi cadavera tumulantur; nonnulla sunt circa haec omnia attendenda. Et quoad primum attinet, est prae oculis habendum Decretum Innocentii III. in cap. ad *Apostolicum*, Extr. de Simonia, ex quo haec tanquam certa colliguntur, 1. Non licere absque Simonia saltem juris Ecclesiastici aliquid pro funeribus exigere et extorquere. 2. Multo minus licere vel sepulturam denegare, vel diutius differre cum familiae defuncti molestia, et incommodo,

ut major pecuniae summa extorqueatur. 3. Licere tamen post defuncti corporis tumulationem ea vel accipere, quae sponte offeruntur, vel quae a legibus vel Synodalibus, vel Episcopalibus, vel a laudabili et adprobata consuetudine sunt pro funeribus praestituta exigere et postulare. 4. Defunctorum propinquos teneri praefatas oblationes a Constitutionibus vel consuetudinibus praestitutas persolvere, et ad hoc compelli jure posse legitima potestate. Non licet tamen ecclesiasticis viris statutum condere de non associando cadevere, nisi certa pecuniae summa persolvatur, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 2.

V. *Deferre ad tumulum cadavera, et aperire sepulcrum sunt functiones mere laicales.*

Quoad actionem vero deferendi ad tumulum cadavera, fossam, vel sepulcrum aperiendi, licet olim primis Ecclesiae saeculis opus ecclesiasticum et spirituale habitum fuerit: nam D. Epiphanius et antiquiores nonnulli Patres Fossores inter Ecclesiae ministros connumerarunt: modo tamen munus est mere laicale, et a laicis exerceri solet, qui proinde absque Simoniae piaculo pro suo labore justum pretium petere possunt, et exigere.

VI. *Locus sepulturae, an vendi possit.*

Quoad locum vero sepulturae, si profanus sit, materiam Simoniae nequit constituere, unde emi et vendi potest, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 4. ad 3. Si vero locus sacer sit, vendi non potest, quum, ut habetur cap. *Ad abolenda*, Coemeterium terra sancta sit, et immunis, in qua sepulturam habere cuilibet fideli jus competit post mortem. Consuevit tamen aliquid ab eis exigi et expectare, qui vel in aliquo peculiari Ecclesiae loco, vel in aliquo sibi proprio sepulcro humani postulant, quum hic reputetur honor omnino profanus, et non sacer et religiosus. Non licet tamen laicis sepulturae locum vendere, quum ad Ecclesiam pertineat, cujus proinde domini non sunt, et pro libito disponere non valent.

Consectaria.

I. *In Monasteriis, non licet aliquid exigere pro prandio, sive alio quovis nomine.*

In Monasteriis tam virorum, quam mulierum, sive tenuiora sint, sive opulentiora, non licet aliquid exigere sive pro prandio, sive ad Sacristiae, vel Ecclesiae ornamentum, sive aliquo quovis nomine. Ita expresse jubet Urbanus V. in sua Const., quae incipit *In vinea Domini Sabaoth.* Illiciti vero sunt sumptuosi apparatus, musici concentus, comessationes, munera, et alia hujusmodi, quae fieri solent in Monialium ingressu, et professione; quaeque si ex pacto expresso, vel tacito fiant, labe Simoniae non carent. Ita aperte docet Navarrus in tract. de redditibus quaest. 1. Quod et confirmat Tournellius de Simonia cap. 4. sect. 3. Legatur Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. 11. n. 7. unde ista delibavimus.

II. *Non licet uberiorem exigere dotem, quia puella est deformis, minus nobilis etc.*

Non licet uberiorem exigere dotem, quia puella recipienda sit deformis, vel minus nobilis, vel vidua, vel aliqua notata infamia, vel

quia supra praestitutum numerum recipiatur, vel quia aliam vel alias habeat in eodem Coenobio sorores. Et ratio quidem de se manifesta est: quum enim non alio nomine recipi possit dos a puellis nisi in earum sustentationem, quam Monasterium ob paupertatem nequit illis suppeditare, coetera, quae afferuntur motiva et caussae nonnisi Simoniae palliationes sunt, vera mercimonia, et turpes nundinationes, quibus carius venditur iliis puellis in Monasterium receptio. At quid si puella, quae ingressum petit, infirma sit, debilis, Monasterio proinde onerosior futura, non licebit aliquid supra communem dotem exigere? Primum dico, si ob praefatas infirmitates inepta sit puella religiosis officiis, et muneribus nullo modo est recipienda et admittenda ad professionem; si vero ejus infirmitas talis non sit, ut ineptam efficiat, sed tamen pluribus indigeat, illicitum non erit uberiorem dotem accipere, tunc enim non exigeretur nisi in puellae sustentationem, quae ob suas infirmitates plus cogitur accipere quam coeteris datur sororibus: semper tamen videndum, ne sub infirmitatis praetextu nundinatio et mercimonium tegatur.

§. VI.

De Simoniacorum poenis, et Restitutione.

I. *Tria poenarum genera in Simoniacos lata, et quaenam Simonia subjiciatur canonicis poenis.*

Tria sunt poenarum genera in Simoniacos lata, videlicet 1. privatio rerum per Simoniam acquisitarum. 2. Restitutio pretii Simoniace accepti. 3. Excommunicatio latae sententiae, et suspensio ab exercitio Ordinum cum reservatione utriusque poenae ad S. Sedem. Porro sola Simonia commissa in Beneficiis, in Ordinibus, et in ingressu in Religionem subjicitur canonicis poenis. Hinc Simonia in venditione sepulturae, Missae, Concionis, aliarumque rerum sacrarum lethale quidem peccatum est, at minime ecclesiasticis poenis Simoniacus subjicitur. Simonia pure mentalis peccatum est, at nulli ecclesiasticae obnoxia poenae. Ita S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 6. ad 6. Simonia pure conventionalis, quando nimirum facta quidem est conventio de temporali dando, et spirituali accipiendo, sed neutrum traditum est, peccatum quidem lethale est, at poenis non subjicitur canonicis quum nondum realis sit, et completa.

II. *An in Simonia conventionali mixta, contrahantur poenae.*

In conventionali vero mixta ex reali discrepant Theologi, num spirituales poenae contrahantur. Et 1. quidem conveniunt quod si accepto pretio quid etiam minimum rei spiritualis traditum fuerit, vel e contra, si accepta re spirituali etiam minima pars pretii persoluta sit, jam habeatur completa Simonia realis, ac proinde Simoniaci canonicis poenis subjiciantur. 2. Conveniunt, in confidentia beneficiali idem contingere, licet qui Beneficium permutavit cum pacto acceptum Beneficium in favorem tertii resignandi, vel fructum partem alteri concedendi, postea juxta pactum vel resignare recuset, vel fructuum partem nolit alteri cedere; quia in sua Constitutione S. Pius V. statuit, etiam a solo accipientem Beneficium poenas incurri. At quoties in Simonia non confidentiali tradita quidem est res spiritualis, at non pretium

quod duntaxat promissum est, plures arbitrantur poenis non subjacere, ut si qui accepit spirituale, et promisit pecuniam, poenitens postea pecuniam solvere recusat; quia, inquiunt, Simonia non est completa, et censurae non infliguntur nisi opere completo. Verum longe probabilior mihi videtur contraria opinio; tum quia emptio, venditio, locatio censentur completae, quotiescunque merces, ager, domus alteri contrahenti tradita est, licet pretium non sit statim persolutum, sed persolvendum reservetur statuto tempore: tum quia hoc pacto via fraudibus sterneretur latissima; qui enim simoniace Beneficium emisset, nunquam profecto vellet pactam pecuniam persolvere, ut ita et Beneficium tuta conscientia retinere posset, et pecuniam sibi reservare, et sic simoniacis pactionibus aditus pateret. Pari pacto poenas incurrunt etiam qui Simoniam perpetrant solius ecclesiastici juris, quia lex non distinguit inter Simoniacos, sed contra omnes indiscriminatim poenas tulit.

III. *Simoniace ordinans, et ordinati excommunicationi subjiciuntur Summo Pontifici reservatae.*

Simoniace scienter ordinans et simoniace scienter ordinati Simonia reali et completa rei sunt, sicut et qui talis ordinationis mediatores sunt, excommunicationi reservatae Summo Pontifici subjiciuntur. Praeterea ordinans suspensus remanet a collatione cujusvis ordinis etiam Tonsurae, necnon ab exercitio aliorum omnium Pontificalium officiorum. Interdicitur etiam ab ingressu Ecclesiae, et ab administratione proprie Ecclesiae suspenditur, necnon a perceptione fructuum Beneficiorum omnium, quae possidet, a quibus singulis poenis nonnisi ab Apostolica Sede absolvi potest, ut ex cap. 45. de Simonia ex Bulla Sixti V. quae incipit *Sanctum*, *et salutare*. Simoniace vero ordinati praeter praefatam excommunicationem, suspensionem etiam incurrunt nedum ab ordine suscepto, sed ab omnibus aliis, quamvis licite susceptis, et si in ordinibus ministrent, irregulares evadunt.

IV. *Poenae Simoniae realis circa Beneficia, et spiritualia officia enumerantur.*

Poenae vero Simoniae realis circa Beneficia, et officia spiritualia sunt 1. excommunicatio S. Pontifici reservata; cui subjacet etiam qui tali Simoniaco pacto alteri quovis modo beneficium procurat, ut constat ex cit. cap. de Simonia, et ex Bulla Sixti V. contra male promotos. Praeterea ipsa collatio et provisio Beneficii simoniace facta irrita omnino est et nulla; proinde et Beneficium renuntiare tenetur, et quum non faciat fructus suos, eos omnes, quos percepisset, restituere debet, ut statuit Martinus V. in Concil. Constant. sess. 43. Et constat ex laud. Extrav. Pauli II. 3. Simoniace electus vel provisus fit inhabilis ad idem Beneficium ulterius obtinendum, nec ab Episcopo dispensari potest. 4. Ineptus evadit ad quaecunque alia Beneficia, vel dignitates obtinendas. Hisce poenis subjiciuntur etiam, qui propria auctoritate Beneficia permutant, quum in jure vere Simoniaci reputentur. Sicut qui etiam Regularium Praelaturas simoniace obtinent, quia licet Beneficia non sint, sunt tamen officia, quae spiritualem et ecclesiasticam jurisdictionem habent adnexam.

V. *Poenae latae in confidentiam beneficialem.*

In confidentiam vero beneficialem hae latae sunt poenae. 1. Excommunicatio reservata Papae, si contrahentes sint Episcopo infe-

riores, Episcopis enim indicitur interdictum ab ingressu Ecclesiae. 2. Beneficio per Simoniam confidentialem obtento ipso facto ante omnem Judicis sententiam privantur, seu potius ejus collatio nulla et irrita habetur. 3. Inepti omnino efficiuntur tum ad illud, tum ad alia obtinenda Beneficia. 4. Coeteris Beneficiis cum pensionibus etiam legitime et licite acquisitis privantur. 5. Beneficia per hujusmodi Simoniam collata et acceptata Papae reservantur, nec in manibus Ordinariorum queunt resignari, vel ab illis conferri. 6. Fructus Beneficiorum per confidentiam acquisitorum, ubi mos est et consuetudo, Camerae Apostolicae reservantur. Haec omnia statuta leguntur in Bullis 85. Pii IV. et 84. et 85. S. Pii V.

VI. *Poenae contra Simoniacos in ingressu Religionis.*

Qui vero Simoniam committunt pro ingressu in Religionem, si sint privatae personae, excommunicatione innodantur Sum. Pontifici reservata, si vero sit Conventus vel Communitas, suspensionem ipso facto incurrit reservatam Sum. Pontifici ab omnibus capitularibus officiis, quae ad ecclesiasticam attinent administrationem, ut habetur in cap. *Sine*, ext. de Simonia. Receptus vero ac professus per sententiam declaratoriam Judicis, in arctius Monasterium est detrudendus, interim tamen dum in Monasterio manet, omni voce activa et passiva privatur. Praeterea Simoniae infamiam etiam incurrunt, et propterea fiunt irregulares, si crimen sit notorium notorietate juris et facti.

VII. *Pretium simoniacum restituendum, et quibus restitutio facienda sit.*

Qui pretium simoniacum accepit, illud ante omnem sententiam Judicis non solum positivo jure sed et naturali et divino restituere tenetur, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 6. in corp. Quod verum est etiam in illis rebus, quae solo jure ecclesiastico vendi prohibentur, quum auctoritate Ecclesiae a rebus naturalibus sejunctae sint, et inter spiritualia nunquam pretio vendenda connumeratae. Ad eamdem restitutionem tenentur etiam mediatores, qui pecuniam perceperunt, ut alteri Beneficium, vel quid spirituale obtinerent, ut docet S. Th. l. laud.

Pretium simoniace acceptum non est danti restituendum, sed Ecclesiae vel pauperibus, quia turpiter dedit, et eo privare meretur, ut docet idem S. Doct. l. cit. ad 4. Nec obstat, quod solvens pretium pecuniae suae dominium non amittat, quippe quia quum turpiter dederit, meretur pecunia sua privari. Fructus autem Beneficii simoniace obtenti retineri a simoniaco non queunt, sed ante Judicis sententiam sunt pauperibus distribuendi. Ita S. Th. loc. c. ad 3. Quod tamen intelligendum est de fructibus, qui supersunt, deductis expensis factis caussa fructuum, exceptis fructibus illis, qui alias expensi sunt in utilitatem Ecclesiae.

Consectaria.

I. *Ad quid teneatur, qui intercessit pro alio Beneficium.*

Qui simoniace intercessit pro alio ad impetrandum Beneficium, tenetur non solum pretium simoniace acceptum, sed etiam, Beneficiario non restituente, Ecclesiae vel pauperibus fructus ab ipso Beneficiario male perceptos restituere etiam ante omnem sententiam

Judicis. Et quidem ad pretii restitutionem teneri constat ex superius dictis. Quoad fructus vero sic aperte docet Bened. XIV. Instit. Eccles. 12. §. 12. ubi sic scribit: *Simoniace ad Beneficia promoti, quos ab Ecclesia exerunt, licet nullum Decretum intercesserit, restituere debent . . . . criminis etiam adjutores pro Ecclesiae utilitate, vel pro sublevandis egenis eosdem fructus in subsidium impendere tenentur.* Et merito quidem, quum enim fructus illi injuste percepti ad Ecclesiam et pauperes, cujus sunt patrimonia, et quibus fraudantur per iniquum Pastorem, pertineant, sint illis restituendi.

II. *Item ad quid ille, qui ipso inscio et nolente simoniace Beneficium obtinuit.*

Qui simoniace Beneficium obtinuit, ipso tamen inscio et nolente, Beneficium resignare tenetur, et fructus extantes restituere, nisi forte fraudolenter per inimicum Simonia patrata fuisset. Ita S. Th. laud. quaest. 100. art. 6. ad 3. Et quidem statim ac ipsi innotuerit simoniaca pravitas, et ante omnem sententiam judicis; quia, ut optime animadvertit idem Angelicus Doctor, Beneficio privatur non in poenam, quum ipsum non deliquisse supponatur, sed quia, ut ante dixerat, *quod aliquis privetur eo, quod accepit, non solum est poena peccati, sed etiam quandoque est effectus acquisitionis injustae, puta quum aliquis emit rem aliquam ab eo qui vendere non potest.*

III. *Item qui non contradixit, et qui et contradixit, et qui in contraditione perseveravit.*

Qui Beneficium obtinet, quod illi alius impetravit simoniaca nundinatione, sed non contradixerit, Beneficium renuntiare tenetur, quippe qui silentio suo patratam Simoniam adprobare ostendit. Si vero primo contradixerit, sed postea ante possessionem acquieverit, adhuc renuntiare tenetur: si vero constanter in contradictione perstiterit, non tenetur Beneficium a se abdicare, tenetur tamen convalidationem a Sede Apostolica petere et obtinere. Haec omnia colliguntur ex Decretali Innoc. III. Cap. *Sicut*, Ext. de Simonia. Et Bened. XIV. in superius laud. Inst. 12. §. 12. aperte docet, quod si quis a Sacra Congr. absolutionem petat a Simonia commissa ab aliquo tertio, inscio Beneficiario, tunc rescribitur pro convalidatione tituli, dummodo *ante possessionem*, idest modo id non rescierit ante acceptam Beneficii possessionem: tunc enim nec convalidatio tituli conceditur.

IV. *Simoniace Beneficium obtinens non privatur ipso facto Beneficiis antea obtentis; inhabilis tamen fit ad alia.*

Qui simoniace Beneficium obtinuit, non privatur ipso facto Beneficiis antea obtentis, nisi simonia sit confidentialis; inhabilis tamen remanet ipso facto ad alia Beneficia obtinenda. Et quidem non privari Beneficiis alias legitime acquisitis communiter docent Theologi, quum hoc nulla sit lege sancitum, et haec peculiaris poena sit confidentiae beneficialis, ut statuit S. Pius V. Illis tamen per judicis sententiam, pensata criminis gravitate, poterit privari. Inhabilitatis autem ad alia Beneficia obtinenda, etiam ante sententiam judicis: poenam inflixit S. Pius V. in sua Constit. *Quum primum* decernens, *Qui dignitates ecclesiasticas simoniace acquisierit, illis sit ipso jure privatus, et in futurum inhabilis ad eas, et quascumque alias obtinendas. Qui Beneficium aut officium ecclesiasticum simoniace adeptus fuerit, perpetuo sit inhabilis ad ea, et quaecunque alia Beneficia obtinenda.*

V. *Quis valeat a poenis Simoniacos dispensare.*

Quoad absolutionem et dispensationem a poenis, queis subjiciuntur Simoniaci, in Concilio Tridentino statutum est: » Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto pro- » venientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et » exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, et in » quibuscunque casibus occultis etiam Sedi Apostolicae reservatis de- » linquentes quoscunque sibi subditos in Dioecesi sua per seipsos, » aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiae » gratis absolvere, imposita poenitentia salutari. Idem et in haeresis » crimine in eodem foro conscientiae eis tantum, non eorum Vicariis, » sit permissum ». Possunt itaque Episcopi a poenis in Simonia occulta absolvere, et dispensare. A nonnullis tamen Theologis, et Juris Canonici Doctoribus excipiuntur poenae latae contra Simoniacos in susceptione et collatione Ordinum, quippe quia Sixtus V. eas sibi expresse reservavit Const. 91. quae incipit *Sanctum*, *et salutare* derogando omnibus privilegiis, et Concilio Tridentino. Reinffestuel lib. 5. Decretal. tit. 3. n. 335. addit, eam tamen Bullam non in omnibus Regnis ac Provinciis vim obtinere. Qui merito addit, Episcopos, licet ab occulto Simoniae scelere queant absolvere, non posse tamen Simoniacum ad Beneficia imposterum obtinenda idoneum reddere, licet Simonia sit occulta; excipitur tamen, si Beneficium simplex, immo et Praelaturam aut Dignitatem quis simoniace esset consecutus, ipso tamen invincibiliter ignorante, et bona fide acceptante; debet tamen illa prius libere resignare, nisi forte electio vel collatio jam foret per sententiam Judicis reprobata: tunc enim nequaquam poterit Episcopus dispensationem elargiri.

DISSERTATIO II.

De Secundo Decalogi Praecepto.

Non assumes nomen Dei in vanum.

Quemadmodum in priori Decalogi praecepto, licet in verborum cortice negativo, Non habebis Deos alienos coram me, *praecepit nobis Dominus, ut unum verum Deum corde et animo diligeremus, et diligendo coleremus; ita in secundo mandato, licet nonnisi vanam divini sui nominis assumptionem vetare videatur, jubet tamen, ut ipsum lingua collaudemus. Laudamus vero, ejusque nomen congrue assumimus triplici modo*, 1. per modum juramenti ad propria verba confirmanda, *ut docet S. Thom.* 2. 2. *q.* 89. 2. per modum adjurationis ad alios inducendum, 3. per modum invocationis ad orandum, vel laudandum. *Et quidem de adjuratione et laude Dei jam in praecedenti Dissertatione late diximus. Hic igitur de juramento disputare debemus. Juramento autem affine est votum. De utroque hic agemus duobus Capitibus, quibus addemus tertium de Blasphemia; qua proscinditur ejus sanctissimum nomen. Sit itaque*

CAPUT I.

De Juramento.

§. I.

De nomine et essentia Juramenti ejusque divisione, necnon conditionibus ad rite jurandum requisitis.

I. *Juramenti definitio, ejusque explicatio.*

Juramentum definitur a S. Thom. *Assumptio divini nominis in testem.* Dicitur *assumptio*, sive invocatio, ut distinguatur ab allegatione alicujus textus sacrae Scripturae ad firmandum, quod dicimus, quod profecto juramentum non est. Additur *divini nominis* non quidem materialiter inspecti, sed Deum ipsum exhibentis et signantis. Denique addit D. Thom. *in testem*, quia, ut ipse subdit, *pro jure introductum est, ut quod sub invocatione divini testimonii dicitur, pro vero habeatur.* Divinum porro nomen assumi dupliciter in testimonium valet, nimirum vel explicite, quum Deus ipse per se invocatur, ut quum Apostolus ajebat, *quae autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior;* vel implicite, nimirum quum creaturas aliquas, in quibus divina excellentia speciali modo refulget, nominamus, ut quum juramus per Evangelia, per Crucem Domini, per ejus Matrem, vel etiam per alias creaturas earum ad Deum ordinem designando, ut si quis dicat *per hunc Dei panem, per hunc ignem Dei*, et similia. Licet nec ad jurandum verba sint necessaria, nec divini nominis invocatio: quis enim jurare censetur vel si solum dicat *juro*, vel nihil dicens jurare jussus, vel Evangelium tangat, vel pectus, vel capite, oculis, nutu indicet se annuere. Quum vero ad jurandum plurimae queant adhiberi formulae, quarum aliquae aperte juramentum exprimunt, aliae, quae in communi usu pro juramentum non habentur, aliae tandem, quae et juramenti loco adhiberi queunt, et etiam solam exprimunt divini nominis enunciationem, proinde utrum in juramentum assumantur, spectanda est pronuntiantis intentio. Hinc sequentes statuuntur regulae.

II. Reg. 1. *Quotiescunque prolata verba vel aperte juramentum continent, vel in communi sensu pro juramentum accipiuntur, ut vera juramenta sint, non pendent ab intentione vel voluntate ipsius proferentis.*

Non enim est in potestate cujuspiam verborum sensum immutare, et efficere, ut quae juramenta sunt, talia non fiant. Hinc merito damnata fuit ab Innoc. XI. propositio 25. quae ajebat: *Cum caussa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

III. Reg. 2. *Si verba prolata juramenti formulam non contineant, nec in communi usu pro juramento habeantur, licet adhibeantur ad fidem faciendam, et ad rem fortius suadendam, non sunt censenda juramenta, nisi constet ad hoc fuisse prolata.*

Nam licet quisquam ad jusjurandum quibuslibet verbis et nutibus uti possit, nisi tamen exprimat et declaret mentem suam, quae ex adhibita formula non apparet, censendus est, se a communi usu loquendi non recedere. Si vero verba ad affirmandum adhibita talia sint, ut et enuntiative sumi possint, et assertive, tunc duo sunt attendenda, nimirum et proferentis mens, et intentio, quae si ostendat,

illum velle rem efficaciter persuadere, censendum est ad juramentum adhibita. Si vero de mente animoque non constet, attendenda est indoles loquentis, qui si juramentis sit assuetus, praesumendus est jurare; si vero sit bene moratus et a juramentis abhorrens, nec ea adhibens nisi raro et magna urgente caussa, non est censendus jurare. Hujus generis sunt illae formulae, *Deus scit qua mente id dico vel facio*, quod dico *Evangelium est*, de hoc *Deo reddam rationem*, et similia.

IV. *Juramenti divisiones.*

Plures sunt juramenti divisiones: nam 1. aliud est privatum, et aliud publicum, seu judiciale; illud fit inter privatos, hoc vero coram Judice. 2. Aliud est assertorium, aliud promissorium; priore, ut inquit S. Th. hic art. 1., *divinum inducitur testimonium ad asserendum praeterita, vel praesentia, alio ad confirmandum aliquod futurum.* Aliud quoque est juramentum simplex sive mere contestativum, et aliud execratorium, seu imprecatorium; priore Deus invocatur solum ut testis, in posteriore vero ut testis et Judex, ut docet S. Th. l. l. ad 3. Denique aliud est sincerum, et praestitum sine suco et fraude, aliud dolosum, quod subdole praestatur ad proximum fallendum, quod vel fit aperto mendacio, vel verbis ambiguis et aequivocatione. Conditiones autem ad licitum, et religiosum juramentum habentur in Scriptura. Jerem. 4. *Jurabis: vivit Dominus in veritate, in judicio, et justitia.* De quibus infra.

Consectaria.

I. *Perjuriorum major, minorve malitia.*

Licet juramenta omnia sint ejusdem speciei, ut probabilior tenet opinio, perjuria tamen majorem vel minorem nancisci valent malitiam. Sic in perjurio promissorio duplex habetur malitia, quia et Deus ut testis falso invocatur, et ut fidejussor contemnitur; et similiter in perjurio execratorio ejus testimonium falso invocatur, et justitia ejus parvipenditur. Perjurio jungi queunt etiam malitiae alterius generis, ut si quis dicat: *pereat Deus si res non ita est*, perjurio conjuncta est blasphemia: et similiter si Judici vel Superiori juramentum postulanti perjurio veritatem celares, adderes et malitiam inobedientiae, et, si forte veritatis occultatio cederet in damnum tertii, adderetur injustitiae malitia.

II. *Formula juramenti est, qua dicitur*, per Deum.

Inter ceteras et communes jurandi formulas est reponenda illa, qua dicitur *Per Deum* quoquo modo dicatur juxta idiomatum diversitatem, ut quum Itali dicunt *Per Dio*, Siculi Par Dio, Hispani *Par Dios*, sicut et alia *per fidem Dei*, seu ut Itali dicunt *affè di Dio.* Nam hae phrases veram exprimunt divini testimonii invocationem, et ad aliquid confirmandum communiter adhibentur: dixi communiter, quia contingere quandoque potest, ut etiam enuntiative proferantur, ut si quis admiratione correptus exclamet *per Deum*, vel *per potentiam Dei*, seu ut Itali dicunt *posar Dio.* Hinc audiendi non sunt Tamburinus, Sporerius, aliique antiquiores Probabilistae docentes, per illa verba non jurare homines, non alia ratione ducti, nisi quia aliqui ad singula fere verba effutiunt illud suum *per Deum*, quasi perversa jurandi consuetudo juramenta tollere valeat.

III. *Voces inter juramenta non accensendae.*

Puto non accensendas inter jurandi formulas voces illas pene communes etiam viris piis *in fidem*, alla fè, *in mea conscientia*, in coscienza mia, *in veritate*, in verità, *serio*, dico da vero, *ut christianus loquor*, da cristiano, *ut Religiosum decet*, da Religioso; quia non videntur divini nominis directam vel indirectam invocationem continere, et licet nomina Christiani et Religiosi aliquid sacri praeseferant, communiter tamen accipiuntur prout classem important personarum veritatem semper dicere profitentium, proinde communiter non sumuntur ab audientibus tanquam juramenta, sed tanquam argumenta ostendentia, majorem mereri fidem ejus dicta, quia a Christiano et Religioso prolata.

IV. *Formula juramenti execratorii.*

Formulae veri juramenti execratorii sunt: *non hic abeam: possim mori; decidant mihi caput, pedes, manus; Diabolus me ad inferna trahat; Deum non videam in hora mortis*, et sexcenta hujusmodi, quae frequentissime ex ore erumpunt mulierum praecipue, et puerorum. At nec execrationes sunt, nec juramenta dicta illa, *opignoror caput, manus, pedes; amputentur aures, nasus, lingua; nolo amplius mihi credas, sim infamis, si mentior*, et similia, quae a nullo pro juramento accipiuntur, et enphasim solum asserendi important.

V. *Qui frequenter nomina Dei, Mariae etc. ingeminant, secundum Decalogi praeceptum violant.*

Hoc secundum Decalogi praeceptum violant, qui frequenter etiam nihil affirmando vel negando, sed vel ira perciti, vel admiratione correpti, vel impatientia commoti sanctissima nomina vel Dei, vel Jesu, vel Mariae, vel alicujus Sancti frequenter ingeminant, quippe quia nec ea qua decet reverentia proferunt, et non infrequentius perturbatos animi sui motus hisce nominibus exprimunt; peccati venialis tamen culpam arbitror non excedere, nisi forte quaedam adhibeantur formulae, quae pias aures offendunt, et quae nonnisi vel in vehementi indignatione, vel alio perturbato animi moto proferuntur, cujusmodi sunt *Potentia Dei*, italice pofar Dio, *in Dei conspectu* al cospetto di Dio, *vivit Deus* viva Dio, quae profecto dum ex ore resonant, audientium animos mirum in modum commovent, horrent aures, et offensionem et scandalum patiunt, praesertim si frequentes sint, si in religioso ore resonent. Hoc quidem dum per modum cujusdam invocationis, vel enunciationis promuntur: non sum enim nescius et vim juramenti posse induere, et illarum aliquam, etiam blasphemiae iniquitatem praeferre ratione modi proferendi, ut suo loco dicemus.

§. II.

De veritate in Juramento assertorio, necnon de aequivocatione, amphibologia, distinctione scientiae communicabilis, et incommunicabilis.

I. *Veritas prima juramenti conditio, quae si deest perjurium est.*

Prima, quam Deus constituit per os Jeremiae, conditio ad juramenti honestatem est *veritas* rei juratae, seu notitia in jurante de

veritate rei, quam affirmat, quae profecto si desit, juramentum vertitur in perjurium. Porro haec veritas non tam objectum jurisjurandi respicit, quam ipsum jurantis animum: fieri enim potest, ut quis verum jurando pejeret, et falsum effutiendo non pejeret, nimirum si prudenter credat verum quod jurat, licet in se falsum, vel e contra quod falsum putat juret, quod tamen contingit forte in se esse verum. Si itaque veritas haec a jurejurando absit, semper perjurium est, et peccatum mortale, sive res gravis sit, sive levis, sive etiam levissima, ut patet in prop. 24. inter damnatas ab Innoc. XI: quae ajebat: *Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.* Et merito proscripta fuit, quippe quia perjurium suam malitiam nequaquam desumit aut metitur ex qualitate mendacii sive levis, sive gravis, sive jocosi, sed ex divinae Majestatis granditate, cui gravissima semper irrogatur injuria, quum testis invocatur mendacii, quod et optime animadvertit, et docet D. Th. q. 98. a. 3. ad 2.

II. *Perjurus est, qui rem dubiam juramento confirmat.*

Perjurii etiam reus est, et graviter peccat, qui rem dubiam tamquam certam juramento confirmat: aliter enim ore profert qua mente teneat, dubius enim in mente de veritate rei, si exterius ita enuntiat ac si certa foret, mentitur, propterea et, addito juramento, fit perjurus.

III. *Certitudo ad juramentum necessaria.*

Ut quis sine perjurio alicujus rei veritatem confirmare valeat, debet esse de eadem veritate ita moraliter certus, ut quodcunque prudens dubium excludatur. Ita docet Catechismus Concilii Trid. de 2. praecepto Decal. sect. 2. Et Bellarminus de Sacram. in genere cap. 6. scribit: *Ad testificandum nomine Dei aliquid, requiritur verissima certitudo, nec sufficit probabilis opinio, ut patet in simili de juramento. Non enim licet juramento, idest Dei testimonio, uti in re quam opinamur veram, sed solum in re, quam certissime sumus esse veram.* Immo longe major requiritur certitudo ad aliquid juramento confirmandum quam ad aliquid vel prudenter credendum, vel prudenter agendum. Sic prudenter credimus, quod a viro fide digno audimus; et prudenter pecuniam mutuo damus amico, a quo speramus restituendam: at nec rem ab fide digno auditam confirmare possumus juramento esse veram, nec jurejurando asserere certo nobis a mutuante restituendam.

IV. *Quomodo veritas est occultanda.*

At quum veritatem prodere non semper expediat, immo quandoque et charitas urgeat, et prudentia dictet esse aliqua vera etiam petenti et interroganti occultanda; hinc plures a Doctoribus excogitati sunt modi veritatem tegendi, et morosam, injustam, et imprudentem indagatorum curiositatem frustandi. Ut autem et a mendacio caveamus, et a modis quibusdam mendacium continentibus a quibusdam Theologis excogitatis, simulque veritatem proximo vel animae noxiam vel ex praecepto tegendam abscondamus, hasce regulas statuimus.

V. Reg. 1. Quotiescunque veritatem tegere valemus silentio vel ad alia sermonem convertendo, vel non audivisse simulando, optime caussam agimus veritatis. Nam hoc pacto nec mentimur, quum nihil

ad rem et interrogationem respondeamus, et veritatem ex charitate, aut ex justitia tegendam occultamus. Ita docet S. Th. 2. 2. q. 110. art. 3. ad 4.

VI. Reg. 2. Si vere respondendum sit, et apta adsit aequivocatio, quae veritatem celare queat, et nullum in se contineat mendacium quia verba revera duplicem continent sensum, ea uti licitum erit, si gravi urgeat causa, vel absque culpa secretum nequeat revelari. Nam nec tunc ullum habetur mendacium, quum verba etiam quem exprimunt sensum revera complectantur, et menti respondeant loquentis, et etiam intelligentiae pateant interrogantis, si velit advertere. Hac legitima aequivocatione Athanasius prudenter mens hostibus suis eum ad necem quaerentibus at non de facie agnoscentibus dum ab eo quaererent quantum abesset Athanasius, respondit *non longe abesse.* Verum hasce amphibologias non est facile determinare, sed peritiae sunt relinqnendae, prudentiae, et solertiae respondentis. Solum aperte dicimus eas nec obvias esse nec cuique etiam sapienti praesertim in repentina interrogatione statim occurrere. Immo addimus etiam obviis, etiam apertis, etiam licitis non esse utendum nisi gravi urgente caussa et necessitate custodiendi secretum.

VII. Reg. 3. Si non occurrant hae licitae aequivocationes, non licet praetextu occultandae veritatis adhibere vel restrictiones mentales etiam externas, vel uti distinctione scientiae communicabilis et incommunicabilis, vel verbis uti materialiter. Nam haec sunt vera mendacia. Hinc non licet petenti pecuniam tametsi vel impotenti ad restituendum, vel moroso restitutori respondere, *non habeo* subintelligendo *ad dandum tibi.* Nec roganti de aliquo crimine a te patrato et occulto respondere *nescio* subintelligendo *scientia communicabili.* Nec denique poscenti an Petrus sit mortuus respondere *nescio* subintelligendo recitationem grammaticalem verbi *nescio nescis.* Hae enim omnes locutiones, amphibologiae, restrictiones mentales, vel externae etc. sunt vera mendaciorum integumenta.

VIII. Reg. 4. Qui interrogando monet, ne amphibologia etiam licita utamur, sed sincere et candide responsum reddamus, si justus est interrogator, verum respondere debemus, omissa etiam aequivocatione licita; si vero est perversus interrogator, repellendus est objurgatione, non aliqua aequivocatione etiam licite iterum respondendum. Primae partis ratio est manifesta: legitime enim interrogans jus habet ut verum candide et integre resciat, nec licet eum etiam licita aequivocatione fallere. Alterius vero partis ratio est; quia etiam injuste postulans veritatis manifestationem locum amplius non relinquit aequivocationi licitae, illi enim aperte mentiris, dum respondere volens sine aequivocatione, aequivocationis uteris. Nec obstat illum semper injuste interrogare et urgere responsionem: nam non ratione illius violentiae, sed divinae legis omne mendacium vetantis, teneris vel verum respondere, vel ejus vim justa vi repellere recusando qualemcumque responsionem, et iniquitatem injustae et molestae interrogationis abjiciendo. Unde apparet, falsam esse nonnullorum recentiorum doctrinam, qua dicunt, licitum esse aequivocationibus et amphibologiis uti usque in infinitum.

IX. Reg. 5. Aequivocationibus etiam licitis uti concessum non est, nisi hae adsint conditiones. 1. Ne respondens teneatur vel ex justitia, vel ex religione, vel ex obedientia nudam veritatem patefacere, sed legitimum jus habeat ad celandum. 2. Quod gravis et urgens adsit caussa veritatem non prodendi; unde merito damnata fuit etiam ex hoc capite propositio 26. *Caussa justa utendi amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, itaut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.* 3. Ne veritatis occultatione alicui noceamus, sed ita nobis prosit, ut nulli obsit. Haec regula tota desumpta est ex D. Th. hic q. 89. art. 7. ad 4.

Consectaria.

I. *Negligens in veritate inquirenda, perjurii reus evadit.*

Qui juramento aliquid confirmare vult vel debet, necessariam adhibeat oportet diligentiam, ut rei veritatem compertam habeat; alioquin si negligens sit in veritate inquirenda, perjurii reus evadit, licet fortassis verum juret. Ita docet Catechismus Concilii Tridentini in secundo Decal. praecep. n. 27. Ratio id confirmat: qui enim omittit debitam veritatis comperiendae diligentiam, de perjurio periclitatur, periculo autem peccandi se exponere peccatum est. Haec vero adhibenda diligentia major et minor esse potest; at non quidem juxta rei, de qua jurat, conditionem, ut quidem Theologi perperam docent, quasi, si res sit magni momenti, major sit adhibenda cura, minor vero si res sit exigui ponderis, quum juramenti gravitas et dignitas non ex re jurata, sed ex divinae veritatis, quae in testimonium vocatur, majestate et sublimitate desumatur; hinc etiam de re minima pejerare peccatum mortale est: sed diligentia haec et cura est ab arduitate comperiendae veritatis desumenda, si enim agatur etiam de re exigua, sed difficilis indaginis, majus requiritur studium, quam si de re etiam maxima ageretur, sed facilis cognitionis. Quodsi et ipsa rei gravitas et magnitudo majorem exposcat diligentiam, puta quia agitur de vita, de fama, de bonis temporalibus proximi, tunc haec major cura, et sollicitudo non tam a virtute religionis imperatur, ad quam juramentum pertinet, quam a virtute justitiae, nimirum ne periculum sit, ut praeter perjurium etiam in proximum iniquitatem perpetres, illi damnum grave inferendo.

II. *Homi privato non licet petere juramentum ab eo, quem credit pejeraturum; Judex vero potest ad petitionem alterius.*

Non licet homini privato juramentum ab eo petere, quem credit esse pejeraturum, etiam gravi urgente caussa, immo nec a parato ad pejerandum juramentum excipere. Prima pars evidens est: nam qui tale exigit juramentum, nulla justa movetur ratione, scilicet veritatem detegendi, quum sciat pejeraturum, quo perjurio veritas pervertitur, non aperitur: inique ergo jusjurandum extorquet. Altera vero pars pariter certa est ob eamdem rationem, quia tali juramento veritas non detegitur, sed Deo injuria irrogatur, et ille, qui tale recipit juramentum, alterius peccato cooperatur. Judex vero licite potest, juris ordine servato, ad petitionem alterius ab illo jusjurandum petere, quem novit pejeraturum. Ita docet S. Th. 2. 2. q. 98.

a. 4. *Si aliquis exigat juramentum tamquam persona publica; secundum quod exigit ordo juris, ad petitionem alterius; non videtur esse in culpa, si ipse juramentum exigat, sive sciat eum falsum jurare, sive verum: quia non videtur ille exigere, sed ille, ad cujus instantiam exigit.* Nonnulla tamen sunt notanda ex ipsa doctrina S. Thom. scilicet, quum Judex juramentum debeat extorquere ad petitionem partis et illius nomine, primum explorare debet, num Actor, qui juramentum urget, credat adversarium pejeraturum, et nihilominus jusjurandum exigat: nam si de hoc merito suspicetur, non debet illius iniquae petitioni acquiescere, quum injusta sit, Deoque injuriosa. Si vero deprehendat, Actorem ideo deposcere juramentum, ut reum ad confessionem veritatis adigat, poterit tunc absque peccato exigere, quum non nomine proprio, sed Actoris illud exigat. Prius tamen serio admonere debet reum de sanctitate et religione juramenti, et etiam Actorem rogare, ut a petitione juramenti desistat. Pariter et non licet Judici testes, quos ad falsum dicendum testimonium paratos noverit; ad juramentum admittere, sed vi officii sui, etiam reo non postulante, a suo Tribunali repellere. Sicut nec licet Judici juramentum ab utraque parte exigere nec in civilibus, nec in criminalibus, ut statuit Valentinum Conc. anni 885. can. 11.

III. *Licet juramentum petere ab eo, qui juraturus est per falsos Deos.*

Licitum est jusjurandum ab eo petere, qui praescitur juraturus per falsos Deos. Ita S. Th. hic q. 98. a. 4. ad 4. Ratio est, quia qui jusjurandum ab alio justa et legitima urgente caussa postulat, quod bonum est, et bene et recte praestari potest flagitat; quod autem alter nonnisi male sive ex malitia, sive ex ignorantia praestet, id ei tribuendum est. *Non tamen licet*, ait S. Doct., *eum inducere ad hoc quod per falsos Deos juret.*

IV. *Quomodo se gerere debeat Confessarius, de auditis in confessione interrogatus.*

Confessarius absolute interrogatus de aliquo facto sibi per solam confessionem comperto licite absque ulla aequivocatione vel restrictione respondere potest se nescire; si vero interrogetur tanquam Confessarius, sine mendacio inficiari non potest. Primae partis ratio est manifesta; sed non juxta doctrinam recentium Theologorum ob mentalem restrictionem *ad tibi dicendum*, ob duplicem scientiam communicabilem, et incommunicabilem, ob determinationem personae interrogatae. Non quidem quia et haec aptari non queant Confessario, sed quia semel pro Confessario admissis, jam nimium ad alios dilatantur cum maximo veritatis detrimento, et humana societatis perturbatione. Ratio itaque vera et efficacissima est, quia notitia per confessionem habita non est ordinata ad humanum convictum, et ad haec terrena dirimenda, sed tota spiritualis est, et in ordine ad Deum, proinde de se tota coarctatur inter poenitentem et Confessarium, nec extra hos ullo modo dilatari potest, adeo ut quodcunque maximum et gravissimum detrimentum in terrenis occurrat, nunquam liceat notitia per confessionem habita illud avertere, sed omnino permittendum est. Hoc igitur posito, quis non videat, Confessarium absolute de aliqua re ad hac terrena spectante, non de auditis in

confessione interrogari, quae in his locum non habent, sed de his, quae sibi sunt naturali et communi modo comperta, proinde respondendo se nescire et ad mentem respondet interrogantis, et juxta veritatem notitiae, quae locum habet in humanis? Unde optime observat S. Thom. in Suppl. q. 11. a. 1. ad 1. *Quod sub confessione scitur, est, quasi nescitum, quum illud non sciat aliquis ut homo, sed ut Deus.* Et iterum ad 3. *Homo non adducitur in testimonium nisi ut homo, et ideo sine laesione conscientiae potest jurare se nescire, quod scit tantum ut Deus*; idest notitia, quae ad haec inferiora et terrena pertineat, juxta quam illa ordinari debeant, ac dirigi. Si vero interrogetur reduplicative ut Confessarius, tunc licet aliqui Theologi adhuc docere non dubitent, respondere posse se nescire, nihilominus patet manifeste, eo in casu mentiri, quum revera coram Deo et hominibus illud ut Confessarius resciat, proinde si negationem suam juramento confirmaret, perjuri reus foret. Itaque vel interrogatio ex ignorantia et simplicitate interrogantis oritur, ut contingere potest in matre, quae sollicita de salute animae filiae suae stuprum passae ad Confessarium eam adducit, ut patrati delicti per absolutionem obtineat veniam, quae postmodum et ipsa ad eundem Confessarium accedens et dolorem suum ostendens ob facinus a filia patratum postulat, num saltem sincere illud in confessione aperuerit. Cui si respondeat, se nescire stuprum filiae, eam in suspicionem inducet sacrilegae confessionis; si vero dicat sincere confessam peccatum suum, sigillum sacrilege infringet. Respondere itaque matri debet, ut propria ipsa pandat peccata, et de alienis non inquirat. Si vero qui interrogat, sacrilegus scrutatur sit, amarioribus verbis et aspera redargutione est repellendus, et nullam ab ipso esse responsionem sacrilegae interrogationi expectandam regerat.

§. III.

De duabus aliis conditionibus judicio, *et* justitia *ad juramenti assertorii honestatem requisitis: necnon de prava jurandi consuetudine.*

I. *Quid judicii nomine intelligendum sit; et quid nomine justitiae.* Quum Dominus per os Jeremiae jusserit, praeter veritatem etiam *judicium* et *justitiam* tanquam comites semper esse jurijurando consociandas, quid judicii, quid justitiae nomine intelligendum, explicare oportet. Nomine itaque judicii ex D. Th. hic q. 89. a. 3. non actus justitiae designatur, sed prudens consideratio, qua quis attente perpendit utilitatem et necessitatem juramenti; ne pro re levissima juret, et absque ulla necessitate. Justitia vero designat exclusionem a materia per juramentum confirmanda cujusque pravitatis, adeout nunquam juramento confirmetur aliquid iniquum, improbum, et cuique virtuti adversum. Porro defectus justitiae in juramento contingit, 1. si quis actionem iniquam et criminosam se perpetraturum jurejurando confirmet, ut quum Act. 23. v. 12. quidam ex Judaeis devoverunt se dicentes: *Devotione devovimus nos nihil gustaturos donec occidamus Paulum:* et hoc pertinet ad juramentum promissorium, de quo infra. Alio modo juramento confirmando aliquid iniquum vel a

jurante vel ab alio perpetratum, ut quum quis ad puellam infamandam jurat, se vel alium eam constuprasse, quod quidem verum licet sit, in dedecus tamen et infamiam redundat puellae.

II. *Dum deficit justitia, non semper lethaliter delinquitur.*

Quotiescunque in juramento assertorio deficit justitia, non semper est lethale peccatum, sed juxta qualitatem rei malae, quae juramento firmatur, modo veniale est, modo lethale: qui enim rem venialiter malam a se vel ab alio perpetratam juramento confirmat, non deficiente veritate, venialis culpae terminos non transilit. At si res perversa, quae juramento confirmatur, sit grava peccatum, profecto lethale quoque crimen est eam juramento confirmare. Sic itaque qui proximi occultum crimen revelat, et ad fidem suae detractionis faciendam addit juramentum, duplex peccatum peccat et adversus charitatem proximi, et adversus justitiam juramenti, gravem irrogando Deo injuriam, cujus sancto abutitur nomine ad pondus detractioni et famae proximi adjiciendum.

III. *Quando habeatur defectus judicii.*

Defectus vero judicii habetur, quum quis sine justa caussa et necessitate Deum in testem adhibet: quum enim juramentum institutum sit, ut inquit S. Thom. hic q. 89. a. 2. *ex parte finis ad justificandum homines, et ad finiendas controversias, cedit in malum alicui ex eo quod male utitur eo, idest sine necessitate et cautela debita. Videtur enim pravam reverentiam habere ad Deum, qui eum ex levi caussa testem inducit; quod non praesumeret etiam de aliquo viro honesto.* Duae igitur necessariae sunt conditiones, ut ex parte judicii honestum sit, et religiosum jusjurandum, nimirum 1. rei veritatem non alia via probari posse, in vanum enim nomen Dei assumeret, qui juraret se in crumena pecuniam habere, quum ipsam pecuniam possit ostendere: 2. ut confirmatio veritatis cedat vel in utilitatem publicam, vel saltem in privatam aut ipsius jurantis, aut proximi. Hujus autem vel necessitatis vel utilitatis varii sunt gradus, aliqua tamen utilitas sit in juramento ad ejus honestatem oportet, quae tamen si deficiat, non erit lethale peccatum, dummodo tamen res vera sit, justa, et licita.

IV. *De prava jurandi consuetudine.*

De prava jurandi consuetudine, quae ferme totum christianum orbem occupavit, nonnulla sunt ad sacrorum Ministrorum doctrinam et institutionem tradenda. Et primo quidem jurandi consuetudinem appello illam pendentiam, impetum, et habitudinem ex frequentibus juramenti actibus inductam. Hanc de se et absolute malam nullus est, qui ambigat, quum eam et Scripturae et Patres interdicant, horreant, detestentur. Ecclesiast. 23. *Jurationi non assuescat cor tuum, multi enim casus in illa.* Et paulo infra: *Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga.* Et huc spectat monitum Apostoli Jacobi cap. 5. scribentis: *Ante omnia autem Fratres nolite jurare per coelum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum. Sit autem sermo vester, est, est, non, non.* Quae verba expendens D. August. serm. 180. de verb. Apost. scribit: *Quare ante omnia? isto verbo, quod ait ante omnia cautos nos facit adversus linguam vestram, ut vigiletis, ne subrepat vobis consuetudo jurandi.* Porro

haec jurandi consuetudo in quadruplici veluti statu seu gradu spectari potest. Et 1. quidem illorum, qui frequenter quae falsa norunt advertenter jurant. 2. Qui passim jurant, sed animadvertentes et caventes ne falsum jurent. 3. Illorum, qui se quidem jurare optime norunt, at num verum sit vel falsum quod jurant flocci faciunt. 4. Denique qui ita sunt hoc pravo abrepti habitu, ut nec ad veritatem rei, nec ad ipsum juramentum advertant. De his itaque sequentes sunt regulae statuendae.

V. Reg. 1. Qui prava est irretitus consuetudine jurandi falsum advertenter, est in statu peccati lethalis, nec capax est absolutionis, nisi hanc consuetudinem abjiciat. Vix confirmatione indiget haec regula, quum de se aperta sit, nam plures in ea manifeste apparent malitiae, nimirum advertentia de falsitate juramenti, prava voluntas pejerandi; ipsa demum consuetudo, quae est ferme continuum peccatum. Eapropter tali irretitus pravo habitu adeo tenetur illud exuere et abjicere, ut quotiescunque animadvertens suam pravam consuetudinem negligit eam deponere, peccet.

VI. Reg. 2. Qui passim et frequenter jurant, licet caveant, ne falsum jurent, peccant tamen lethaliter. Quia hi se constituunt in periculo proximo pejerandi, et ipsis moraliter impossibile est semper ea attentione et cautione jurare. Quod vero ipsa consuetudo jurandi proximam constituat occasionem, proximunque periculum pejerandi, nedum imperitus sit oportet, sed et impius qui neget, quum et Scripturae clarissimis contradicat testimoniis, et SS. Patrum dicta et monitiones temerarie aspernetur. Cum his itaque ita se gerat, Confessarius. De divini nominis profanatione objurget, et de proximo pejerandi, in quo versantur, periculo moneat, a quo si resilire pollicentur, absolvi prima vice possunt; et si quidem jurandi frequentiam semper minuant, non sunt sine absolutione dimittendi, sed iterum hortandi, ut hanc pravam radicem omnino exterminent. Si vero nullum appareat emendationis vestigium, nullam vel modicam adhibitam ad pravum evitandum habitum diligentiam deprehendat, absolutionem differat, et ab Eucharistiae participatione removeat. Quandoquidem ille in proximo periculo et voluntaria proxima occasione pejerandi perseverare velle ostendit, proinde nec peccatum detestari, nec Dei offensae vitandae propositum in animo habere, indignum proinde esse absolutione et sacrae mensae participatione.

VII. Reg. 3. Qui ita jurandi consuetudine abripiuntur, ut nec se jurare advertant, nec ad rei juratae veritatem vel falsitatem attendant, et actu peccant dum jurant, et peccandi consuetudinem tenentur abjicere. Non desunt quidem Theologi, qui censent, hujusmodi juramenta indeliberata non esse peccata lethalia in se, sed solum in sua caussa. Quandoquidem, ut alibi diximus, hujusmodi perjuria, licet non sint voluntaria directe, sunt tamen indirecte volita in ipsa prava consuetudine libere, et voluntarie, et culpabiliter retenta, et hoc sufficit ad actionem criminosam actu constituendam.

VIII. Reg. 4. Qui prava consuetudine jurandi detinentur, ex qua saepe in perjuria lapsi sunt, nec prima vice sunt absolvendi, nisi experientia de eorum emendatione constet. Quia haec prava consuetudo majorem expostulat cautelam. Porro ad hanc majorem vigi-

lantiam, cautelam, intentionem quammaxime conducet absolutionis dilatio, qua poenitentes salubriter terrentur, et cautius vigilant. Quod si hoc non satis esse perspicias, sed poenitens adhuc inemendatus revertatur, remedium aliud adhibe, quod propouit D. Jo. Chrysost. hom. 5. ad populum Antiochenum: *Vis discere* (scribit) *quomodo ab improba consuetudine liberari liceat? Ego te quemdam docebo modum, quem si tenueris, superabis omnino. Quum videris teipsum, vel alium quemque vel servorum, vel filiorum, vel uxorem hoc malo captos, iube non pransos cubare, et hanc tibi, et illis damnationem impone.*

CONSECTARIA.

I. *Juramenta hyperbolica improbanda.*

Judicii saltem defectu improbanda sunt juramenta hyperbolica, ut quum quis jurat infinitas se pati aerumnas, alium esse immensis divitiis locupletem etc. quia licet in his fortasse veritas non laedatur, sunt enim intelligenda hyperbolica verba sano sensu; sunt tamen incauta et imprudentia, et, quod etiam pejus est, sine ulla necessitate adhibita, proinde vitanda, atque fugienda.

II. *Quid de eo, qui absque necessitate passim jurat.*

Qui non ex consuetudine passim jurat, aliquando tamen sine necessitate, justaque caussa jurat, non est lethalis peccati reus existimandus, si quod verum est vel esse legitime arbitretur, jurejurando confirmat, licet fortassis falsum sit. Itemque qui non ex consuetudine, sed ex repentina aliqua subreptione jurat ex lapsu linguae, si non advertat, a perjurio poterit excusari. Quia, ut inquit S Thom. hic qu. 98. art. 3. ad 2. *non videtur habere intentionem jurandi.*

III. *Consuetudo jurandi in Confessione aperienda.*

Consuetudo jurandi falsum vel indifferenter verum et falsum culpabiliter retenta est in confessione aperienda. Patet manifeste tum ex prop. 58. ab Innoc. XI. damnata. *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Tum ex ipsa natura consuetudinis retentae, quae quum peccatum lethale sit ab ipso perjurio distinctum est profecto ad integritatem confessionis aperiendum. Quod verum censeo non solum quando ipsa prava consuetudo studiose retinetur, et adprobatur, sed etiam quando poenitens negligit, et ex quadam veluti desperatione eam evelere non curat: tunc enim adhuc verum est, eam consuetudinem, quam culpabiliter agnoscit, foveri, et retineri voluntarie, et a munere suo deficere, et debito eam expellendi, ad quod tamen ex praecepto divino et naturali urgetur.

§. IV.

De juramenti promissorii indole, et de veritate, judicio, et justitia in eo requisitis.

I. *Juramentum promissorium, duplicem respicit veritatem.*

Quum juramentum promissorium sit *imploratio divini nominis ad confirmandum aliquid faciendum, et executioni demandandum*, duplicem respicit veritatem; aliam videlicet de praesenti, seu dicti et promissionis, alteram facti, seu promissi implendi. Ad primam veritatem necesse est, ut qui jurejurando aliquid pollicetur, animum ha-

beat implendi quod promisit; altera vero postulat, ut quod promisit, suo tempore impleat. Duplici propterea modo juramenti promissorii veritatem violare quis poterit, nimirum si ficte juret animo non implendi quod jurat, ut frequenter contingit; 2. Si vere quidem promissionis implendae animum habeant, at postea, mutata voluntate, quod polliciti sunt implere recusant.

II. *Promissio jurata Deo facta, duplex vinculum parit.*

Haec autem promissio jurejurando confirmata vel est Deo solum facta et nota, vel hominibus. Si sit soli Deo facta, duplex vinculum parit, et voti, quod in promissione continetur, et juramenti superadditi. Fieri tamen potest, ut votum etiam a juramento sejungatur, et vicissim, ut quum quis Deo castitatem vovet, quin votum suum juramento confirmet, vel propositum concipiat de castitate servanda, quod postea juramento confirmet. Poterit igitur in promissionibus Deo factis vel solum adesse votum, vel solum jusjurandum, vel utrumque.

III. *Homini facta promissio, gravem obligationem parit.*

Ex promissione vero jurata, quae fit hominibus, obligatio quoque consurgit, et quidem ex genere suo gravis, et sub lethali peccato, ut aperte docet S. Thom. q. 98. a. 3. ad 1. scribens: *Si aliquis non impleat quod coactus juravit, nihilominus perjurium incurrit, et mortaliter peccat.* Immo non una, sed duplex oritur obligatio, nimirum altera, quae justitiae est ex promissione valida et acceptata, altera, quae ob reverentiam interpositi juramenti ad religionem pertinet.

IV. *Intentio jurantis se obligandi necessaria est.*

Quum juramentum promissorium onus importat implenti quod promissum est, quod oritur ex privata lege, quam sibi jurans imponit, dum divini testimonii vinculo se adstringit, manifestum est, necessariam esse intentionem jurantis ad se obligandum, quae intentio potest esse, et sufficit si sit implicita et virtualis, nec necessaria est semper explicita et actualis. Plura tamen complectitur haec intentio, nimirum 1. animum jurandi, 2. animum promittendi, 3. animum exequendi promissum, et animum se obligandi. Si desit animus jurandi, peccare lethaliter et perjurum esse superius ostendimus cap. 1. Si quis vero juret sine animo promittendi, profecto perjurus est, nam deest juramento veritas de praesenti, aliud enim haberet in mente, aliud in verbis; sicut peccaret lethaliter et reus esset perjurii, qui polliceri quidem vellet, at animum implendi non haberet, quia tunc pariter deest veritas de praesenti, quae respicit voluntatem praesentem de re promissa implenda; et sic pariter perjurus esset si suo tempore quod promisit non solveret. Qui vero pollicretur quidem, sed animum non conciperet se obligandi, immo positive obligationem respueret, profecto iste perjurus esset habendus, et ad implendum promissum foret adigendus, perjurus quidem, quia, ut docet S. Th. hic q. 89. a. 7. *Si juramentum adhibeatur propter reverentiam divini testimonii, quod invocatur, obligatur homo ut faciat verum esse, quod juravit:* porro qui obligationem excludit, hanc veritatem excludit; perjurus ergo est. Tenetur vero promissum implere quia adhuc obstringeretur efficere verum esse, quod juravit.

V. *Jurans quod praestare non potest, perjurus est.*

Similiter perjurus esset, qui vel rem, quam se praestare non posse praevideret, vel animo dubius esset implendi, juramento polliceretur. Sicut enim in assertorio juramento, ut supra dictum est, oportet, ut qui jurat, sit de rei veritate moraliter certus, ita et qui promissorium pronunciat sacramentum, de re suo tempore implenda moralem teneat certitudinem oportet.

VI. *Peccat, qui jurat se patraturum aliquod malum.*

Peccant, et juramenti violant sanctitatem, qui aliquod de se malum se facturos jurejurando pollicentur, vel aliquid, quod sit majoris boni impeditivum, ad eorum tamen impletionem non tenentur, immo quandoque pejus peccant implendo. Ita S. Thom. hic art. 7. ubi scribit: *Si vero sit quidem possibile fieri, sed fieri non debeat, vel quia est per se malum, vel quia est boni impeditivum, tunc juramento deest justitia: et ideo juramentum non est servandum in eo casu, quo est peccatum, vel boni impeditivum: utrumque eorum vergit in deteriorem exitum.*

CONSECTARIA.

I. *Qui quod juravit non implet, perjurus est.*

Qui rem promissam juramento confirmatam non implet perjurus est, sive materia sit gravis, sive levis. Nam semper, quum juramento deest veritas, in perjurium convertitur, et est peccatum lethale, sive res sit gravis, sive levis, quippe quia Deus vocatur testis mendacii, quod, ut dicet S. Thom. *cedit in contemptum Dei,* nec malitia ex gravitate materiae metienda est, sed ex injuria Deo irrogata, quae semper etiam in levissimo mendacio gravis est, ut patet in juramento assertorio, ut omnes consentiunt. Porro qui quod promisit etsi leve non implet, peccat contra juramenti veritatem: ergo gravissime peccat. Quod autem veritatem auferat, et loco ejus mendacium ponat, patet manifeste: nam juramenti promissorii, ut promissorium est, veritas non sita est in praesenti voluntate praestandi quod promittitur, sic enim confunditur cum assertorio, immo assertorium est, respicit enim veritatem praesentem, sed est ipsa veritas futura, idest impletio rei promissae; hac itaque sublata, juramentum in perjurium vergit. Audiatur D. Thom. hic q. 89. a. 7. docens: *Si autem juramentum assertorium, quod est de praeterito, vel de praesenti debet habere veritatem; ita etiam et juramentum de his, quae sunt fienda a nobis in futurum. Et ideo utrumque juramentum habet quamdam obligationem; diversimode tamen; quia in juramento, quod est de praeterito, vel praesenti, obligatio est non respectu rei, quae jam fuit vel est, sed respectu ipsius actus jurandi; ut scilicet juret id, quod jam verum est, vel fuit; sed in juramento, quod praestatur de his, quae sunt fienda a nobis, obligatio cadit e contra super rem, quam aliquis juramento firmavit: tenetur enim aliquis, ut faciat verum esse id quod juravit, alioquin deest veritas juramento.*

II. *Perjurus dicendus est, etiamsi materia levis sit.*

Id verum esse puto, licet res levis non sit tota materia juramenti promissorii, sed solum pars, puta, jurasti dare decem, et dedisti novem: nam adhuc tota deest veritas juramenti, quod sic evinco:

finge te debere alicui decem nummos, dedisti novem, potes ne jurare, te debitum solvisse, vel decem dedisse? Minime gentium, quum nec revera debitum solveris, nec decem dederis: ergo sicut se habet veritas in juramento assertorio de praeterito, vel de praesenti, ita se habet et in promissorio de futuro: in illo juramento assertorio deesset veritas: ergo et in promissorio, nec ulla apparet disparitas.

III. *Res juramento promissae esse debent bonae, possibiles, et licitae.*

Quae juramento promittuntur, ut jusjurandum licitum sit et honestum, esse debent res bonae, possibiles, et licitae. Et primo quidem bonum sit oportet quod interposito jusjurando pollicemur, ne juramentum sit vel vinculum iniquitatis, si quod promittitur malum sit, vel otiosum et inutile, si sit de re absolute in quacunque circumstantia indifferente; quod tamen contingere non posse docent cum D. Th. fere omnes Theologi, quum in individuo vel ratione finis, vel circumstantiarum quilibet actus sit determinate bonus, vel malus. Hinc servandae sunt pollicitationes juratae, de re aliqua etiam indifferenti alteri tribuenda, ut quum quis alteri mutuum pollicetur; quia tunc non ipsum in se mutuum spectatur, sed utilitas accipientis. Additur ut res sit possibilis: nam temeraria est et stulta de re impossibili promissio, nisi forte dum quis jurat, credat prudenter sibi futuram possibilem. Hinc de alienis factis stultae sunt promissiones, et temeraria juramenta, quum de aliena voluntate nequeas disponere. Denique dicitur de re licita: fieri enim potest, ut aliquid sit in se bonum, sed ex aliqua circumstantia interdictum, ut si uxor polliceatur infirmo assistentiam etiam nocturnam, quam tamen prohiberet maritus, cui uxor parere debet. Et ita quidem si juramentum factum sit homini; ut si factum sit Deo, quum voti naturam induat, non sufficit si sit de re licita, bona, et honesta, sed animadvertendum ne majus bonum impediat. Sed de hoc quum de voto disputabimus sermo redibit.

IV. *Qui jurat se patraturum peccatum, etiam veniale peccat lethaliter.*

Peccat lethaliter contra religionem non solum, qui juramento pollicetur et statuit se grave aliquod patraturum peccatum, sed etiam qui solum veniale. Et quidem grave peccatum committere qui jurat lethaliter peccaturum, nullus est qui ambigat, quum satis in aperto sit hujusce sacramenti malitia. Si vero facinus promissum sit solum veniale, clare adhuc rem poenitus introspicienti apparebit, hujusmodi juramentis gravem Deo irrogari injuriam, quippe qui veluti sponsor inducitur et fidejussor culpae, quam ille detestatur, et vetat.

V. *De juramento de non ludendo.*

In juramento emisso de non ludendo, quod plerumque Deo fit, et naturam induit voti, plura sunt attendenda, ut dignosci queat, quomodo et quam arcte obliget. Primo itaque audiendi non sunt nonnulli Theologi, qui juramentum seu votum abstinendi a ludo etiam honesto nullum esse definiunt, quia juxta S. Th. hic q. 108. a. 2. ludus moderatus ad eutrapeliae virtutem pertinet. Nam 1. difficile admodum est, ut ludus omnibus his ornetur conditionibus, quae ad actum virtutis efficiendum requiruntur, et praecipue in illis, qui ceteris virtutibus ad christianam vitam necessariis carent, praesertim

charitate. 2. Quia dato etiam, ludum esse honestum, quum tamen abstinentia ab illo intuito poenitentiae et mortificationis sit melior, potest esse juramenti materia, ut patet in usu matrimonii, qui licitus est, honestus, actus justitiae et conjugalis benevolentiae, cui tamen conjuges possunt renuntiare, votum continentiae communi consensu emittendo. Eapropter qui revera jurejurando omnem sibi ludum etiam recreationis caussa interdiceret, ad illum servandum teneretur. Ad dignoscendum vero quid oneris subire voluerit, qui absolute juramentum non ludendi emittit, inspiciendum 1. num juramentum emissum fuerit absque debita deliberatione, et ex subita animi perturbatione, et tunc perpendendum, num fuerit sufficiens deliberatio ad juramenti valorem uecessaria; quae si adfuisse reperiatur, perpendendum est postea motivum et caussa, quae ad hujusmodi impulerit juramentum, nimirum an fuerit vitara pecuniae jacturam in ludo, et tunc omne pecuniarium ludum sibi habeat interdictum, et caveat etiam ab exigua pecunia ludo exponenda; facillimum est enim limites transire sive sors prospera sit: sive adversa: immo qui ex hujusmodi motivo non ludere jurasset, nec alteri pecuniam ad ludendum suppeditare posset, quam suo nomine ludo exponeret, quia qui per alium facit per seipsum facere videtur, et idem subiret dissipandae pecuniae periculum, et detrimentum. Qui vero ideo ludum omnem juramento abjecit, ut rixas, contentiones, blasphemias, temporis jacturam vitaret, multo magis ab omni ludo abstinere debet, quippe quia difficilius adhuc est animi perturbationem, linguaa labilitatem cohibere, et obsistere patienter adversis fortunae ictibus, vel colludentium irrisionibus, vel spei recuperandaa, vel augendae pecuniae, si sors prospere cedat, vel adversetur. Qui tamen hoc nomine jurasset, non esset reus habendus, si per alium luderet, ipso praesertim absente, quum tunc nullum sit periculum; at eo praesente non auderem nec ludum per alium illi concedere: quum enim adhuc agatur de ejus sive utilitate, sive damno, et iisdem moveatur et concutiatur affectibus ac si per seipsum luderet, periculum, cujus vitandi gratia juramentum emisit, non vitaret. Juramentum vero de non ludendo cum tali persona, tali loco, tali ludo, si ex honesto proficiscatur fine, quia nimirum socius ira abripitur, contumeliosus est, blasphemus, locus perniciosus, lusus rixis expositus, vel mere aleatorius, validum est et sancte servandum. Si vero emissum fuerit ex vindicta, et odio contra ludentem, vel quia superstitiose arbitratur sortem sibi adversam, si in eo loco, vel tali ludo, vel cum tali socio, incautum habendum est, et invalidum.

VI. *Juramentum de non mutuando, fidejubendo etc.*

Juramenta de non mutuando, vel fidejubendo, de non emendo vel vendendo nisi tali pretio de se et absolute spectata invalida sunt et inepta 1. quia nec in Dei honorem, nec in proximi cedunt utilitatem: 2. quia quandoque ex charitate urget praeceptum de mutuo dando, vel fidejubendo, proinde juramentnm abstinendi esset illicitum et invalidum. Fieri tamen potest, ut honestum sit et licitum juramentum de non mutuando, commodando, fidejubendo, si fiat ad evitandas incautas et praecipites fidejussiones; ad avertendam jacturam bonorum in detrimentum filiorum et familiae ex incautis mutuis

et fidejussionibus; et tunc tenetur jurans cavere a fidejussione incauta, imprudenti, et familiae perniciosa: quando vero praeceptum charitatis jubeat mutuum dare, fidejubere, commodare, tunc quocunque modo conceptum sit juramentum, pro nullo habendum est, et invalido.

VII. *Conditiones juramentis imbibitae.*

In omnibus juramentis hominibus factis semper hae intelliguntur imbibitae conditiones. 1. Si res possibilis sit tempore executionis, quum ad impossibile nemo teneatur, ut si quis juramento polliceatur domum ad pium opus, quae postea domus incendio absumatur. 2. *Salvo jure Superioris*, quae conditio Cap. *Veniens*, de jurejurando dicitur *semper cuique immixta juramento:* sic uxor, filiusfamilias, subditus, qui aliquam suam operam alteri sub juramento pollicentur, non tenentur vinculo juramenti, si maritus, pater, princeps illud fieri vetet. 3. Si res notabiliter mutatae sint: sic qui pauperi puellae tempore matrimonii dotem spopondit, si postea dives fiat, erit juramento solutus: nam, ut observat S. Thom. 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5. *Ut homo teneatur facere quod promisit, requiritur, quod omnia immutata permaneant.* 4. Quod promissio sine peccato possit impleri; ideo Herodes non tenebatur, immo nullo modo debebat promissionem filiae Herodiadis factam servare.

§. V.

De juramentis contractui adjectis, necnon errore, vi, et dolo extortis.

I. *Duplex in juramento obligatio, homini et Deo.*

Optime observat et docet D. Th. hic q. 89. a. 7. ad 3. ex juramento duplicem oriri obligationem, *una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittitur .... alia, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promisit.* Hinc quandoque contingit, ut promissio et obligatio erga hominem adeo nulla sit, ut nec valorem recipiat a juramento, ut patet in promissionibus solvendi usuras, dandi latroni pecuniam, quae promissiones nullae sunt, nullumque jus tribuunt usurario, et latroni retinendi pecunias licet sint juramento corroboratae. Quandoque vero contingit, ut promissio sit quidem invalida, juramento tamen ita corroboretur, ut jus promissarius adipiscatur adversus promittentem; ut quum uxor juramento confirmat venditionem fundi dotalis, quae a civili jure irritatur, quam tamen ob juramenti reverentiam servare debet. Primum juramentum dicitur per se stans, quia nullam aliam inducit obligationem nisi religionis; alterum vero dicitur juramentum corroborans et confirmans promissionem, ac proinde duplicem inducit obligationem (saltem juxta plures Theologos) nimirum justitiae, et religionis, quia ipsi ajunt, jus positivum ob reverentiam juramenti robur concedit promissioni alioquin invalidae et nullae.

II. *Juramenta per se stantia, sunt religiose servanda.*

Juramenta per se stantia sunt religiose servanda: sic usurae juramento promissae, et pecunia latroni sunt solvendae, quia homo una ex parte tenetur facere, ut verum sit, quod sub testificatione divini

nominis pollicitus est, et ex alia parte id licite praestare potest, non enim peccat vel solvendo usuras, vel dando latroni pecuniam, licet hi peccent et recipiendo et retinendo. Ita docet S. Th. hic q. 89. a. 7. ad 3.

III. *Quando contractus irriti juramento fiant validi, quando non.*

Jure positivo contractus irriti declarantur et nulli primo et principaliter ob bonum commune, tunc nec per juramentum validi efficiuntur, nec ipsum servandum est juramentum, nam tunc res, seu objectum contractus est illicitum, proinde juramentum servatum vergeret in deteriorem exitum, et esset vinculum iniquitatis. Id patet in Clerico, qui renunciare non potest privilegio fori, quippe quod concessum est in favorem totius clericalis status. Quando vero contractus jure positivo irriti declarantur et nulli in favorem subditorum, et in eorum privatum commodum, cujusmodi sunt leges irritantes pupillorum contractus sine tutore, alienationem fundi dotalis factam ab uxore, renunciationem primogeniturae, et similia, tunc num juramento ita roborentur et validi fiant, ut non solum religionis onus afferant, sed et verae justitiae obligationem, dissentiunt Theologi, Canonistae, et Juristae. Affirmant plures; contra sentiunt alii, quibus adhaereo. Nam juramentum validitatem addit contractui vel ratione sui, vel juris dispositione. Non ex primo capite, quia quum juramentum ad solam spectet religionem, vinculum non potest inferre justitiae, quae virtus est a religione omnino disparata et diversa, et cum qua de se nihil commune habet juramentum. Superest igitur, ut id praestet concessione juris, et dispositione legum ob reverentiam Sacramenti: verum hoc negare videntur ipsa jura, ipsaeque leges, quae semper eosdem contractus irritos, nullosque appellant et agnoscunt; nec nisi vinculo juramenti obligare; nullam vero de justitiae obligatione injiciunt mentionem. Audiatur Innocent. III. cap. 28. de jurejur. *Etsi mulieris consensus in talibus non videatur obligatorius secundum legitimas sanctiones, ne tali praetextu viam contingat perjuriis aperiri, mulieres ipsae servare debent hujusmodi juramenta.*

IV. *Juramenta metu extorta, sunt absolute valida.*

Juramenta metu extorta, sive metus gravis sit, sive levis, sive juste incussus, sive injuste, sunt absolute valida et sancte custodienda quotiescunque sine culpa servari queunt, ut constat ex D. Th. testimonio paulo superius laudato. Hujusmodi autem juramenta relaxare possunt Praelati, qui licet difficiles se praebere non debeant in iis relaxandis, ne iniqui lucrum ex hac iniquitate reportent, cavere tamen debent, ne scandalum inde oriri possit, praesertim si juramenta praestita sint infidelibus, qui facile suspicarentur, Religionem juramenti apud Christianos flocci fieri, vel licitum ab ipsis reputari mentiri, fallere, fidem frangere inimicis, aliisque in Religione sua dissidentibus: tunc enim a relaxatione concedenda temperare se debent. Nec relaxationem juramenti concedere debent vel possunt, quotiescunque ea cedat in damnum alterius innocentis.

V. *Juramenta dolosa, quomodo servanda.*

Qui dolose jurat ad fallendum proximum, tenetur juratam promissionem servare secundum mentem et intelligentiam illius, cui juratum est. Ita aperte docet S. Thom. q. 89. a. 7. ad 4. *Quando*

non est eadem jurantis intentio, et ejus, cui jurat, si hoc proveniat ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundum sanum intellectum ejus, cui juramentum praestatur.

VI. *Juramenta dolo extorta invalida sunt, si versetur dolus circa substantiam.*

Juramenta dolo extorta vel ex errore praestita, si versentur circa substantiam rei jurejurando promissae, sive error et dolus sit antecedens et dederit caussam promissioni, sive sit concomitans, adeo ut etiam non interveniente errore vel dolo promissio facta fuisset, nulla omnino sunt, et invalida. Ratio est, quia ad quamcunque promissionem, contractum, conventionem sive juramento firmatam, sive absque juramento, ut valida sit, requiritur promittentis vel contrahentis consensus, ex quo solo promissio vim nanciscitur obligandi. Porro hujusmodi consensus non potest ab eo haberi, qui rei substantiam ignorat, quum nihil sit volitum, quin praecognitum: non ergo consensum praestat; proinde nulla promissio, nullus contractus. Et licet error et dolus, si concomitentur duntaxat, non reddant promissionem illam involuntariam, sed, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 6. a. 8. *non voluntariam*, hoc tamen sufficit, ut adhuc nulla sit promissio, quae debet esse omnino voluntaria; sic qui alteri promittit se donaturum vas, quod putat esse cupreum, quum sit argenteum, nulla est promissio, licet fortasse ita animo affectus fuisset, ut etiam argenteum donasset.

VII. *Si dolus versatur circa accidentia, valida juramenta sunt.*

Si vero praefata juramenta versentur solum circa accidentia et qualitates rei promissae, licet error sit antecedens, et dans caussam contractui, valida sunt saltem naturae jure, nisi ipsa accidentia et qualitates rei vel ex pacto contrahentis, vel ex indole sua in substantiam redundent contractus, eumque afficiant. Prioris partis ea ratio est, quia error et dolus circa qualitates et accidentia non impediunt certum adesse et legitimum in promissione et contractu consensum. Alterius vero partis ratio est, quia quaecunque etiam tenuis qualitas, si in pactum deducatur, in substantiam rei transit, proinde si ex errore vel dolo desit, invalidum efficit contractum ex defectu consensus. Hinc qui vinum vetus se emere velle testaretur, non teneretur stare contractui, si vinum novum etiam fortassis pretiosius substitueretur.

Consectaria.

I. *Ad restitutionem tenetur, qui acquisivit vi juramenti contractui invalido adjecti.*

Qui aliquid acquisivit ratione juramenti contractui invalido adjecti, ad restitutionem tenetur. Nullus quippe adest titulus acquisiti dominii, nam contractus supponitur invalidus, nec juramento validus redditur. Juramenti vero Religio alterum quidem ad id, quod pollicitus est, praestandum adigit, at non parit in altero jus legitimum retinendi. Jurans autem, quod solvit potest recipere, licet fortassis juravit non repetere, quum juramentum non se extendat ultra mentem jurantis, qui pollicitus est quidem solvere, et etiam non repetere, at oblatum, et restitutionis caussa datum non recipere minime spopondit.

Haeredes vero jurantis ad nihil omnino tenentur, non ratione contractus, qui nullus supponitur et invalidus, non ratione juramenti, quum ipsi non juraverint.

II. *Captivus et carceratus jurans reditum in vincula, tenetur redire etiam cum vitae periculo.*

Captivus, qui infideli Domino jurejurando pollicitus est se rediturum in vincula, et qui reditum ad carcerem custodi juravit, tenetur implere promissa etiam cum vitae periculo. Quia ad carcerem redire, discrimen mortis subire ob juramenti fidem servandam opus est fortitudinis, religionis, fidelitatis, et veracitatis. Praeterea in utroque casu duplex est attendenda circumstantia, nimirum in captivo apud infideles scandalum et dedecus, quod in christianam redundaret religionem, penes quam juramenta ludibrio haberi putarent infideles. In altero vero ratio habenda innocentis custodis, qui libertatem dedit sub spe reditus juramento promissi, qui gravissimo subjiceretur discrimini.

III. *Juramentum de non denunciando latrone, vel de non petenda dispensatione, non semper est servandum.*

Juramentum, quo quis latroni vel usurario pollicitus est, vel non denunciaturum apud Judicem, vel non impetraturum dispensationem, non semper est servandum. Nam si latro infensus sit bono communi, vel usurarius publicus, tunc urget praeceptum illum denunciandi, a quo per juramentum non liberatur, immo tunc juramenti custodia vergeret in deteriorem exitum. At si latro vel talis non est, de quo urgeat denunciandi praeceptum, vel usurarius publicus non sit, tunc est praeferenda juramenti religio, et non petenda dispensatio. Ita docet S. Th. hic qu. 89. a. 7. ad 3.

§. VI.

De juramentorum solutione.

I. *Varii modi, quibus tolluntur juramenta homini facta.*

Quum juramenta fieri valeant et soli homini et soli Deo et utrique, hinc pluribus modis cessare, tolli, et auferri potest juramenti obligatio. Et quidem quoad juramenta soli homini facta, horum onus et executio pluribus modis cessare potest, nimirum 1. per materiae notabilem mutationem: 2. per condonationem et relaxationem illius, in cujus favorem emissum est juramentum: 3. irritatione per Superiorem.

II. *Notabilis mutatio quando habeatur.*

Notabilis mutatio habetur, non solum quando res jurata facta est vel physice vel moraliter impossibilis, sed etiam quando ex communi omnium sensu, vel ex consuetudine, vel aliqua juris regula reputatur omnino alia ab ea, quae jurata fuit, ut si quod promisisti, implere postea non possis sine periculo vitae, vel gravi detrimento honoris, vel bonorum, non teneris nisi tale periculum praevidisti et voluisti, ut contingit Medicis, qui jurant infirmis lue infectis inservire. Ita docet S. Th. hic q. 110. a. 3. ad 5. Non tamen est sufficiens ea mutatio, quam si jurans praevidisset, a juramento abstinuisset, puta, promisisti sub juramento pauperi eleemosynam vel diuturnam vel

mensilem, et eum postea deprehendis ebriosum, pravum, tibi infensum, quod si praescivisses profecto non spopondisses, juramentum implere teneris. Mutatur etiam res omnino, si fiat illicita ob Superioris prohibitionem. Cessat etiam obligatio juramenti si cesset finis totalis et adaequatus illius, puta, promisisti dotem puellae indigenti, vel pecuniam pro redemptione captivi, sed illa effecta est ob haereditatem dives, ille fuga libertatem est consecutus, non amplius urget juramenti obligatio.

III. *Condonatio et remissio.*

Condonatione etiam et remissione cessat obligatio juramenti in solius hominis favorem facti; potest siquidem quilibet rem vi juramenti sibi debitam remittere et condonare, et juri suo acquisito renunciare. Hinc si duo sibi vicissim jurejurando spoponderint, mutua utriusque condonatione cessabit juramenti vinculum.

IV. *Regula servanda in juramentis Deo, simul et homini factis.*

In juramentis Deo simul et homini factis, haec est regula servanda: inspiciendum, num promissio sit principaliter in hominis utilitatem jurata, et secundario in Dei honorem, ut quum quis misertus puellae periclitantis illi dotem pollicetur, et Deo jurat eam a periculo peccandi subtrahere, et tunc si puella vel dotem nolit acceptare, vel moriatur, non tenetur ad rogandam dotem alteri, si vero promissio jurata principaliter honorem Dei respiciat, secundario vero proximi utilitatem, ut quum quis jurat virginem pauperem dotare, et hanc eligit, cui dotem sub jurejurando promittit; et tunc licet haec vel promissionem remittat, vel obeat, adhuc subsistit jus divinum ex juramento ortum, et alteram dotare tenetur.

V. *In juramentis homini factis et acceptatis nemo potest dispensare, nisi adsit commune bonum, vel culpa illius, cui juratum est.*

In juramentis homini factis, et ab eo acceptatis nullus potest dispensare, nisi vel ita postulet commune bonum, vel intercedat culpa illius, cui juratum est. Nam promissarius vi juramenti jus jam acquisivit ad rem promissam, quo sine caussa vel culpa invitus spoliari nequit. Quando vero promissio in boni communis perniciem vergat, potest Superior dispensare (si qua tamen opus est dispensatione in executione rei jam illicitae) ut si jurasti non denunciare non manifestare secretum, quod vergit in damnum boni communis, vel innocentis, et similia. Pari pacto si juramentum vi extortum sit, ut si jurasti pecuniam ludo vetito amissam solvere, poterit Superior dispensationem concedere.

VI. *Irritatione solvuntur juramenta.*

Irritatione etiam solvuntur juramenta Deo facta, ut docet S. Thom, 2. a. q. 89. a. 9. ad 3. scribens: *Ad unumquemque pertinet irritare juramentum, quod a sibi subditis factum est circa ea, quae ejus potestati subduntur.* In qua S. Th. doctrina notandum 1. solos Superiores posse vota subditorum irritare: 2. posse solum circa ea, quae suae subduntur potestati. Hinc ex primo capite Sum. Pontifex potest irritare juramenta ad rem ecclesiasticam spectantia, ut de alienandis bonis Ecclesiae, de Canonicorum numero non augendo vel minuendo, et in ceteris spectantibus ad officia, beneficia, distributiones, commutationes, resignationes etc. Episcopus vero in sua Dioecesi pote-

state pollet irritandi juramenta Clericorum sibi subditorum in materia per se sibi subjecta. Ita parentes juramenta irritare possunt filiorum, et Superiores Religiosorum. Ex secundo capite non valent parentes irritare juratos contractus filiorum de bonis castrensibus, sicut nec maritus de bonis paraphernalibus uxoris, quum horum votorum materia eorum non subjaceat potestati. Quod si Superiores, qui irritare juramenta possunt, semel adprobaverint, non amplius revocare queunt nisi nova superveniente caussa, quae materiam juramenti notabiliter mutet, adeo ut Superiorum jurisdictionis et potestati noxia fiat. Nonnulli Theologi putant ad juramentorum irritationem nullam praerequiri caussam, sed omnino a voluntate Superioris pendere vota subditorum irritare; verum puto aliquem caussam requiri ad legitimam irritationem: nam prudens oportet sit irritatio, ne temere quis operetur; porro si nulla adsit irritationis caussa, jam temeraria est, et imprudens irritatio, quae proinde Deo injuriosa sit oportet, cujus sanctissimum nomen frustra fuisse assumptum efficit.

VII. *Cessat juramentum per dispensationem, seu relaxationem Superioris.*

Cessat etiam juramentum per dispensationem, seu relaxationem a Superiore factam. Et quidem quantum ad juramentum soli Deo factum, qui potestate ordinaria pollent dispensandi, sive commutandi vota, possunt etiam juramenta commutare. Hinc Sum. Pontifex omnia potest commutare juramenta, vel ab eis dispensare, justa tamen de caussa. Episcopi vero pari gaudent potestate in suos subditos, nisi forte aliqua sint Sedi Apostolicae reservata, cujusmodi sunt illa, quae materiam respiciunt, quae si voveretur, votum esset Pontifici reservatum, cujusmodi sunt juramenta de castitate servanda, de statu religioso assumendo, et peregrinatione ad limina Apostolorum, Hierosolymitana, et Compostellana. Sed de his fusius Tract. de Voto.

VIII. *Qui delegata potestate possunt vota commutare, an possint et juramenta.*

Qui nonnisi delegata potestate donati sunt, num si possint vota commutare, possint et juramenta, dissident Theologi. Nonnulli censent facultatem dispensandi vota et potestatem continere dispensandi juramenta, et simul ita esse connexa, ut una concessa, et altera data censeatur. At probabilior est aliorum opinio, qui docent potestate donatum commutandi vota, facultate non potiri commutandi juramenta, tum quia juxta Romanae curiae stylum et morem privilegium commutandi juramenta a privilegio distinguitur commutandi vota, ut docent Navarrus, aliique, quod profecto ab habente delegatam potestatem est perpendendum, ne limites sibi concessae facultatis transistat. Tum quia juramentum et votum vinculum inducunt diversi generis, quorum unum ab altero minime pendet: et licet commutatione voti tollatur materia illius, tollitur tamen solum quatenus subest voto, non vero quatenus subest juramento, si votum sit juratum, ut patet in contractibus nullis, sed juratis, in quibus tollitur vinculum justitiae, at non tollitur vinculum juramenti; proinde contrahentes pacta servare debent licet non ex justitia, certe ex religione.

IX. *Quinam possunt juramenta dispensare.*

Dispensari vero possunt juramenta homini facta Sum. Pontifex, Episcopi, aliique quasi episcopalem jurisdictionem habentes, quoties-cunque id postulet indignitas, et turpitudo illius, qui juramentum in sui favorem extorsit. Sic relaxare possunt pacta, promissiones et contractus juratos metu gravi extortos, non vero metu levi, qui pro nihilo est habendus. Possunt etiam relaxare contractus juratos ab impuberibus celebratos etiam doli capaces, si sint de rebus a jure vetitis, vel enormem laesionem passi sint. Immo haec juramenta licet Judex laicus relaxare directe non valeat, quum juramenti relaxatio actus sit jurisdictionis spiritualis, potest tamen indirecte irrita reddere obligationem remittendo, et initos contractus rescindendo, qui bono publico noxii deprehenduntur.

§. VII.

De perjurii gravitate, ejusque poenis.

I. *Essentia perjurii.*

Perjurii essentiam D. Th. in falsitate constituit hic q. 98. a. 1. *Falsitas*, inquit, *est de ratione perjurii.* Addit tamen in resp. ad 1. deficientiam etiam justitiae et judicii perjurium constituere, licet *non eodem ordine: nam primo quidem et principaliter perjurium est, quando deest veritas. Secundario autem, quando deest justitia: quocunque enim modo quis jurat illicitum, ex hoc ipso falsitatem incurrit, quia obligatus est ad hoc quod contrarium faciat. Tertio vero, quando deest judicium: quia quum indiscrete jurat, ex hoc ipso periculo se committit falsitatem incurrendi.*

II. *Perjurium est de se lethale.*

Perjurium autem, praecipue quum veritati adversatur, esse de se semper lethale peccatum ostendit idem Angelicus Doctor a. 3. scribens: *Quidquid est, quod de sui ratione pertinet ad contemptum Dei, est peccatum mortale:* probaverat autem art. praec. ad Dei irreverentiam pertinere, quod *eum in testem invocet falsitatis, quia per hoc dat intelligere vel quod Deus veritatem non cognoscat, vel quod falsitatem testificari velit.* Esse vero scelus gravissimum ad unum fatentur omnes Theologi: nam et adversatur praeceptis primae tabulae, et immediate ipsum Deum attingit. Hinc solum blasphemiae cedit, et infidelitati, non vero homicidio, ut docet S. Thom. in quod l. 1. art. 18. Verum quidem est, quod si nocumentum spectetur ex homicidio proveniens, gravius est homicidium perjurio, quum hoc gravissimum homini inferat damnum, illud autem Deo non noceat, et haec est etiam ratio, cur gravius ab hominibus homicidium puniatur, quam perjurium.

III. *Poenae perjuris statutae.*

Poenae tum in civili, tum in canonico jure perjuris statutae sunt 1. infamia, quam tamen non incurrunt nisi qui solemniter jurando pejeraverint, ac de perjurio convicti fuerint in judicio et condemnati: 2. exclusio a testificando, ut statuitur Cap. *Quicunque*, quaest. 1. et Cap. *Parvuli* 2. q. 1. Si Clericus sit perjurus, et falsum dixerit in judicio, deponendus est, ac in Monasterio recludendus; si vero

laicus poena puniatur deportationis, et exilii, ejusque bona publicentur; immo si in caussa criminali pejeraverit, eadem est plectendus poena, qua afficeretur reus: demum in foro poenitentiali Canones eamdem constituunt poenam seu satisfactionem, quam adulterio statuunt, et homicidio. In Jure Canonico cap. *quicunque* 6. q. 1. dicitur: *Quicunque sciens pejeraverit, quadraginta dies in pane et aqua, et septem sequentes annos poeniteat, et nunquam sit sine poenitentia, et nunquam in testimonium recipiatur. Communionem tamen post hoc percipiat.*

CAPUT II.

De Voto.

I. *Voti nomen explicatur.*

Voti nomen amplissimum est, et ad plura significanda usurpatur. Aliquando sumitur pro pio desiderio, ac pietate, et sic dicimus pia fidelium vota Deo esse grata. Quandoque pro sacrificio, oratione et oblatione. Nonnunquam desiderium indicat, et animi daliberationem. Res quoque oblatas quandoque indicat. Deoique sumitur pro promissione Deo facta, qua quis se Deo obstringit. Et in hac postrema significatione voti nomen hic usurpâmus, cujus notionem, obligationem, effectus, impletionem, aliaque ad ipsum pertinentia sumimus explananda.

§. I.

Quid sit votum. Conditiones ad verum, legitimumque votum. Voti multiplices distinctiones.

I. *Voti definitio.*

Votum definitur ab Angelico Praeceptore hic q. 88. a. 2. *Promissio facta Deo de bono meliori.* Est autem actus religionis, tum quia vota soli Deo fiunt, tum quia ejus cultum honoremque respiciunt, et promovent. Dicitur *promissio*, ut a proposito, consilio, et etiam firme aliquid faciendi, vel implendi voluntate, quae tamen conjunctam non habeat promissionem, distinguatur. Hinc docet D. Thom. hic a. 1. tria requiri ad constitutionem voti 1. *deliberationem*, 2. *propositum voluntatis*, 3. promissionem, in *qua perficitur ratio voti.* Dicitur *de meliori bono:* res siquidem, quas Deo vovere possumus, in triplici sunt differentia, ut docet D. Thom. hic art. 2. nimirum vel mala sunt et indifferentia, vel bona necessaria ad salutem, vel bona omnino libera, et a voventis voluntate pendentia. Hinc de his ita scribit D. Th. *Quum omne peccatum sit contra Deum, nec aliquod opus sit Deo acceptum, nisi sit virtuosum, consequens est, quod de nullo illicito, nec de aliquo indifferenti debeat fieri votum, sed solum de aliquo actu virtutis .... Illud vero, quod non habet absolutam necessitatem, sed necessitatem finis, puta quia sine eo non potest esse salus, cadit quidem sub voto, inquantum voluntarie fit, non autem inquantum est necessitatis. Illud autem, quod neque cadit sub necessitate absoluta, neque sub necessitate finis, omnino est voluntarium: et ideo hoc propriissime cadit sub voto. Hoc autem dicitur esse majus*

bonum in comparatione ad bonum, quod communiter est de necessitate salutis. Ideo proprie loquendo votum dicitur esse de meliori bono. Quam doctrinam explicabimus, ubi de voti materia sermo erit.

II. *Opus ex voto factum, melius est opere non ex voto.*

Opus virtutis ex voto factum melius est, et laudabilius opere non ex voto. Ita docent SS. Augustinus, et Thomas, illi quidem lib. de Virginitate cap. 8. hic vero a. 6. *Primo quia vovere*, ait Angelicus Praeceptor, *est actus latriae, quae est praecipua inter virtutes morales. Nobilioris autem virtutis est opus melius et magis meritorium .... Secundo, quia ille, qui vovet aliquid et facit, plus se Deo subjicit, quam ille, qui solum facit: subjicit enim se Deo non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quia de coetero non potest aliud facere; sicut plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus tantum ..... Tertio, quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bonum. Facere autem aliquid ex voluntate firmata in bonum, pertinet ad perfectionem virtutis.*

III. *Voti distinctio multiplex*, *et* 1. *in solemne et simplex.*

Plures sunt votorum distinctiones, divisionesque, quas hic breviter delibabimus. Prima et omnium maxima est in votum solemne et simplex. Solemne votum constituit S. Thom. hic q. 88. a. 11. *in quadam consecratione seu benedictione, per quam Monachus Domino offertur, et sanctificatur, abrenunciato saeculo, et totaliter divino servitio mancipatur:* unde et in facie Ecclesiae fit, et ejusdem postulat acceptationem. Simplex vero votum illud est, quod a qualibet privata persona emittitur.

IV. *Votum absolutum, conditionale, et poenale.*

Dividitur 2. votum in absolutum, conditionale, et poenale. Absolutum illud dicitur, quod a nulla pendet conditione per voventem apposita, ut quum quis vovet recitationem Rosarii, Officium B. V. et similia. Dixi per voventem apposita: sunt enim nonnullae conditiones omnibus votis imbibitae, nimirum si res sit possibilis, si res totaliter non immutetur, si non fiat mala, salvo Superioris jure etc. de quibus suo loco. Conditionale illud est, quod ab aliqua pendet conditione per voventem apposita, ut si convaluero, Ecclesiam Lauretanam visitabo: quae conditiones vel necessariae esse queunt, vel contingentes; si necessariae sint, jam votum absolutum ostendunt, ut sunt conditiones omnes de praeterito vel de praesenti, quae si jam extiterunt, vel existunt, votum non suspendunt. Si vero sint contingentes, quae proinde possunt esse et non esse, votum suspendunt usque ad sui impletionem, ut si quis voveat eleemosynam, si beneficium, quod optat, consequatur. Poenale votum est conditionatum, et adjicitur ad se in bono proposito confirmandum, et peccatum vitandum; ut si quis dicat, si blasphemavero, voveo jejunium in pane et aqua.

V. *Votum reale, personale, et mixtum.*

Dividitur 3. in reale, personale, et mixtum. Personale votum actionem voventis respicit et pollicetur, puta jejunare, recitare Rosarium. Reale vero externam rem Deo pollicetur, ut dare eleemosynam, Ecclesiam erigere, dotare etc. Mixtum, quod utrumque com-

plectitur, ut Aedem Lauretanam visitabo, et Calicem argenteum offeram.

VI. *Votum tacitum, et expressum.*

Dividitur 4. in tacitum et expressum. Tacitum est, quod corde concipitur, nec exterius verbis exprimitur. Tacitum etiam a D. Thom. reputatur votum castitatis, quod a Subdiaconis emittitur in eorum ordinatione: nam licet illud exterius non proferant, in ipsa tamen voluntaria Ordinis susceptione continetur, ut scribit suppl. q. 53. a. 3. Expressum vero est, quod exterius verbis concipitur. Haec autem vota sive tacita, sive expressa et perpetua esse queunt, et temporanea. Perpetua dicuntur, quae per totam voventis vitam durant, et aliquando etiam post ejus mortem perseverant, ut si quis voveat Monasterium fundare, ubi Deus perpetuo laudetur; temporale vero, quod praefinito limitatur tempore, ut si quis jejunium voveat singulis sabbatis, vel per decennium.

VII. *Votum positivum et negativum.*

Postremo loco votum in positivum distinguitur, et negativum. Hoc in cessatione operis alioquin liciti situm est, ut si quis voveat non ludere, non bibere vinum etc. Illud in positione alicujus vel operis, vel rei, ut audire Missam in die Sabbati etc. Priora vota conditionem induunt praeceptorum negativorum, quae obligant semper et pro semper; posteriora vero ad instar praecepti affirmativi non urgent nisi tempore praestituto.

Consectaria.

I. ***Ad valorem voti requiritur perfecta deliberatio.***

Ad valorem voti requiritur plena ac perfecta deliberatio, nec sufficit imperfecta, et semiplena. Nam quum votum sit lex gravissima, quam sibi quilibet imponit, necesse est ut plene et perfecte advertat quid voveat, quid polliceatur, et eo attentior requiritur consideratio, quo majus est onus, quod per votum assumitur; hinc oportet, ut qui vovet, sit sui compos, et noverit quod promittit. Sicut vero ad hanc plenam advertentiam nec longa opus est consideratione, ita nec quaecunque animi sive commotio sive perturbatio eam tollit, quum plerumque vota Deo nuncupentur vel in devotionis fervore, vel in vehementi alicujus boni desiderio, vel alicujus vitandi mali timore. Hinc vota etiam repentino motu emissa, si ex deliberato animo proficiscantur, suo valore non carent; nec hanc defuisse deliberationem indicat quae statim subsequitur de voto facto displicentia: in humanis enim non semel continget, plura etiam libere et plena voluntate facta confestim displicere. Ad summum (ut nonnulli putant Theologi) haec repentina voti emissio petendae commutationis et relaxationis caussam praebere potest. Porro ea est censenda sufficiens libertas et deliberatio in voto, quae satis dignoscitur ad lethale peccatum committendum, vel ad contractum, sive negotium grave ineundum. Hinc minime sufficiens est dicenda illa semiplena deliberatio et libertas quae ad veniale peccatum satis censetur, licet votum esse etiam de re levissima. Haec autem deliberatio necesse non est, ut sit actualis, sed sufficit virtualis in praecedentibus actibus contenta, ut patet in Moniali, quae in manibus Episcopi vota sua

nuncupat Deo professionis verba pronuncians, licet actualiter de ipsis votis non cogitet.

II. *Qui votum exterius pronunciat, sed intus statuit non vovere, voto non adstringitur.*

Qui sponte et libere, votum exterius pronunciaret, sed animo deliberato intus statueret se nolle vovere, voto non adstringi probabilius videtur: deest enim, quod maxime videtur ad votum necessarium, nimirum voluntas vovendi, a qua omnino votum pendet, eo quod sit lex privata sola voventis voluntate ferenda. Quod certe multo magis verum erit, si forte qui voti verba pronunciat, timore, vel exteriori violentia cogatur, ut docet S Th. in 4. sent. dist. 28. q. 1. a. 1. quaestiunc. 1. ad 2. Non sine peccato tamen sive ex timore, sive ex lusu haec vota emittuntur, quum sint dolosa vota et fallaces promissiones, quae in divinae majestatis dedecus redundare videntur, praesertim in solemnioribus votis, quae Deo in religiosa professione offeruntur, in qua fictio a lethali peccato excusari nequit.

III. *Habens voluntatem vovendi, et non se obligandi, vere vovet.*

Qui sinceram habet voluntatem vovendi et promittendi, at intentionem non habet se obligandi, vere vovet, et voto obstringitur. Nam qui vere et absolute vovere vult et promittere, ea omnia velle convincitur, quae ipsum votum vel constituunt, vel necessario sequuntur; sicut qui in hostem deliberate telum vibrat, ejus vulnus profecto velle convincitur, quum illud impedire non valeat. Qui vero se vovere diceret, sed nec actualiter, nec virtualiter ad obligationem ex voto exurgentem adverteret, immo putaret non majorem inde obligationem exurgere, quam ex proposito, non vere voveret, quum nihil possit esse volitum nisi ab intellectu praecognitum, et ea deliberatio sit ad votum necessaria.

VI. *Ad voti valorem non requiritur voluntas implendi.*

Ad voti valorem non requiritur propositum et voluntas implendi. Impletio enim oneris et obligationis per votum assumptae non ipsum votum ingreditur, aut ullo pacto constituit, immo jam completum supponit, ac proinde consequitur. Iniqua igitur non implendi voluntas voti vim non elidit. Sic qui professionem emitteret sine animo promissa vota servandi, et vere profiteretur, et sacrilegae profanationis reus fieret ob pravum animum non reddendi Domino vota sua, quae distinxerunt labia sua.

§. II.

De Materia Voti.

I. *Plura esse queunt voti materia.*

Plura sunt, quae voti materia esse queunt, nimirum res malae, indifferentes, inutiles, sub praecepto cadentes, liberae omnino, bonae, meliores, optimae, impossibiles. De his omnibus hic disseremus.

Votum de re mala.

Profanum, et impium esset votum de re mala patranda: injuriam enim Deo inferret, qui voto statueret peccatum patrare, ut docet S. Thom. hic q. 88. a. 2. Et in resp. ad 2. ubi argumento respondet, quod

sibi objecerat de Jephte, qui filiam innocentem occidit propter votum definiens cum D. Hieronymo, Jephte fuisse *in vovendo stultum, et in reddendo impium.* Hinc qui rem lethaliter malam Deo voveret, duplex peccatum committeret, alterum contra religionem ob injuriam Deo illatam, alterum contra praeceptum illud, cui res mala voto promisso adversaretur, et quam animo implere statuit: immo si crederet Deo gratum futurum malum, quod pollicetur patrare, profecto blasphemus foret, impius et haereticus. A lethali quoque peccato non esset excusandus, qui rem lethaliter malam vovens polliceretur, licet sine animo implendi, quippe qui adhuc gravem injuriam Dei irrogaret, et gravem irreverentiam contra Deum ostenderet.

II. *Votum de re bona ad pravum finem, irritum et impium.*

Irritum et impium est votum de re bona ad pravum finem obtinendum, ut si quis voveret dare eleemosynam pauperi, si in duello hostem occidat; hoc enim esset gravem injuriam Deo irrogare, et ipsum homicidii approbatorem, ac etiam quodammodo participem velle. Sed qui rem bonam vovet ex fine aliquo malo quidem, sed qui non est caussa voti, sed mere concomitanter se habet ad votum, peccat fortasse vovens, at votum ipsum nec malum est, nec irritum. Sic qui spe ductus pinguioris obtinendi Beneficii voveret Clericalem statum amplecti, peccaret quidem, quia sua inordinata voluntate clericalem statum ad temporalia obtinenda ordinaret, at ipsum votum in sua bonitate objectiva persisteret, nec desiderium beneficii est caussa motiva vovendi, sed solum alliciens ad statum clericalem, quem ille amplectitur immediate ad Deo inserviendum, licet concomitetur desiderium boni temporalis. Quod si consecutio beneficii est tota ratio voti at unicum motivum, et principalis finis voti, profecto licet objectum de se et materialiter inspectum sit bonum formaliter, tamen ratione pravi finis in ipsum influentis sacrilegum et irritum evaderet.

III. *Votum ad impetrandum effectum bonum ex turpi actione, quandoque impium*

Votum Deo factum ad impetrandum effectum bonum ex turpi actione quandoque impium et sacrilegium est, ut si quis voveat virginem dotare, si in adulterio, si in furto non deprehendatur, si nundinatio simoniaca prosperum sortiatur effectum, et beneficium simoniace obtineatur. Nam in hisce votis pravus finis inspicitur, ad quem felicius, tutiusque obtinendum diriguntur vota.

IV. *Votum in gratiarum actionem pro crimine feliciter patrato, sacrilegium est.*

Votum in gratiarum actionem Deo oblatum pro flagitio et crimine feliciter perpetratum, puta pro victoria in duello, pro beneficio simoniace obtento, ob lucrum ex ludo illicito reportatum, sacrilegum est: qui enim haec impia concipiunt vota, Deum criminis agnoscunt approbatorem, illique grata esse scelera se indicant credere, quod profecto impium est, et blasphemum.

V. *Ad quid teneatur qui vovit rem partim bonam, partim malam.*

Qui vovit rem partim bonam, partim malam vel indifferentem, sive in se, sive ex fine, si partes separari queant, et fines sejungi,

ad id, quod bonum est, implendum tenetur; ut si quis voveat et deambulationem in platea, et eleemosynam, largitionem eleemosynae et ad subveniendum pauperi et ad famam captandam: nam quum istae partes et fines separari queant, omittendum quod ineptum est et pravum; quod vero bonum et Deo gratum implendum: poterit igitur deambulationem omittere, et pravum finem gloriolae captandae deponere tenebitur, sed eleemosynam erogare debebit. Votum de re secundum se licita, sed quae ex aliquibus circumstantiis illicita evadere potest, validum est et honestum, si ab illicitis circumstantiis possit sejungi. Ita S. Thom. hic q. 88. a. 2. ad 3.

VI. *Votum de re indifferenti, vana vel inutili irritum est et illicitum.*

Votum de re indifferenti, vana, et inutili irritum est, et illicitum, deridendum proinde; non implendum: *Displicet enim Deo stulta promissio.* Eccles. 5. v. 3. Hinc inutilia habenda vota de mercatura non exercenda, non ingrediendi certam domum, non exeundi domo etc. Fieri tamen potest, ut res de se indifferentes ex aliqua circumstantia vel fine, bonae fiant, et honestae, propterea evadant materia licita voti. Sic vestes sericas deferre, vel talis coloris indifferens videtur; at si Matrona ad humilitatem et poenitentiam voveat nunquam sericas vestes vel splendidi coloris induere votum esse validum et Deo gratum. Pari pacto valide quis vovere poterit fugam a tali domo, quae est sibi occasio peccandi.

VII. *Votum de rebus bonis, et melioris boni.*

Quum ex D. Th. dixerimus, votum esse promisssionem de meliori bono, id non ita est intelligendum, quasi quod vovemus esse debeat melius bonum comparate alteri bono, ut melius est Missam celebrare, quam audire: hoc enim pacto nonnisi perfectissima vovere possemus; sed sufficit, si sit melius bonum comparate ad ejusdem boni omissionem: sic melius est jejunare, quam non jejunare, non nubere quam nubere. Hinc supererogatoria opera sunt primo quidem et principaliter materia voti, quum non solum sint de meliori bono, quia bonitate sua oppositum vincunt, sed etiam quia bono ad salutem necessario aliud superaddunt bonum; quae vero sunt in praecepto, idoneam et sufficientem adhuc constituunt voti materiam et quia voluntaria, et quia in se suo opposito meliora.

VIII. *Vovere non possumus, quae opponuntur Evangelicis consiliis, vel virtutis alicujus actibus.*

Deficientia itaque hujus bonitatis ea vovere non possumus, quae sunt divinis et evangelicis consiliis opposita, vel alicujus virtutis actibus adversa. Hinc nulla sunt et irrita vota nubendi, non jejunandi, non mutuandi, non fidejubendi, quum melius bonum sit castitatem servare, et proximo indigenti ex charitate auxiliari. Immo nec votum matrimonii validum est, licet quis voveat paupereulam virginem sibi copulare, quia haec misericordiae circumstantia non efficit, ut matrimonium sit melius coelibato. Contingere tamen potest, ut quibusdam positis circumstantiis matrimonii vota valida sint et licita, nimirum si quis puellae juravit in sponsam ducturum, melius enim est fidem servare quam frangere, similiter si quis voveret, posito quod matrimonium eligat ducere puellam pauperem, vel meretricem. Fieri etiam quandoque potest, sed raro admodum, quod

matrimonii votum validum sit, quotiescunque de maximo bono publico agatur, puta de conversione Regni vel ab infidelitate, vel ab haeresi, de pace inter Principes potentes, et jamdiu belligerantes inducenda, vel firmanda: tunc enim commune bonum melius est bono privato. Num vero votum nubendi in puella, vel contrahendi matrimonium in adolescente carnis stimulis vexatis ad lapsus in peccata vitandos validum sit, disputant Theologi.

IX. *Votum de re vel physice, vel moraliter impossibili nullum est.*

Palam est, votum de re vel physice vel moraliter impossibili esse nullum, stultum et imprudens, nisi forte quum illud emissum fuit res erat vel prudenter putabatur possibilis, et postea vel facta, vel detecta est impossibilis. Hinc votum de omnibus peccatis venialibus vitandis irritum est, et nullum, quia licet singula peccata venialia, Deo adjuvante, vitare possimus, omnia tamen collective sine speciali privilegio est moraliter impossibile, ut definivit Trid. Syn. sess. 6. can. 23. At si res voto promissa fiat partim possibilis, partim impossibilis, hoc pro certo statuunt Theologi, spectandam esse intentionem voventis, qui si rei partes ita conjunxit, ut ad unum sine altera non teneri vellet; omnino votum irritum esset, sicut ille, qui vovit peregrinationem Romanam nudis pedibus incedere; quia ita conjunxit pedum nuditatem cum peregrinatione, ut sine illa nuditatem pedum noluerit. Si vero de voventis voluntate non constet, ipsa rei votopromissa indoles et natura spectanda est quae si dividua, sit, et in ipsa divisione adhuc utilis, votum validum est judicandum, et ea parte implendum, quae possibilis remanet. Ita S. Thom. q. 88. a. 3. ad 2. Qui itaque decem aureos vovit dandos pauperibus, si non potest erogari nisi partem, ad hanc tenetur; qui castitatem vovit, et postea matrimonium iniit, debet a petitione debiti abstinere, et similia. Qui vero vovit aedificare templum, qui postea superveniente paupertate impos evadit, ex S. Thoma in 4. dist. 38. tenetur ad partem, quam potest, Templi aedificandam, si spes sit, non defuturum, qui ex Dei amore inceptum templum compleat; vel ad Oratorium, aut Capellam erigendam: ad idem enim officium Capellae eriguntur et Templa, quia in utrisque divinum perficitur servitium. Non negaverim tamen, quod si pars aedificanda adeo exigua esset, ut nihil ad Dei cultum conferret, ad eam construendam non teneretur: res enim inutilis materia non est idonea voti.

X. *Quid dicendum, si res partim bona sit, partim mala.*

Si vero voti observantia sit impossibilis, quia de re partim bona, partim mala vel inepta, ut si quis voveat Lauretum pergere, et ut Aedem Virginis visitet, et amasiam ibidem commorantem, si partes sint divisibiles, et una ab alia sejungi queat, tenetur ex parte votum implere, quum nihil sit, quod ejus validitatem impediat: est siquidem de re bona, et de meliori bono, et sejuncta a parte vel inutili, vel mala, nulla inficitur pravitate. Implere igitur tenebitur, et Lauretum pergens a pravo amasiae commercio abstinere.

Consectaria.

I. *Vovens rem venialiter malam, graviter peccat.*

Qui rem etiam solum venialiter malam voveret, non solum invalidum emitteret votum, sed etiam graviter peccaret: nam practice

in Deum blasphemaret offerendo illi peccatum, quasi Deo gratum foret, qnod ille maxime detestatur, immo et idem dicendum de votis de re vana et inutili, quia esset protestari, Deum delectari de rebus vanis et inutilibus, illique placere, et gratas esse; quod pariter impium est, et blasphemum. Vota etiam contra consilia Evangelica nulla sunt, et sacrilega: nam si votum de re inutili et indifferenti a lethali non excusatur, multo minus votum de re consiliis Evangelicis adversa.

II. *Votum non ludendi validum est, et licitum.*

Votum non ludendi ullo prorsus ludo, ut solet a Christianis communiter elici, validum est, et licitum, est enim de meliori bono: nam vel emittitur gratia vitandi peccata, et rixarum occasiones, pecuniae dissipationem, et tunc procul dubio acceptum est Deo, et de re optima; vel emittitur amore poenitentiae, et mortificationis, cujus gratia a quocunque etiam moderato ludo prorsus abstinere vovens statuit, et tunc quoque validum, et honestum apparet, et est longe praestantius opus poenitentiae, et mortificationis, quam moderatus etiam lusus. Si vero hoc posteriori motivo emissum sit votum, nullus unquam lusus licitus erit, nisi forte in speciali aliquo casu ad tristitiam gravem animi sublevandam ludus aliquis necessarius censeretur: tunc enim non fieret invalidum votum, sed cessaret obligatio voti, sicut et cessant in gravi incommodo et necessitate cetera vota, et praecepta ecclesiastica; unde et infirmis, diebus, sive ex praecepto sive ex voto esurialibus comedere carnes licet, et jejunium frangere. Si vero elicitum sit ex priori capite, ad prudenter discernendum quantum sit ejus extendenda obligatio, inspiciendus est finis, et caussa voti, quae efficit ipsam ludi abstinentiam idoneam materiam voti: nam ludi abstinentia de se inspecta et a quacunque circumstantia sejuncta est quid indifferens, proinde vix apta materia voti. Si itaque quis vovit abstinere a ludo caussa rixas vitandi, contentiones, jurgia, blasphemias, a quibus aegre ob impotentis bilis aestum se novit posse abstinere, nullum poterit amplius ludum assumere. Si vero voverit ad redimendum tempus, quod in ludis diuturnis terere consuevit, per breve aliquod tempus ludendo saltem graviter non peccabit. Si ad votum impulit nimia pecuniae jactura, ludere non poterit ullo pecunioso ludo, nisi tanta foret pecuniae ludo expositae tenuitas, ut leve tantum peccatum constitueret. Ita quidem, si de ludo indeterminato votum emissum fuerit; at si a peculiari aliquo ludo, vel illicito, vel illiberali, puta alearum, taxillorum abstinere vovisset, procul dubio ex quacunque caussa emiserit votum, ludere amplius ludo illo non poterit: quum enim jam sit de se materia voti, quia melius est a ludo vel illicito, vel illiberali abstinere, quum eo uti quacunque ex caussa, quocunque ex fine votum illud processerit, licitum semper erit et validum, proinde semper, etiam cessante fine voti, custodiendum. Qui vovit aleis non ludere ad vitandas contentiones, rixas, blasphemias, poterit per aliud ludere, dummodo ipse ludo non intersit: nam ipso praesente idem immineret periculum rixandi, blasphemandi etc.

III. *Votum vitandi omnia lethalia, validum est.*

Votum vitandi omnia peccata lethalia validum est, quum haec sit materia idonea voti, et, divina opitulante gratia, possibilis: non

enim sunt impossibilia divina mandata; sicut et vitandi nonnulla determinata venialia, quum hoc quoque sit auxiliis etiam communibus gratiae possibile. Exciperem tamen votum vitandi omnia peccata venialia, quae verbis, et lingua committi queunt, quum in tanta linguae labilitate sine speciali auxilio gratiae omnia venialia vitare moraliter videatur impossibile.

IV. *Votum de nullo emittendo voto, de se est invalidum.*

Votum de nullo emittendo voto de se invalidum esse nullus est, qui ambigat, quia non est de meliori bono, quum melius sit Deo vota offerre, actum religionis elicere, quam omittere. Attamen si quis nimis in votis emittendis praeceps, incautus, imprudens votum emittat de non vovendo nisi in scriptis cum approbatione Confessarii, et consilio prudentis viri, validum putarem hoc votum, quum non esset de absoluta negatione voti, sed de prudenti, cauta et considerata ejus emissione.

V. *Votum de non petenda dispensatione in se validum est.*

Votum de non petenda dispensatione, vel commutatione, vel irritatione in se validum est, et quidem si sermo sit de non petenda dispensatione absque legitima caussa, tale votum validum esse nemo ambigit, quum sine legitima caussa dispensatione petere malum sit, et illicitum: si vero sit de non petenda dispensatione etiam legitima subsistente caussa, adhuc valere ex eo patet, quia importat firmitatem in bono per votum suscepto, a quo nec legitima urgente caussa resilire valet, ut patet in praecepto abstinendi a carnibus, quod licet non urgeat infirmos, si tamen illud valeat observare, nullus profecto erit qui accuset et damnet. Quod si talis urgeat evidens caussa, ut animae saluti expediens sit et necessarium petere dispensationem, tunc eam deposcere poterit, non quia votum validum non sit, sed quia in illis circumstantiis, in quibus non aliud suppetit medium vitandi spiritualis damni, nisi petitio dispensationis, praeceptum non urget, nec ullus sibi potest adimere potestatem confugiendi in urgente necessitate ad Superiorem, et Superiori facultatem succurrendi subdito in tali necessitate spirituali constituto non adimit subditi votum. Semper tamen poterit oblatam sponte a Superiore commutationem, vel dispensationem acceptare, quum votum suum alterius non obliget potestatem, et voluntatem, quod multo magis verum est de irritatione, quae tota est in potestate Superioris, cui subditus tenetur obtemperare.

§. III.

De voti obligatione, modo, et tempore, quo urget.

I. *Obligatio voti gravis est.*

Obligatio voti, quae ex D. Th. hic q. 88. a. 5. ex virtute religionis et fidelitatis erga Deum proficiscitur, de se non levis est, sed gravis: hoc enim indicant Scripturae verba, tum Deuteron. 23. *Quum voveris Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Tum Eccles. 5. *Quodcunque voveris redde, multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.* Hinc S. Th. in IV.

dist. 38. q. 1. n. 3. ait: *Qui votum rite factum praetermittit, mortaliter peccat, quia fidem, quam cum Deo iniit, frangit.*

II. *In voti violatione, quandoque nonnisi veniale peccatum intercedit.*

Tametsi autem votum ex specie sua gravem afferat obligationem, in ejus tamen violatione aliquando nonnisi veniale intercedere peccatum posse docent ad unum Theologi omnes, scilicet quotiescunque trangressio ex imperfecta deliberatione, ex subreptione, ex levi negligentia oriatur. At num talis sit etiam ex materiae parvitate, rursum conveniunt, quotiescunque res parva voto promissa, non sit tota materia voti, sed ejus pars tenuis: Vovisti Officium B. V. non peccas lethaliter, si unum vel alteram omittas antiphonam: vovisti Rosarium, non peccas unam vel alteram angelicam salutationem negligens. Dissident tamen, si res tenuis voto promissa sit tota materia voti. Sub gravi hoc votum non obligare probabilior sententia docet hac satis firma et solida ratione: votum non est nisi lex privata, quam vovens sibi sponte imponit, quae proinde eo obligat pacto, quo ceterae omnes leges sive divinae, sive naturales, sive positivae humanae solent adstringere: porro omnibus legibus commune est, et proprium, in gravi materia obligare sub gravi, in materia vero levi nonnisi levem inferre obligationem. Pari itaque pacto votum de re levi nonnisi levem injiciet servandi obligationem, de gravi vero gravem.

III. *An possit quis se in re levi sub gravi obligare, aut in re gravi sub levi.*

Tametsi votum lex sit particularis, quam sibi vovens imponit, in ejus quidem potestate est eam sibi indicere, vel non indicere; at non est illi liberum, se in re levi sub gravi obligare, aut in re gravi nonnisi levem velle inducere obligationem, sed si res gravis in se sit, gravem parit obligationem, si levis, levem. Et quidem ex levi materia gravem non consurgere debitum indicant leges omnes sive humanae, sive divinae, quae nunquam rem levem graviter obstringere volunt, et consentiunt Doctores; qui tamen dissentiunt, dum inquirunt, num quis votum de re gravi et magni momenti assumere possit, ea tamen mente et intentione, ut nonnisi sub culpa veniali ad voti observantiam teneatur. quorum plures affirmant. At oppositum meo judicio probabilius docent alii. Nam qui rem gravem Deo vovet, rem profecto gravem illi pollicetur: at promissio de re gravi Deo facta gravem necesse est inducat obligationem: nam si puellae pauperi, ut nubere possit, centum aureos promisisti, teneris sub gravi culpa datam fidem implere; quomodo non ita erit et in conspectu Dei? Praeterea votum in promissione consistit Deo facta, ex qua semel emissa sponte et veluti naturaliter consequitur implendi obligatio: porro haec naturam consequitur promissionis, a qua tanquam a radice profluit: si ergo promissio est de re gravi, grave quoque consequatur implendi debitum oportet; si de levi, nonnisi leve.

IV. *Vota personalia non obligant nisi ipsum voventem.*

Vota non obligant nisi ipsum voventem, si sint personalia, quia quum vota sint leges privatae, et a sola voluntate et libertate voventis procedant, et ipsius voventis proprias respiciant actiones,

nonnisi ipsum voventem afficiunt. Hinc vota parentum pro filiis istos non obstringunt, nisi a filiis rata habeantur et confirmentur; ad hoc vero non sufficit silentium filii, sed necessarius est expressus consensus, et libera ejusdem voluntas. Itaque parentum vota de filiis suis hoc afferunt onus voventibus, ut curent quantum fieri potest, salva semper filiorum libertate, ut ad ea acceptanda, rata habenda, et implenda natos suos hortentur, et moneant.

V. *Vovens non tenetur implere per alium, si ipse non possit. Nec si possit, valet alium substituere.*

Vota personalia, si nequeant a vovente impleri, non tenetur implere per alium, sicut nec si per se possit valet alium substituere. Non primum, quia votum est de actione ab ipso vovente ponenda. Non secundum quia non praestaret, quod pollicitus est: promisit enim voto actionem suam personalem: ergo hanc debet ipse praestare, non alter. Quod verum arbitramur, licet ex sua culpa factus sit impotens ad personale votum implendum, quia omissionis culpa naturam non immutat voti personalis, quod ita afficit personam, ut si per ipsum impleri non possit, ejus cesset obligatio; poenitere igitur debet de culpa commissa. Non desunt tamen etiam magni nominis Theologi, qui docent, impotentem ex sua malitia et culpa ad implendum votum, debere per alium supplere. Et certe si de admissa culpa vere poeniteret, curaret omni studio omissionem reparare eo meliori quo posset modo; et a Confessario, ne ex iniquitate sua lucrum reportaret, saltem in poenitentiam illi injungenda voti satisfactio foret, eo quo valeret modo.

VI. *Vota realia impleri queunt per alium, immo quandoque et debent.*

Vota vero realia etiam per alium impleri queunt, immo quandoque et debent. Et quidem quod impleri per alium possint, manifeste patet, quippe quae consistunt in exhibitione rei promissae, puta eleemosynae, calicis etc. Immo ita per alium exhiberi potest res promissa, ut etiam inscio vovente impletum sit votum, dummodo tamen invitus non sit et reluctans oblationi rei. Quin etiam, si votum reale impletum fuit re ad dominium, vel usum voventis pertinente, licet tempore impletionis obluctans fuerit et invitus, at postea obsistentiae illum poeniteat, paratus rem offerre, si jam praestita non fuisset, ad iterum offerendum non obstringerem: duo siquidem importat voti obligatio, nimirum et voluntas implendi, et rei promissae oblatio: hoc secundum jam praestitum fuit, et quidem per rem ad ipsum voventem pertinentem, alterum vero praestatur per poenitentiam et ratihabitionem. Si vero res oblata non ad ipsum voventem pertinebat, sed ad alium, qui sponte de suo penu obtulit, non censerem votum satisfactum, nam revera nihil de suo contulisset vovens, non rem voto promissam, non consensum; quare subsequenti ratihabitione sanari non posset, quum per eam spontanea oblatio in debiti solutionem transire amplius non valeat: teneretur itaque votum suum implere.

VII. *Quandoque ab alio realia vota impleri debent.*

Debent quandoque ab alio realia vota impleri, nimirum ab haerede sive necessario, sive libere electo, dummodo onera haereditatis

valorem non excedant: nam haeres ex justitia solvere tenetur onera haereditati adnexa. Distinguendum tamen inter necessarium haeredem et liberum. Ille nonnisi ea testatoris vota realia implere tenetur, quae ea, quae sibi jure necessario obveniunt, non minuunt. At haeres libere electus sicut bona testatoris acquirit nullo modo sibi debita, ita et omnia onere subire debet, quum haereditas non dicatur nisi aere alieno soluto. Quod si plures sint haeredes, justa haereditatis partem, quae unicuique obtigit, quilibet pro rata solvere debet, nisi forte res promissa apud unum sit, et individua: tunc enim ab illo est offerenda, et ab aliis servandus indemnis. Horum autem votorum impletio praeferenda est solutioni legatorum piorum, quum haec libera sint et gratiosa, vota vero debita et obligatoria; at non praeferenda sunt debitis ex justitia, quum votum sit implendum ex bonis propriis ipsius voventis; illa vero sunt bona voventis propria, quae aere alieno deducto supersunt.

VIII. *An donatarius teneatur implere votum reale.*

Donatarius ex justitia votum reale implere non tenetur; at ex religione teneri cum aliis sentio. Nam res donata jam est Deo oblata, et ad ipsum ex religione pertinens; porro rem Deo oblatam quis sibi audeat usurpare, et retinere? Retinendo non furtum committis, at sacrilegium perpetras. Praeterea qui rem Deo voto oblatam non illi reddit, sed alteri donat, sacrilegus est, et tenetur semper quod voto promisit reddere: ergo qui accipit ab hoc perverso donatore rem voto Deo oblatam, ejus sacrilegio cooperatur, et nisi ille compenset votum implendo, qui accipit rem Deo oblatam, ex religione dare tenebitur. 3. Qui donat rem Deo devotam, valide quidem donat, quia illius dominium retinet, sed illicite donat, quia gravatum onere eamdem rem Deo offerendi; ergo cum hoc onere transit ad donatarium, qui dominium quidem obtinebit validum, sed illicitum, et pari onere gravatum, nisi qui donavit, votum solvendo rem ab eo onere sublevet.

IX. *Tempus ad voti impletionem.*

Tempus ad voti impletionem designari dupliciter potest, nimirum determinate, puta singulis sabbatis Missae Sacrificio interesse voveo, jejunabo omnibus feriis tertiis in honorem S. Antonii; vel indeterminate, puta dicendo, decem missas celebrare faciam, eleemosynam dabo pauperibus, Ecclesiam visitabo. Rursus temporis designatio vel esse potest ad finiendam obligationem, puta dicendo, jejunabo per annum omnibus sabbatis in honorem B. V. et elapso anno completum habetur votum, nec ultra ejus extenditur obligatio; vel designatio temporis ponitur ad sollicitandum obligationis effectum, ut si quis diceret voveo intra annum religionem ingredi, elapso anno, non liberatur ab onere ingrediendi religionem: nam in eo voto duplex habetur voventis voluntas et intentio, alia de religioso statu assumendo, altera de tempore assumptionis; prima absoluta est, ac proinde semper obligat, altera vero tempus respicit, quod ad urgendam obligationem additur, non ad tollendam; proinde sive ex culpa, sive sine culpa omiserit intra annum ingredi religionem, ab onere tamen non liberabitur, nisi forte vovens aliter expresse statuat dicens, voveo ingredi religionem, ita tamen ut si intra

annum votum implere nequivero, cesset onus: tunc enim ultra annum non dilatabitur obligatio.

X. *Quando tempus sit praestitutum ad finiendam obligationem; quando solum ad sollicitandam?*

Quando vero tempus dicendum sit praestitutum ad finiendam obligationem, quando vero solum ad sollicitandam, 1. voventis intentio est exploranda; et ab ea dignoscenda veritas. 2. Si de voventis intentione non constet, hanc regulam statuunt Theologi, nimirum quando circumstantia temporis praecipue a vovente ex motivo pietatis et religionis inspicitur, tunc tempus censetur oppositum ad determinandam obligationem, ut patet in eo, qui vovit jejunare die praecedenti ad omnes B. V. festivitates. Quando vero circumstantia temporis ad specialem devotionem non pertineat, tunc tempus appositum censendum est ad urgendam obligationem, ut si dicas, hoc anno peregrinabo Lauretum ad Virginis domum invisendam, tempus circumstantia non est ad finiendam obligationem appositum, sed ad sollicitandam, adeo ut si hoc anno pergere nequeas, teneris alio anno. Immo licet circumstantia temporis sit ex pietate aliqua apposita, si tamen non sit caussa principalis voti, non tollitur obligatio per lapsum temporis, ut si quis voveat monasticum statum assumere in die S. Benedicti devotionis gratia erga ipsum, licet tali die non possit Monasterium ingredi, non per hoc ab assumendo statu Monastico liberatur, quum diei praestitutio non sit caussa principalis voti, sed solum apposita ad devotionem augendam, excitandamque pietatem.

XI. *Quando impletio voti non urget nisi praefinito tempore?*

Quando tempus ad voti impletionem praestitutum est, non urget nisi praefinito tempore, ut vovisti intra annum puellam pauperem dotare, non teneris nisi intra illud tempus: vovisti ingredi religionem post obitum Patris, non urget obligatio, nisi defuncto patre. Si vero voti impletioni nullum sit praestitutum tempus, tunc urget quamprimum commode potes, nec diu differre debes, ut habetur Eccles. 5. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere.*

XII. *Non omnis mora temporis semper est lethale.*

Non omnis mora temporis ad implendum votum semper est peccatum lethale, parvitatem enim materiae admitti debere nullus est, qui ambigat; at tempus non est mathematice inspiciendum, sed moraliter, sic qui vovit eleemosynam dare pauperi, non eodem momento, non eadem hora, nec die emissi voti tenebitur ita rigide implere, ut si ad alteram, vel tertiam diem differat, reus sit morae lethaliter culpabilis; non tamen differre potest ad libitum suum, sed cito; et quantocius moraliter potest, implere votum debet. Ad urgendam tamen impletionem voti, et culpandam dilationem et moram, hanc regulam statuunt Theologi. Inspiciendum, utrum ex mora, et dilatione minuatur votum, si enim minuitur, impletio non est diutius differenda: e. g. Vovisti religionem ingredi, infirmorum servitio te adjicere, quo magis voti differs impletionem, minus Deo in religione, minus infirmis servis. Si vero ex dilatione votum non minuatur, longioris temporis mora inculpata esse potest. Sic qui vovit puellam pauperem dotare, eleemosynam dare, etsi aliquantulum differat, non

per hoc diminuitur pium opus, sed integre adhuc perficitur. Quando autem mora implendi sit lethaliter culpabilis, facile non est statuere, sed circumstantiae sunt pensandae tum personae voventis, tum rei voto promissae, tum adjunctorum. Certum est autem dilationem et moram lethale peccatum esse posse, quando timetur periculum et impedimentum probabile ad votum implendum.

Consectaria.

I. *Omissio voti de re levi, fieri potest lethale peccatum.*

Qui rem levem voto spopondit Deo, licet ejus omissio in se levis sit, et culpa venialis, fieri tamen potest lethale peccatum ex voventis erronea conscientia, qua putaret ad rem etiam levem vi voti, gravi obligatione teneri. Praeterea non raro contingit rem voto promissam, licet in se levem; gravem tamen fieri, et ejus omissionem lethale peccatum inducere, vel ratione finis in promissione intenti, vel diuturnitate temporis, et actuum multiplicitate; ut si quis molesta pressus carnis tentatione voveat ea insurgente pectus tundere, et nomen Jesu invocare, expertus sibi prodesse ad resistendum, profecto sub gravi teneretur votum implere, quum ratione finis res sit effecta multum utilis, et necessaria ad peccatum vitandum. Similiter si quis voveat per annum salutationem Angelicam quotidie recitare, terram osculando, licet unius, vel alterius diei omissio gravis culpa non sit, votum tamen non implere per plures menses, vel per totum annum nemo, arbitror, a gravi culpa excusaret.

II. *Ad quid teneatur, qui paupertate superveniente votum implere nequit.*

Ut quis paupertate superveniente votum reale, quod antea emisit, implere queat, non tenetur aut mendicare, aut a suo statu decidere, aut etiam mutuum sub usura petere. Nam merito praesumi potest, noluisse se cum tanto onere obstringere, et, ut diximus superius juramentum promissorium non urgere, quando materia est notabiliter mutata; ita pari modo censendum et votum obligare, quotiescunque voti impletio effecta sit moraliter impossibilis, vel non sine magno et gravi onere impleri possit. Addidi: aut etiam mutuum sub usura petere, quia vel praevidet fore ut nequeat postea sortem et usuras solvere, et tunc ad usuram nequibit accipere: hoc enim esset proximum fallere et fraudare; vel praevidet fore ut possit, et tunc differre debet voti impletionem, non enim displicere Deo potest illa dilatio, quae alterius peccatum impedit. Non tamen potest vel pecuniam sibi oblatam, vel haereditatem sibi obvenientem renunciare, sed acceptare tenetur, ut fiat ad votum implendum idoneus.

III. *Ad quid ille, qui votum aut ex culpa, aut ex impotentia non implevit.*

Qui votum etiam ex culpa non implevit, vel factus est impotens ad implendum, non tenetur vi voti ad compensationem; quia quum, ut supponimus, votum sit de re determinata, vel praefinito tempori affixa, non est ejus onus vel ad aliam rem, vel ad aliud tempus extendendum ultra voventis mentem. Sic qui vovit jejunare omnibus vigiliis B. Virginis, si vel ex culpa jejunare omisit, vel factus est impos ad jejunandum, non est cogendus alia die jejunare, nec loco

jejunii tenetur ad eleemosynam: sic enim contingit et in Ecclesiae praeceptis, ut qui Missam audire omisit in die festo, vi praecepti non teneatur alio die audire. Sunt tamen hujusmodi ad aliquam compensationem adigendi, quando ad Confessarium accedunt, tum ne ex iniquitate lucrum reporteut, tum ut facto etiam ostendant, se vere de patrato crimine dolere, et ad satisfaciendum pro posse paratos esse. Quod si nulla interfuit culpa, nec ad ullam compensationem sunt urgendi.

IV. *Vota Communitatis, an posteros obligent.*

Vota, quae a Communitate eliciuntur, jejunandi tali die, vel illum ut festum habendi, vel de processione facienda posteros non obligant vi ipsius voti. At si accedat Episcopi approbatio implicite tale festum vel jejunium praecipientis, vi hujus praecepti etiam posteri tenentur, vel etiam ex consuetudine vim legis obtinente, vel denique ratione scandali, et discordiarum, quae inde inter cives oriri possunt.

V. *Nemo tenetur tempus ad impletionem praefinitum praevenire.*

Si tempus voto appositum sit ad ejus impletionem praefiniendam, non tenetur vovens tempus praevenire. Sic qui vovit jejunare omnibus sabbatis in honorem Virginis, si praevidet se proximo sabbato a jejunio impediendum, non tenetur praevenire, et sexta feria jejunare, ut patet in praeceptis Ecclesiae. At si tempus praestitutum etiam ad definiendam obligationem latitudinem admittens jam urgere inceperit, tunc praevenienda est voti impletio, si vovens praevideat se ulterius differendo a voti executione impediendum: sic qui vovit singulis hebdomadibus bis Missam audire, si praesciat postremis hebdomadae diebus fore ut vota implere non possit, tunc praevenire tenetur, et primis hebdomadae diebus Missam audire; ut contingit in Ecclesiae praeceptis, nam in die festo quilibet tenetur summo mane Missam audire, si praevideat impedimentum superventurum in reliquis horis.

§. IV.

De votis dubiis, indeterminatis, conditionalibus, et penalibus, metu, errore, et dolo emissis.

I. *Adjuncta quae comitari solent vota.*

Votorum emissionem plura quandoque comitari solent adjuncta, quae non leves ingerunt difficultates. Nam 1. fieri potest, ut quis ambigat de voto emissio, vel de re, sive rei quantitate, et hinc consurgit votum dubium. 2. Quis vovendo aliquid in genere Deo spondet, quin tamen in individuo aliquid determinet, ut qui vovit jejunare, Missam audire, non decernendo tempus, quantitatem, et quoties, et tunc votum dicitur indeterminatum. 3. Voto aliquando conditio apponitur, ut qui dicit, si ab hac infirmitate convaluero, voveo etc. et hoc votum dicitur conditionatum. 4. Denique aliquando assumitur in poenam alicujus criminis, a quo quis vellet abstinere, ut si quis dicat, quoties pejeravero, vel blasphemavero, voveo dare singulis vicibus unum aureum pauperi. De singulis dicendum.

II. *De Voto dubio, et quotuplex sit.*

Dupliciter quis circa vota ambigere potest, nimirum 1. an votum emiserit, 2. num impleverit. Potest etiam suboriri dubium circa quan-

titatem, et qualitatem materiae. Rursum aliud est verum dubium, aliud est suspicio, sive scrupulus. Primum occurrit, quando voventis animus variis hinc inde rationibus et argumentis pressus suspensus vere haeret, num votum emiserit, necne. Alterum vero ex inanibus conjecturis, ex mentis imbecillitate; ex meticulosae conscientiae angore oritur. De hoc non disputamus, hujusmodi enim dubium prudentes Confessarii ex imbecillium animis expellere debent, et flocci facere.

III. *Dubitans num votum emiserit, an teneatur implere.*

Quando quis dubitat, num votum emiserit, tenetur votum implere, et quidem ita sentiunt omnes Probabilioristae tum antiquiores, tum recentiores adversus Probabilistas, et quidem jure meritoque innixi illi regulae et principio certo in jure canonico statuto, et a jure naturali exurgente: *In dubiis semitam debemus eligere tutiorem.* Ita docet S. Th. In 4. dist. 38. q. 1. a. 3. quaestiunc. 1. ad 3. scribens: *Si autem dubitet, quomodo in vovendo se habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat.* Cui assentitur et S. Antoninus 2. Par. tit. 11. cap. 2. §. 1. Qui vero certus est de voto, at de ejus dubitat impletione, tenetur implere: quia in dubiis sententiam tutiorem eligere debemus, et peccat qui peccandi periculo se exponit. Idem dicendum de eo, qui de quantitate materiae voto promissae dubitat, num videlicet decem promiserit se daturum pauperibus, an viginti: tenetur enim quod tutius est eligere, quemadmodum et ille, qui dubitat, num votum ante septennium emiserit, tenetur votum servare; et similiter qui dubitat, num animum habuerit se obligandi, quia semper praesumendum est communi modo vovisse, idest cum onere implendi quod promisit.

De voto indeterminato.

IV. *Voti indeterminatio tria respicere potest.*

Voti indeterminatio respicere tria potest, nimirum vel impletionis tempus, quia nullum est designatum; vel materiae qualitatem, quae varia esse potest, puta vovit quis religionem ingredi non mitiorem determinando vel severiorem; vel quantitatem, puta eleemosynam vel jejunia, non definiendo vel pecuniae, vel jejuniorum quantitatem. Porro hujusmodi vota quoad qualitatem et quantitatem indeterminata valida esse et rata communiter docent Theologi, quia licet sic indeterminate impleri non possint, quum tamen sint de re licita, et honesta, ac de meliori bono, et ab ipso vovente definiri queant, vel a prudenti Confessario inspecta voventis intentione, profecto obligare nemo prudens inficiabitur.

V. *Regula circa vota indeterminata quoad qualitatem, vel quantitatem materiae.*

Et quidem quoad impletionis tempus recolantur ea, quae diximus cap. praecedenti. Circa vero vota indeterminata quoad qualitatem vel quantitatem materiae, haec universalis regula servanda videtur. Non est intelligendum votum nec juxta redigiorem, nec juxta laxiorem verborum sensum, quibus vovendo usus est, sed secundum communem et usitatam eorumdem verborum acceptionem. Sic qui vovit Religionem ingredi, nullam determinando, nec tenetur rigidissimum

Cartusianorum Ordinem amplecti, nec satisfacit, si militarem Equitum Ordinem ingrediatur: intentio enim voventis communiter loquendo respicere solet et referri ad Religionem Claustralem. Implebit itaque votum suum, si aliquem etiam mitiorem ingrediatur Ordinem, in quo tamen essentialia Religionis vota observentur. Hic tamen non est omittenda S. Th. Doctrina hic q. 88. a. 3. ad 2. quoad votum etiam determinatum hunc vel illud Ordinem ingrediendi, nimirum est exploranda voventis intentio, quae si primo et per se ad religiosum amplectendum statum respexit, et deinde hunc Ordinem elegit, si in isto non recipiatur, tenetur alium Ordinem ingredi; si vero e contra bene erga talem Ordinem affectus illum ingredi proposuit, ut inibi Deo in religione inserviret, profecto si vel impediatur talem Ordinem ingredi, vel in eo non recipiatur, a suo voto liber efficitur.

VI. *Qui vovit indeterminate jejunium, quomodo jejunare debeat.*

Qui jejunium indeterminate vovit, non est adigendus ad jejunium in pane et aqua, sed voto satisfacit, si Ecclesiasticum jejunium servet. Hinc ubi cum jejunio conjungitur abstinentia a lacticiniis ex praecepto Ecclesiae, tenetur ab illis etiam vi voti abstinere; ubi vero consuetudo lacticiniorum obtinet, iisdem vesci poterit: nam hoc jejunandi votum est sumendum juxta morem illius Ecclesiae, sive regionis, ubi immoratur vovens, nisi ipse vovens expresse quid amplius sibi praestituere voluerit. Pari ratione qui vovit jejunare per integrum mensem, non tenetur diebus dominicis jejunare, quia Ecclesia jejunium in die Dominico non praestituit. Hinc si quis forte vovisset jejunare in vigilia S. Antonii, quae in die Dominico aliquandò incidit, potest licite juxta Ecclesiae morem in praecedenti sabbato jejunare. At si vovisset omnibus sabbatis jejunare, non posset jejunium frangere, si Natalis Domini tali die incideret, quum Pontifex solum iis facultatem vescendi carnibus concesserit, qui nec voto, nec regulari observantia sunt jejunio et abstinentiae adstricti.

VII. *Qui a vino abstinere vovit, num uti possit aliis liquoribus.*

Qui a vino abstinere vovit, num possit aliis liquoribus, puta cervisia, vel cremato uti, ut definiamus: distinctione opus est. Nam si a vino abstinentiam vovit, ut ebrietatem vitet, proculdubio et ab omnibus aliis liquoribus ebrietatem gignentibus abstinere teneretur, alioquin frustraneum esset votum. Si vero votum emisit ob finem temperantiae, ut vini gustandi voluptate se privet, tunc poterit cerevisia uti, licet et illa inebriare queat. Non posset tamen vel cremato uti, vel spiritu vini, quum hi liquiores sub vino comprehendantur, et e vino expressi sint, immo ipsius vini nobiliores spiritus, vel saltem dubium sit, num comprehendantur proinde abstinendum ab illis, ut quod tutius est in dubio eligatur.

VIII. *Nonnulla de aliquibus votis indeterminatis.*

Qui vovit aliquid in genere, minime rei qualitatem determinando, votum adimplet, si quid illius generis det, dummodo non sit adeo vile, et exiguum, ut votum potius irrideri videatur, quam solvi: nam intentio voventis ita est intelligenda, ut nec optimum, nec vilissimum illius generis offerre voluerit. Quodsi ex rebus Deo disjunctive oblatis omnes pereant, una excepta, puta ex duodecim ovibus unam,

distinguunt Theologi: si enim ceterae tua culpa perierunt, teneris superstitem reddere; si vero sine tua culpa perierint, nec fueris in mora reddendi, a solutione liberant. Merito enim praesumere licet, non eam fuisse voventis mentem, se abstringere voluisse ad dandam ovem, si solam futuram superstitem praevidisset. Quoad quantitatem vero indeterminatam rei promissae hanc regulam statuunt, in potestate voventis esse ipsam quantitatem determinare; dummodo tamen adeo tenuis non sit, ut non voti impletio, sed illusio videatur; ut si dives, qui eleemosynam indeterminate vovit, det infimam monetam, voto non satisfacit. Hinc qui jejunium vovit, satisfacit etiam unico jejunio; at qui plura jejunia promisit, non videtur votum implere, si bis jejunet: licet enim duo jejunia pluralem numerum constituant, nihil tamen secius in communi modo loquendi pluralitas quid supra binarium numerum significare videtur. Qui vero Rosarium vovit, vel Rosarium quotidianum promisit, et tunc censeo votum implere quotidiana tertiae partis recitatione: vel vovit singulis hebdomadibus, vel mensibus; et tunc ad integram quindecim decadum recitationem adstringerem: ita enim mos Ecclesiae et fidelium viget, ut vel singulis diebus tertia pars Rosarii recitetur, vel totum in hebdomada, vel in mense percurratur Marianum Psalterium.

De voto conditionato.

IX. *De conditionibus, quae vota sponte comitantur; et quae ab ipso vovente adjiciuntur.*

Sunt quaedam conditiones, quae omnia vota sponte sua comitantur. Hujusmodi sunt 1. Si potero. 2. Si res in eodem statu sint, 3. Si res licita sit. 4. Nisi Superioris adversetur voluntati, qui aliter decernat, vel obligationem disrumpat. Aliae conditiones sunt, quae ab ipso vovente sponte sua adjiciuntur, et hae licet secundum triplicem differentiam praeteriti, praesentis, et futuri temporis distingui possint, nihilominus quae vel praesens tempus respiciunt, vel praeteritum, propriae votum conditionatum non efficiunt, quia ejus impletionem non suspendunt: revera enim vel in se sunt, vel fuerunt, et sic votum reddunt absolute obligatorium; vel nullo modo sunt, et sic omnem tollunt obligationem. Sic qui diceret: voveo ingredi Religionem, si frater meus Romae vivit, vel dare eleemosynam, si Pater salvus e navigatione ad portum pervenit, jam absolutum votum emisisse patet, nec aliud ad summum requiritur nisi rei desideratae notitia. Conditiones itaque de futuro proprie votum conditionatum efficiunt; et hae rursum in differentia sunt triplici, videlicet de re vel impossibili ut voveo jejunare; si coelum digito tangam, vel necessaria, ut voveo eleemosynam, si sol cras orietur, vel contingente, ut voveo ingredi Religionem, si ab hoc periculo eripiar, vel ab infirmitate convaluero. Rursum conditiones de re contingente aliae sunt in potestate ipsius voventis, ut si quis dicat: voveo Missam audire hodie, si domo exiero; vel ab aliena pendent voluntate vel externa caussa, ut si quis dicat: voveo castitatem, si Pater consenserit, vel si frater consequatur haereditatem. His positis, sequentes statuuntur regulae.

X. *Regulae de votis conditionatis.*

Reg. 1. Vota, quae conditionem habent de re vel physicae, vel moraliter impossibili, nulla sunt. Nam quum vovens nolit se obligare nisi impleta conditione, posito quod conditionem addat impossibilem, manifeste indicat se omnem obligationem respuere, et licet in aliquibus contractibus hae conditiones habeantur tanquam non adjectae, id oritur ex voluntate Legislatoris in commune bonum sic praecipientis, quae ratio locum non habet in privatis votis. Videntur tamen fictae et simulatae promissiones, quae culpa non vacant.

Reg. 2. Conditio de futuro necessario reddit votum absolutum: quum enim conditio sit necessario implenda, jam pro impleta habetur, et ut summum tempus impletionis determinat. Hinc si quis dicat voveo Religionem post mortem Patris, votum est absolutum, sed non implendum, nisi secuta morte Patris.

Reg. 3. Conditio de futuro contingente voti executionem suspendit donec impleta sit, quae si non eveniat, votum nullam inducit obligationem. At probabilius docent Theologi non necessario requiri conditionem in se et ut ita dicam in propria specie impleri, sed sufficere, si in aequivalenti impleatur, quando effectus intentus aequaliter obtineatur. Sic si quis voveret ingredi religionem, si soror curae suae commissa nupserit, tenetur voto vel si moriatur, vel si et ipsa religionem ingrediatur: quum enim mens voventis, in conditione apponenda fuerit, ne soror in seculo relicta remaneret, aequivalenter conditio est impleta, et vovens suum est consecutus intentum; dummodo tamen expresse ipsam materialem conditionis impletionem non postulaverit, tunc enim voluntati standum est: quod si dubitet, tenetur tutiorem partem eligere.

Reg. 4. Vota cum conditione turpi, illicita, et inhonesta non obligant, et gravem injuriam Deo irrogant, ut si quis jejunium voveret, si cum aliena muliere congrediatur, quum haec conditio quodammodo induat rationem finis, et votum assumatur ut medium ad turpem finem obtinendum, proinde graviter peccaret vovendo. Tunc solum potest esse validum votum, quotiescunque licet actus sit malus, tamen finis, qui speratur, bonus sit, ut si quis voveat Missam audire quotidie, si incolumis in duello discedat: tunc enim licet iniquum sit duellum inire, gratias tamen agere Deo, et illi vota persolvere pro liberatione a morte corporis et animae non videtur illicitum. Legantur ea, quae de juramento promissorio diximus.

Reg. 5. Si plures sint voto conditiones adjectae, videndum num copulative additae sint, an disjunctive: si primum, omnium impletio est expectanda, ut ad voti obligationem necessaria; si secundum, satis est si altera impleatur. Qui vovet religionem ingredi si Pater consenserit et soror nupserit, utriusque conditionis impletio necessaria est. Qui vero vovet religionem ingredi, si vel pater consenserit, vel soror nupserit, una tantum impleta conditione, ad votum adstringitur.

Reg. 6. Quando conditio apposita est in manu et voluntate ipsius voventis, liberum illi est conditionem implere vel non implere, quin peccet vel voto obligetur, nec tenetur conditionis eventum expectare. Qui vovit vespere, se die sequenti, si domo exeat, Missam audire, potest domo non exire, et sic liber erit ab onere Missae audiendae,

quippe qui ad auditionem quidem Missae se obstrinxit, non vero ad conditionem apponendam.

Quando conditionis eventus ex aliena voluntate, vel extranea caussa pendet, non licet voventi ullo modo effectum impedire: sic qui vovit Religionem ingredi si Pater consenserit, nequit non solum dolo vel fraude, ut omnes consentiunt Theologi, sed neque precibus aut argumentis Patrem ab assensu praestando retrahere, ut sic a voti eximatur impletione: nam sicut illa ostendunt in vovente pravum animum non implendi votum, hoc idem praestant et preces et rationes, quae malam ejus fidem erga Deum evincunt, cui ne solvat quod promisit, tentat Patris assensum impedire. Hinc probabilius censeo cum Angelo V. *Votum*, aliisque, eum, qui sua culpa et malitia impedivit, ne conditio impleretur, a voti onere non liberari.

De voto poenali.

XI. *Quid sit votum poenale; et an Poenalia vota valida sint.*

Poenale votum illud dicitur, quod vovens sibi assumit, ut ab aliquo admittendo peccato avertatur, vel ut admissum puniat, ut quum quis vovet toties dare eleemosynam, quoties pejeraverit. Hinc patet, poenale votum esse conditionatum, nec obligare nisi impleta conditione. Valida esse haec vota omnes consentiunt, quum et sit de re honesta, et de meliori bono, cujusmodi est vel a peccato abstinere, vel peccatum admissum punire. Aliquando simplici constat voto, ut quum quis vovit eleemosynam dare si blasphemet, aliquando duplici, ut quum quis vovit non inebriari, et si in ebrietatem incidat, vovit jejunium in pane et aqua. Quum itaque hoc votum in poenam assumatur, sequitur, transgredientem praeceptum, si transgressio sit sine culpa vel ob invincibilem ignorantiam vel alia caussa excusante, non teneri ad poenam transgressioni ex voto adjunctam: ubi enim culpa non est, nec poena locum habere potest.

De voto metu et errore elicito.

XII. *Regulae de voto errore elicito.*

De voto errore elicito sequentes statuuntur Regulae. Prima est. Quando error cadit supra voti substantiam, illud efficit nullum et invalidum: neque enim potest esse voluntarium illud votum, quod ex errore, vel ignorantia rei substantiam afficiente procedit, quum illa objecti cognitionem excludat. Quare si quis voveat offerre Ecclesiae calicem sibi ab amico donatum, quem putat argenteum, et invenit aureum, non tenetur voto.

Reg. 2. Pariter si error vel ignorantia versetur circa finem voti, votum nullum efficit, quum finis sit ejusdem voti velut objectum, vel saltem objectum ingrediatur. Triplex autem distinguitur voti finis, alius votis omnibus communis, nimirum divinus cultus, quo deficiente votum nullum est; quum debeat esse actus latriae et virtuosus. Alter est finis peculiaris hujus vel illius voti, qui tamen est ipsi voto intrinsecus, et hoc quoque sublato tollitur votum, qui enim circa finem errat, jam non vult finem, ergo nec medium ad illum, cujusmodi est votum. Voves dotare hanc puellam pauperem, dare eleemosynam huic pauperi, deprehendis, illam jam ab alio dotem

obtinuisse, hunc non indigentem esse, sed divitem, nec illi dotem, nec huic eleemosynam dare teneris. Demum finis esse potest omnino extrinsecus, et ab ipso vovente praestitutus, et hic quoque si in objecti substantiam transeat et deficiat, nullum reddit votum. Vovisti peregrinationem ad impetrandam salutem Patris, quem infirmum putas, non teneris, si comperias patrem vel sanum esse, vel fato functum, peregrinari.

Reg. 3. Si error versetur circa accidentia, et circumstantias, quae in objecti substantiam non redundant, validum remanet votum, et obligatorium, licet fortasse si ea praevidisset, vovens non vovisset. Quia talis ignorantia non tollit voluntarium quoad substantiam, sed illud relinquit. Qui itaque vovit dare eleemosynam huic pauperi, quem sibi amicum putat, non liberatur a voto, etsi detegat illum esse sibi infensum.

Reg. 4. Si error vel ignorantia sit solum circa finem concomitantem et mere impellentem, sive occasionem praebentem voto, non impedit valorem voti. Quia jam manet immota et salva substantia voti, et error ille, vel ignorantia jam ob alium finem voventem determinatum supponit, dum ille finis, circa quem errat, vel quem ignorat, non conducet, nisi ut libentius et facilius votum eliciatur. Sic qui vovit dare quotidie eleemosynam huic pauperi quia probum, et christianum putat, licet postea deprehendat malum et ebriosum, non liberatur a voto, nam finis primarius est sublevatio hujus pauperis, alter autem finis non est nisi caussa concomitans; et efficiens ut libentius illi misereatur.

XIII. *Regulae de votis metu elicitis.*

De votis vero metu elicitis sequentes statuuntur regulae praeter ea, quae diximus superius de juramentis eodem timore extortis. Prima est Vota omnia, quae ex metu gravi ab intrinseco proveniente eliciuntur, jure naturae, tum jure positivo valida sunt. Quia licet quae fiunt ex metu sint secundum quid involuntaria; simpliciter tamen et secundum se voluntaria sunt; quod multo magis verum est in metu ab intrinseco proveniente, quia tunc vovens a nullo cogitur, sed ipse sponte votum assumit tanquam medium ad malum, quod timet, avertendum. Hinc valida sunt omnia vota, quae eliciuntur a timentibus naufragium, vel alia gravia mala. Dicitur autem, metus ab intrinseco profluere, quia licet caussa, quae metum excitat, sit externa, non cogit tamen ad votum edendum.

Reg. 2. Vota etiam elicita ob timorem ab extrinseco incussum invalida non sunt, nisi sit incussum ad extorquendum ipsum votum. Sic, qui minas inimici illi mortem intentantis, votum eliciat, ut liberetur, validum est votum; quia non cogitur ad votum eliciendum, sed vovens ad vitandum periculum illud sponte emittit.

Reg. 3. Vota emissa ex metu sive juste sive injuste incusso, etiam ad ipsum votum extorquendum, jure naturae spectato valida sunt. Et quidem de votis elicitis ex metu juste incusso manifestum est, quia si juste incutitur timor, vovens irrationabiliter est invitus, ac proinde valida habentur hujusmodi vota nedum jure naturae, sed etiam positivo. De votis vero emissis ex metu etiam injuste incusso patet, quia adhuc metus non tollit voluntarium, licet minuat. No-

tandum tamen, nos loqui de illo, qui vere in eo timore voveat, si enim ficte, et labiis tantum, non animo voveret, nullum esset votum non timoris caussa, sed voluntatis deficientia.

Num autem jure positivo nulla sint praefata vota, discrepant Theologi, in eo solum uno ore consentientes, quod vota solemnia, si metu gravi injuste ad hoc incusso extorqueantur, ipso jure nulla sunt et invalida. De privatis vero votis plurimi sunt a Salmanticensibus laudati, qui et illa ipso jure irrita et nulla decernunt ex pluribus juris textibus. Alii e contrario censent valida esse etiam jure positivo, quia allati juris canonici textus nonnisi de solemnibus votis loquuntur, non autem de omnibus indiscriminatim. Quum autem ista vota jure naturae valida sint, ipsorum vero irritatio ipso juri deroget naturali, non est admittenda, nisi expresse, clare, et aperte habeatur in jure: porro textus irritantes omnia vota nulli habentur in jure Canonico: ergo ad illa non sunt extendendi; et ita sentiunt Suarez, Garzia, aliique, quorum opinio et mihi probabilior videtur.

CONSECTARIA.

I. *Qui dubitat num suum votum, de non congrediendo cum foeminâ, fuerit de congressu licito, vel solum de illicito quid agere debeat.*

Qui vovit cum foemina non congredi, dubitat vero, num votum fuerit de congressu licito et maritali, vel solum de illicito et fornicario, ad dubium prudenter dirimendum inspicienda est caussa seu occasio hujus voti: si enim votum emisit, dum pertaesus fornicationis illam detestabatur, vel dum periculum perpendebat suae salutis ex illicito cum foeminis congressu, praesumendum est vovisse abstinentiam a solo congressu illicito; e contra vero si votum emisit amore castitatis illectus, vel devotionis affectu erga Deiparam, praesumendum est vovisse abstinentiam etiam a licito et maritali congressu. Quodsi nec ex intentione voventis, nec ex circumstantiis voti hoc dubium dirimi queat, tutior pars est eligenda, et etiam licitus excludendus, eo vel maxime, quod juxta D. Thomae doctrinam votum de se et ex indole sua est de iis, quae sub consilio cadunt, non sub praecepto. Idem dicendum de illo, qui dubitat, num perpetuum vel temporarium emiserit continentiae votum, nisi enim vel ex intentione voventis, vel ex circumstantiis aliter colligi possit, est intelligendum de voto perpetuo; et de ambigente, num emiserit votum ante septennium, supponendum est pro valore voti, quum raro admodum contingat, ut quis ante septennium voveat.

II. *Vovens indeterminate Religionem ingredi, implet votum si eligit minus severam.*

Qui vovet indeterminate religionem ingredi, satisfacit voto suo, si religionem eligat minus severam et rigidam in abstinentiis, aliisque regularibus observantiis; non vero si religionem ingrediatur laxiorem, seu, ut vocant, relaxatam, ubi nec vota implentur, nec communitas, nec ulla ferme disciplina viget. Ratio primae partis est, quia etiam in religionibus minus rigidis et vota essentialiter implentur, et virtutes excoli queunt, et ipsa poenalitatum carentia aliis piis operibus et laboribus pensatur. Altera vero pars patet, quia manifesto ac proximo amittendae aeternae salutis periculo se exponunt. Quapropter

si quis forte incaute hujuscemodi Coenobia, vel Religionem ingressus sit, tenetur, ut saluti suae consulat, ad strictiorem et rigidiorem convolare, ut reddere possit Domino vota sua, quae distinxerunt labia sua. Qui autem rigidiorem religionem vovit, peccat, nec votum suum implet, si mitiorem ingrediatur. Ab ea tamen professum discedere non teneri et docet S. Thom. 2. 2. q. 189. a. 8. ad 3. et statuitur in jure can. in Cap. *Qui post*, de Regular in 6. *Pro voto tamen non completo*, additur ibidem, *eidem poenitentia imponenda.*

III. *Qui regularem statum vovit, tenetur totum id praestare, quod in se est, ut in Religione recipiatur.*

Qui statum regularem vovit, tenetur totum id praestare, quod in se est, vel ut in illa Religione, quam vovit, recipiatur, vel, si indefinite vovit, plures religiones adire, ut in aliqua recipiatur. Ita docet S. Thom. hic q. 189 a. 3. ad 2. qui Monasterium ingredi vovit, si absolute ab eo repellatur, solutus est a lege voti. Qui autem certam elegit Religionem, si ab ejusdem Monasteriis omnibus repellatur, non tenetur extra Provinciam, vel Regnum Conventum sibi inquirere, nisi hoc in voto suo complexus fuerit, et praesertim si attenta conditione personae id illi foret onerosum valde et incommodum. Qui demum indefinite Religionem vovit, debet ad plures Religiones accedere. Quod si ab omnibus repellatur, nec admissionem inveniat nisi in aliqua severiore Religione, puta Cartusianorum, num illam ingredi teneatur, disputant Doctores.

IV. *Qui Religionem vovit, non tenetur illam ingredi, nisi ad illam fuerit idoneus judicatus.*

Qui Religionem vovit, non tenetur nisi illam ingredi, et anno probationis experiri, num ad illam sit idoneus. Ita S. Th. 2. 2. q. 189. a. 4. Non satisfacit itaque voto, nec illud implet, qui ingreditur animo exeundi. Tenetur enim sincero animo experiri, num et ipse sit ad statum religiosum idoneus, et sibi congruat in tali statu Deo servire. Quodsi absque sua culpa a Religione rejiciatur, a suo voto liber manet, nec ulterius in illam ingressum quaerere tenetur. Si vero ipse absque legitima caussa abscedat, probabilius censeo, votum non implevisse: talis enim ingressus dolosus foret, et non ad implendum votum, sed ad illudendum ordinatus. Tenetur itaque vovens bona fide ingredi, et post ingressum moribus Religionis se accommodare, et nisi justa et gravi interveniente caussa discederenon potest.

V. *Qui vovit audire Missam quotidie, non tenetur duplicem audire diebus festis.*

Qui vovit audire Missam quotidie per annum, non tenetur in diebus festis duplici Missae interesse, nisi vovens sic statuerit, nam votum de Missa quotidiana audienda impletur etiam per auditionem Missae de praecepto, quum importet nullam diem in toto anno sine Missae auditione esse decurrendum.

§. V.

De iis, qui a vovendo quoquomodo impediuntur.

I. *Quinam vovendi incapaces sint ex defectu cognitionis.*

Quum ad valorem voti necessaria sit in vovente cognitio tum rei, quam vovit, tum ipsius voti quod elicit; vovendi incapaces sunt jure

naturae amentes, furiosi, ebrii, dormientes, et pueri ante septennium, quia in his omnibus deest cognitio, vel deesse praesumitur, ut in pueris ante septennium; qui tamen, si vel malitia ita suppleat aetatem, ut lethalis peccati capaces sint, vel gratia ita praeveniat, ut voti indolem agnoscant, ut contingit in pluribus sanctis viris, et foeminis, ad vovendum idonei censendi sunt.

II. *Quinam ex parte dominii, vovendi sint incapaces.*

Item quum ad vovendum requiratur in subjecto potestas, sive dominium rerum, vel actionum, quae voto suo Deo offert, a vovendo repelluntur, qui nullum habent sive rerum, sive suorum actuum dominium. Qui vero aliqua pollent facultate sive in actus suos, sive in res, sed a Superioris nutu pendente, a vovendo omnino inepti non sunt, sed eorum vota infirma fiunt, et a Superioris voluntate sive in emissione, sive in executione pendent; et de his praecipue hic disserendum sumimus.

III. *An religiosi vovere possint.*

Hi de re licita, quae nec regulari adversetur disciplinae, nec Superioris obsit jurisdictioni, etiam non petita venia, valide et licite vovere possunt; cujusmodi sunt vota aliquo die jejunandi, recitandi nonnullas preces, et similia. Assertio haec nostra a pluribus et insignioribus Theologis contra alios tanquam probabilior defenditur: nam revera Religiosorum vota et bona de se sunt et honesta, nec ulli meliori bono adversantur, sed et religioso statui sunt convenientia, et ad perfectionem, cui anhelare debent, conducentia: invalida igitur non sunt dicenda. Voto vero obedientiae, ita subditorum voluntates Praelato subduntur, ut nec Deo aliquid promittere valeant, quod putent Superiori posse displicere, nec contra illorum voluntatem: porro in praefatis votis et nihil est, vel adesse supponimus, quod gratum Praelato non sit, nec ejus voluntati adversum: ergo validum erit votum; sive ad summum id ex obedientiae voto sequetur, vota Religiosorum firma non esse et stabilia sine Superioris approbatione et confirmatione, non vero quod invalida sint, et nulla: donec itaque Superiori innotuerint, et ab ipso non fuerint in irritum revocata, valida erunt, et ea poterit, et tenebitur Religiosus observare.

IV. *Religiosi voventes, quando teneantur licentiam petere.*

Religiosi si ea vovere velint, quae vel a Superiore prohibita sunt, vel saltem vetitum ne sine licentia fiant, tenentur ex vi voti obedientiae licentiam petere, alioquin votum esset de re illicita. Si vero ignorantes rem vetitam voverunt, vel post votum prohibeatur, cessat in utroque casu voti obligatio, quamdiu durat prohibitio: nam si haec cesset, quia vel Superior, qui vetuit, removetur, vel vovens ad aliud transfertur Monasterium, in quo res minime vetita est, vel denique elapsum est tempus, ad quod prohibitio se extendebat, tunc redit voti onus, quum solum existens prohibitio obligationem suspendat, ea vero aessante cessat et obligationis suspensio.

V. *De votis filiorum familias, pupillorum, uxorum, Episcoporum, et Clericorum.*

Quod de Religiosis diximus, idem et servata proportione dicendum de filiis familias respectu parentum, de pupillis respectu tutorum, de uxoribus respectu maritorum, de servis respectu dominorum;

immo nec Episcopi, nec Clerici beneficiarii, necnon Abbates, et Praelati Religionum vota nuncupare queunt, quae praejudicium afferant eorum Ecclesiae, statui, officio, et muneri sine licentia Papae, Episcopi, suorumque Superiorum. Sed de his fusior redibit sermo, ubi de votorum irritatione disputabimus.

Consectaria.

I. *Votum eleemosynas erogandi, an emittere Religiosi possint.*

Religiosi de licentia suorum Praelatorum votum emittere possunt aliquas eleemosynas pauperibus erogandi. Nam vel sermo est de Religiosis, qui in perfecta vivunt communitate, et victum et vestitum, et cetera ad vitae sustentationem necessaria accipiunt de communi penu, et isti quum nihil habeant pecuniae, eleemosynas quidem facere nequeunt, aut vovere ex deficientia materiae. Verum si quis ex his Religiosis ad pauperem aliquem sustentandum se aliqua sui victus portione privare velit, quare id non poterit praestare de licentia Superioris? Si Religioso quaedam donentur ab amicis et benefactoribus, quae ipsi ex licentia Superiorum cedunt in usum, cur nequibit concedente Superiore, illis se privare, ut eleemosynas eroget? Si ergo possunt hi de Superiori licentia eleemosynas erogare, cur et vovere non poterunt? Si igitur Religiosus aliquis Deo voveat ab usu v. g. cafeti, cocholatae, et hujusmodi deliciarum abstinere, et eorum pretium pauperibus erogare, quid erit in hoc voto, quod Deo displicere poterit? Plura immo video Deo gratissima, studium mortificationis, amor paupertatis, pietas erga Deum, misericordiam in pauperes: pium ergo, et licitum habeo hujusmodi votum.

II. *Uxores, filii, pupilli quas eleemosynas vovere possint.*

Uxores, filii familias, pupilli eas eleemosynas vovere possunt, quas eis licere juxta eorum statum et conditionem elargiri diximus de eleemosyna disputantes. Verum quidem est, eorum vota infirma esse, quia a Superioribus irritari queunt; sed quando et quibus in casibus, dicemus infra de votorum irritatione.

III. *Num Episcopi vovere possint ingressum in Religionem et alia.*

Episcopi absque Sum. Pontificis venia nec abdicationem ab Episcopatu, nec ingressum in Religionem, nec diuturnam peregrinationem vovere possunt. Ratio est manifesta, quia hujusmodi abdicatio pluribus canonibus et ipsi interdicta, immo eorum dignitati et statui adversa, quippe qui perpetua importat cum sua Ecclesia spiritualia sponsalia, ut optime observat D. Th. 2. 2. q. 189. a. 7. Propterea si votum emitteretur inconsulto Pontifice invalidum esset, quia de re illicita.

IV. *Parochis licitum est vovere ingressum in Religionem.*

Parochis, ceterisque Beneficiatis sive Presbyteris servitio alicujus Ecclesiae additis vovere ingressum in Religionem licitum est, etiam inconsulto Episcopo. Ita docet S. Th. loc. laud. et S. Antoninus in Sum. part. 3. tit. 16. cap. 2. §. 2.

§. VI.

De voti cessatione per deficientiam caussae et rei mutationem.

I. *Varii modi cessationis voti.*

Praeter perfectam voti impletionem, qua voto finis imponitur, pluribus modis vota cessare possunt, nimirum si cesset caussa et finis voti, si materia impossibilis fiat vel physice vel moraliter, denique si res notabiliter mutetur. Et quoad cessationem caussae seu finis, quum in qualibet humana actione aliqua sit finalis caussa ad agendum impellens, ita et in voto aliquis semper occurrit finis vel caussa, qua vovens impellitur ad aliquid Deo promittendum. Porro haec caussa alia est ita movens ac impellens ad votum, ut ea deficiente non fuisset emissum votum, alia vero mere alliciens, quae alteri adjecta caussae magis trahit ad votum, sine qua nihilominus adhuc emissum fuisset votum. Prioris exemplum est in illo, qui vovet peregrinationem, ut Pater aeger convalescat: alterius in eo, qui vovet eleemosynam pro recuperata Patris sanitate dandam Petro pauperi bono, et amico: finis primarius est gratiarum actio, alliciens vero est paupertas, probitas et amicitia Petri.

II. *Cessante caussa finali, cessat votum.*

Si itaque caussa finalis proxima cesset, cessat omnino et votum. Quia cessante caussa, cessat effectus. Vovisti eleemosynam ad redimendum captivum, qui vel fugit, vel mortuus est, voto liberaris. Vovisti non ingredi domum, in qua mulier morabatur, quae tibi spiritualis ruinae occasionem praebebat, ea discedente, vel mortua potes ingredi. E contra vero si caussa finalis sit mere alliciens, ea cessante non cessat votum, quum adhuc materia voti sit in se volita, et ad alium finem ordinata; ut in exemplo superius allato, etiamsi non subsistat Petri paupertas, probitas, et amicitia, adhuc votum subsistit in voluntate dandi eleemosynam pro recuperata salute Patris. Hinc si plures sint caussae finales motivae et impellentes; vel una sed divisibilis in partes, si unus cesset finis, vel secundum unam partem, solum secundum illam obligatio voti cessabit, integra tamen semper manente quoad aliam partem vel finem, qui perdurat, nisi forte vovens omnes partes vel omnes fines copulative voluerit; sicut etiam si finis, et caussa non omnino, sed per aliquod tempus cesset, pari modo suspenditur voti obligatio, donec reviviscente caussa et fine et ipsa reviviscat obligatio voti. Quod si dubium suboriatur, num finis et caussa fuerit vere motiva principalis et impellens, vel solum secundaria et alliciens, tunc urgebit votum, quia in dubiis tutior pars semper est eligenda. Quod si caussa finalis praecipua et movens cesset, sed ob culpam et malitiam voventis, adhuc tamen cessare votum dicendum est, quia cessata materia voti, cessat finis proximus ejus, ac proinde corruit votum. Vovisti solvere aes alienum alicujus pauperis ob id in carcere detenti, ut eum ab ergastulo eripias, differs de die in diem, interim carcere detentus moritur, non teneris amplius voto, quia cessat materia voti et finis.

III. *Quando cesset votum notabili mutatione materiae.*

Cessat etiam votum ob notabilem mutationem materiae, ut ex D. Th. superius diximus, quum de promissorio juramento disputavimus. Solum hic addendum censeo, non cessare votum, nec mutatam notabiliter materiam dici, si in voti impletione hujusmodi emergant difficultates, quae si fuissent praescitae, a voto absterruissent, quandoquidem rara admodum sunt, non dicam vota, sed et contractus, et promissiones, in quorum impletione graves non emergant difficultates, quae profecto praevisa a contractu et promissione avocassent, quae tamen ratae sunt habendae, firmae, ac stabiles. Necesse itaque est, ut mutatio ipsam voti materiam ita afficiat, ut eam reddat admodum gravem, et notabilem.

§. VII.

De votorum irritatione.

I. *Quid sit voti irritatio.*

Tollitur voti onus et obligatio irritatione, quae a Theologis definitur *Actio Superioris, qua declarat se contradicere et tollere, quantum in se est, votum a subdito emissum vel Annullatio obligationis ex beneplacito voluntatis Superioris.* Quae binae definitiones optime conveniunt: prima enim directam indicat irritationem, quae habetur per actum potestatem habentis, qua vinculum voti ita solvitur, ut nullum amplius inducat obligationem. Altera vero indirectam explicat irritatationem, quae materiam voto promissam respicit alterius jurisdictioni subjectam, quam Superior prohibere potest; et quamdiu durat hujusmodi interdictum, voti suspenditur obligatio, quae reviviscit cessante vel sublata prohibitione.

II. *Quaenam vota irritari a Superioribus queunt.*

Ex doctrina S. Th. 2. 2. q. 104. a. 5. aperte colligitur, ea sola vota a Superioribus posse in irritum revocari, quae impediunt, vel adversantur officiis a subditis Superiori suo praestandis. De irritatione nonnulla diximus, quum de juramentis disputavimus, at hic plura sunt addenda. Et primo quidem, quum facultas irritandi vota in potestate dominante radicem habeat, hi solum valent vota irritare, qui tali gaudent potestate, non vero qui sola pollent vel jurisdictionis vel directionis facultate. Sic Episcopi Monialium sibi subjectarum vota irritare possunt, quippe qua ejus dominanti subjaceant potestati; non vero Clericorum, multoque minus laicorum, in quos nonnisi jurisdictionis exercent potestatem. Possunt itaque vota irritare parentes filiorum, tutores et curatores pupillorum et minorum, mariti uxorum, domini servorum, et Praelati regulares suorum subditorum, quum hi omnes ut in sibi subjectos dominativa polleant potestate.

III. *Ad validam votorum irritationem, nulla praerequiritur in irritante caussa.*

Hinc ad validam votorum irritationem nulla praerequiritur in irritante caussa, quum tota validae irritationis caussa sit ipsa Superioris dominativa potestas sive in personam, sive in ejus opera, vel res sibi subjectas. Immo nec ad licitam ullam praerequiri caussam censent S. Antoninus, aliique. Id verum est, si res secundum jus civile

spectetur; at non ita si ad illud generale naturae principium revocetur, neminem debere potestate sibi concessa sine legitima caussa uti, praesertim quum agatur de Dei gloria impedienda, ut agitur in irritatione voti. Potest tamen Superior et ex sua potestate et justa de caussa, etiam reluctantibus subditis, eorum vota in irritum revocare, quum ipse in suae potestatis exercitio a subditorum consensu non pendeat, et isti teneantur legitimae Superioris potestati se submittere.

IV. *Patria potestate omnia impuberum vota irritari queunt: Puberorum vero, ea sola quae domesticum perturbant gubernum.*

Omnia impuberum vota patria potestate in irritum revocari queunt. Ita aperte D. Th. 2. 2. q. 88. a. 9. In qua universali doctrina omnia complectitur S. D. impuberum vota sive realia sive personalia, sive mixta, immo et ipsum Religionis votum; quia licet fieri possit, ut tanto polleant impuberes lumine rationis, ut valida vota emittere possint, nihilo tamen secius ob imbecillitatem aetatis necesse habent aliena dirigi voluntate, et paternae subjici potestati. Dum vero filii pubertatem sunt asseculi, parentes nonnisi ea ipsorum vota valent in irritum revocare, quae domesticum regimen interturbare apta sunt. Ita S. Th. in laud. q. a. 8. ad 2., cui consentiunt Theologi fere omnes, ipsaque naturalis ratio confirmat. Nam quum puer ad pubertatis statum pervenit, supponitur et suae libertatis possessionem adeptus, et plenum rationis lumen assecutus: potest ergo vota propriam personam respicientia licite et valide emittere, quae rata erunt et firma, nec ab alterius voluntate pendentia. Si autem haec vota domesticum perturbent gubernium, in irritum revocari a parente poterunt, quum consistere nequeant sine consensu patris, quae ipsi Patri noxia sunt et incommoda.

V. *Realia vota an semper irritare Parentes, Tutores et Curatores possint.*

Realia vero vota semper ita patriae subjiciuntur potestati, ut etiam post pubertatem ea irritare parentes possint, ut optime docet idem S. D. laud. q. a. 8. a. 1. Quia filii etiam puberes de paternis bonis disponere nullatenus possunt. Opposita vero ratione valida sunt, nec irritationi obnoxia vota realia filiorum, qui bona obtinent castrensia, quum haec sint sub pleno filiorum dominio. Tutor autem quum pupillis et impuberibus loco patris detur ad personam primario dirigendam, eadem pollet potestate ac pater: poterit itaque eorundem vota tam personalia quam realia in irritum revocare. Curatores vero, qui minoribus jam pubertatis tempus assecutis praeficiuntur, sola vota realia irritare possunt, nec ad personalia extenditur eorum potestas, nisi quando suae officiant administrationi, et obsint regimini.

VI. *Quaenam vota irritare possit maritus uxoris, sic viceversa uxor mariti, nec non Dominus servis.*

Maritus potest ea omnia uxoris vota emissa post matrimonium irritare, quae maritali adversantur potestati juxta S. Th. doctrinam q. 88. a. 8. Porro mulieres, ut inquit Apostolus, *viris suis subjectae sunt sicut Domino* tum in conjugali debito, tum in iis, quae rectam familiae gubernationem, et domesticae rei administrationem respiciunt: non possunt igitur sine mariti venia vota emittere, quae hu-

iusmodi subjectioni repugnent, et si emiserit, in irritum revocari a marito poterunt. Quod si uxoris vota nullum inferant maritali potestati nocumentum, nequeunt a marito revocari, cujusmodi forent vota moderata jejunia et convenientes preces adhibendi, sicut et abstinendi ab aliquo peccato, puta mendacio, vel de aliquo praecepto implendo, puta de audiendo sacro in die festo. Posse vero uxores vota maritorum irritare, quae juri matrimoniali, mutuaeque cohabitationi officiunt, communior est Theologorum doctrina: non enim omnì potestate spoliatur uxor in virum, dicente Apostolo: *Vir potestatem sui corporis non habet, sed uxor;* sicut nec dominio et administratione bonorum paraphernalium, de quibus vota nuncupare potest. Poterit igitur mariti vota conjugali statui noxia irritare, cujusmodi sunt immodica jejunia, longiores peregrinationes. etc. Servorum vero idest mancipiorum vota irritare possunt eorum domini saltem indirecte, quando haec obsequia et servitutem de jure sibi praestandam impediunt, non vero alia. Ideo irritare nequeunt vota servorum de servandis divinis praeceptis, de castitate custodienda, de aliquibus precibus quotidie persolvendis, sicut nec vota de danda eleemosyna de bonis, quorum dominium habent, et si qua sunt alia, quae domini servitium nequaquam minuunt.

VII. *Praelati regulares num vota Religiosorum possint irritare.*

Praelati regulares vota sive interna sive externa, quae regularem observantiam et monasticam disciplinam vel non impediunt, vel non perturbant, nequeunt irritare. Huic opinioni adversantur plures et quidem magni nominis Theologi, qui censent, omnia Religiosorum vota etiam mere interna posse a Superioribus in irritum revocari. At a nostra sententia recedendum non est. Docet enim S. Thom. 2. 2. q. 104. a. 5. in corp, et in resp. ad 3. non subdi Regulares Praelatis suis nisi quantum ad regularem conversationem: circa hanc igitur solum habent potestatem dominativam in subditos Superiores, ac proinde ea irritare vota queunt, quae huic potestati quoquomodo adversantur, et obsunt; in iis vero, quae eorum non officiunt potestati, sicut nec ei non subduntur Religiosi, ita nec eorum vota poterunt in irritum revocare. Praeterea vota irritandi facultas competit Superioribus tum in bonum comune, tum in subditorum utilitatem: porro quum vota Religiosorum non obsunt regulari observantiae, irritari non valeant in bonum commune, quum ipsi non noceant, immo promisit: semper enim utile est religiosae communitati aliquos Religiosos speciali modo perfectioni incumbere, et ferventius Deo inservire; non in bonum privatum, quia haec vota ipsi voventi utilia sunt, et pietatem fovent: si enim obsint, jam commutari a Superiore vel Confessario possunt. Non est ergo tam universalis potestas omnia irritandi in regularibus Praelatis admittenda.

Consectaria.

I. *Quaenam vota irritata reviviscant, quaenam non.*

Vota, quae Superior in irritum revocavit directe ob potestatem dominativam in personam voventis, ut vota Religiosi irritata a Praelato, filii impuberis a Patre, pupilli a Tutore non amplius reviviscunt, sed perpetuo irrita manent, secus vero irritata indirecte, idest

non ob potestatem dominativam in personam voventis, sed in rem voto promissam, ut vota Novitii probationis tempore, filii puberis, minorennis, uxoris, etc. quae reviviscunt, postquam ab irritantis potestate solutus est vovens. Ratio primae partis est, quia vota ratione primae potestatis sunt in sua ipsa radice extincta, reviviscere proinde non valent. Secundae vero partis ratio est, quia indirecta irritatio ex potestate oritur in materiam voti, cujus executionem suspendit, in quantum suo juri nocet, donec desinat praejudicium afferre: postquam igitur vovens a potestate irritantis solutus est, vota tenetur implere. Sic Novitius, qui in saeculo vel aliqua vovit jejunia, vel alicujus Ecclesiae visitationem, in anno probationis non tenetur ea implere, nam a Superiore, vel Magistro suspenduntur, utpote obstantia regulari militiae, cui adscribitur; at si a Religione abscedat, ad ea implenda tenebitur, nisi a Praelatis sint in alia opera commutata.

II. *Maritus uxori votum, de non petendo debito, irritare non potest, nec uxor simile votum mariti.*

Neque maritus irritare votum ab uxore sine licentia sua emissum de non petendo debito, vel etiam castitatis de ejus licentia; vel si mutuo consensu voverint castitatem, nequit hoc votum ex parte uxoris maritus irritare vel suspendere, licet carnali copula votum fregerint. Non primum, quia nullo jure obstringitur mulier ad petendum a marito debitum, quae proinde potest licet abstinere, et abstinentiam Deo vovere. Optime tamen animadvertunt Theologi, esse mulieres ab hujusmodi voto avertendas, quod mutuum amorem et conjugalem valet benevolentiam minuere, praesertim si hoc votum marito innotescat. Non secundum: votum enim castitatis ab uxore emissum, etiam sine licentia mariti, ab eo non potest irritari. Nam vel consideratur durante matrimonio, vel post obitum viri: durante matrimonio, quum hoc votum uxorem non obliget nisi ad non petendum debitum, in idem recidit cum voto de non petendo debito, de quo mox diximus. Si vero consideretur post obitum viri, quum tunc vir nullam sit habiturus potestatem in conjugem, illud irritare nequibit. Si ergo non valet maritus irritare votum uxoris de castitate servanda etiam sine sua concessione emissum, multo minus valebit irritare se ipso consentiente et concedente, quum tunc vel cesserit juri suo, vel suam potestatem exercuerit licentiam concedendo. Quod si maritus irritare non potest votum uxoris de non petendo debito, multo minus potest uxor simile mariti votum irritare. Fateor tamen, hujusmodi votum onerosum esse uxori, quae cogeretur contra naturalem pudorem semper debitum petere, ideo maritos ab eo emittendo esse revocandos, immo et ut imprudens, ac illicitum quandoque habendum, praesertim si ob thori consociationem incontinentiae periculum marito, et etiam uxori immineret.

III. *Quinam Praelati, vota Religiosorum valeant irritare.*

Quum facultas vota irritandi ex potestate dominativa in personas vel res voventium profluat; hinc vota Religiosorum in irritum revocare possunt omnes illi Superiores, qui ordinaria pollent potestate, ut sunt Generales, Provinciales, Priores, Abbates, intra tamen suae

potestatis limites. Ceteri vero Superiores secundarii, nimirum Superiores, Vicarii, et apud Monachos Priores hac facultate non pollent; praesentibus primariis Superioribus; si vero hi absint, et absentiae tempore juxta legum statuta in omnibus Superioris loco sint, poterunt vota irritare. Absentes autem non censentur Superiores, quando domo egressi sunt eodem die reversuri: quum vero biduo vel triduo extra Coenobium manent, absentes sunt habendi, et eorum Vicarii, vel Superiores eorum locum obtinentes vota subditorum poterunt irritare. Ita Suarez, aliique.

IV. *Quaenam vota irritare possint Priorissae, et Abbatissae.*

Priorissae, et Abbatisse Monialium vota irritare possunt, quae domesticae gubernationi et regimini adversantur et obsunt, quum politicam saltem et domesticam habeant potestatem relate ad temporale bonum, et matris ac tutricis officio fungantur. Immo et ea, quae regularem observantiam et monasticam disciplinam praepediunt vel perturbant: nam ipsis obedientiam promittunt Moniales, et revera illis subduntur in regulari observantia, et in monastica disciplina, et etiam in iis, quae ad spiritualem illarum salutem, atque profectum pertinent: quae igitur hisce adversantur vota in irritum revocare poterunt; praesertim quum semper hanc conditionem involvant eorum vota, scilicet nisi Superior contradixerit. Propterea ea videtur Abbatissis concedenda in vota Monialium irritativa potestas, quam Superioribus Religiosorum et Monachorum superius tribuimus. Quod si hac potestate pollent Priorissae, multo magis eadem frui et potiri Episcopos, vel Praelatos regulares, quibus subduntur, nullus erit, qui ambigat.

V. *Quae valeat Sum. Pontifex vota irritare.*

Summus Pontifex non valet irritare vota omnium fidelium, bene quidem Religiosorum, et etiam vota Ecclesiasticorum de rebus ad bona et beneficia ecclesiastica pertinentibus. Et quidem non posse omnium fidelium vota irritare, patet manifeste, quia licet in illis jurisdictionis obtineat potestatem, tamen dominativam non obtinet; hinc ratione prioris potestatis potest dispensare vel commutare vota fidelium, ut suo loco dicemus, at defectu posterioris dominantis potestatis nequit irritare. Quum vero sit Regularium omnium supremus Praesul et Pastor vota Religiosorum omnium et Monialium multo magis quam ipsi immediati Superiores irritare potest. Similiter quum de ecclesiasticis bonis et beneficiis agitur, potest Sum. Pontifex irritare vota circa ipsa emissa de augendis, minuendis, resignandis, commutandis beneficiis, de rebus ecclesiasticis alienandis, quum in his semper tacita conditio subintelligatur, nisi Pontificis auctoritas aliter decernat.

§ VIII.

De Dispensatione votorum.

I. *Dispensationis definitio, et in quo a commutatione discriminatur.*

Dispensatio juxta S. Thom. 2. 2. q. 88. a. 10. definiri potest *Ablatio sive remissio obligationis voti ob justam et rationabilem causam, facta nomine Dei ab habente spiritualem jurisdictionem.* Si

ablatio haec obligationis sit omnimoda et totalis, dispensatio dicitur; si autem non sit omnimoda sed aliquam adhuc inducat obligationem, erit commutatio. Neque tamen putes cum Sanchezio, dispensationem et commutationem esse res plane diversi generis, quum ambo concurrant in eadem obligationis et vinculi relaxatione, hoc solum discrimine, quod dispensatio amplior est, et plus tollit, quam commutatio, quae minus de obligatione aufert. Proinde qui potestate ordinaria pollet dispensandi, pollet et commutandi; et idem dicendum est de illis, quibus delegata facta est potestas dispensandi, licet non e contrario qui commutandi potestate donantur, habeant et dispensandi: nam quum delegata potestas tota a Superioris voluntate pendeat, potest hic prout sibi libuerit, et arctiorem et ampliorem tribuere facultatem, ita ut tamen ampliorem concedendo minorem negare non censeatur.

II. *Quid requiratur ad legitimam dispensationem.*

Dispensatio, ut legitima sit, fieri debet ab habente spiritualem potestatem, quum sit actus spiritualis jurisdictionis, ut docet S. Th. hic q. 88. a. 12. Rationabilis quoque caussa requiritur, quum in aedificationem data sit, non in destructionem; et dispensatio, vel commutatio in Dei honorem, et Ecclesiae utilitatem redundare debeat. Caussae autem justae legitimaeque dispensationis assignantur a S. Th. et a S. Antonino, nimirum 1. quod cedat in honorem Dei, 2. vel in utilitatem Reipublicae, 3. ex necessitate procedat ipsius voventis, 4. vel saltem in ejus utilitatem redundet, non quidem temporalem, quae sistat in liberatione ab onere voti, sed spiritualem, quae nimirum ad salutem animae conferat. Hinc sequentes statuuntur regulae.

III. Reg. 1. Raro admodum concedendae sunt dispensationes omnimodae. Nam, licet libentissime admittamus esse in Ecclesiae potestatem absolute dispensandi a votis, ac etiam legitimam quandoque posse occurrere plenae dispensationis elargiendae caussam, quo in casu concedendam esse fatemur; raro tamen occurrit caussa in votis pleno, serio deliberatoque animo emissis amplissimam elargiendi dispensationem.

IV. Reg. 2. Quo gravius et nobilius est votum, eo major et gravior requiritur dispensandi caussa. Nam in hisce votis res Deo oblata in magnum ipsius cultum cedere supponitur, quo privandus non est absque gravi et urgente caussa, ut patet in votis Religionis et Castitatis. In minoribus votis, puta jejunandi aliquibus statis diebus, minor et levior esse potest caussa legitimae dispensationis.

V. Reg. 3. Dispensandi in votis alicujus peccati vitandi, puta non se inebriandi, nullam unquam arbitror subesse posse legitimam dispensandi caussam. Jam enim vitare tenetur peccatum, et desiderio vitandi votum emisit: quaenam igitur esse valet legitima caussa auferendi votum, quod instar fraeni ipsum a peccato removere valet, et est, ad hoc ab ipso vovente ordinatum? Anne in malo pervicacia, aut fragilitas et labilitas in peccatum? Non puto: nam pervicacia et labilitas tota vel ex voventis malitia, vel saltem ex pigritia, accidia, et negligentia oritur. Eo vel maxime, quod locum habere poterit commutatio, qua et peccatorum impediatur duplicatio, et simul re-

medium adhibeatur labilitati vel fragilitati voventis, pèr pium opus voto surrogatum. Non negaverim tamen, fieri quandoque posse, ut in Monialibus praesertim et foeminis, puelisque casus contingat ob nimiam fortassis mentis imbecillitatis et phantasiae violentiam, quod expediens sit Dei honori et eorum saluti ab hujusmodi votis etiam dispensationem absolute largiri. At regulae non sunt ponendae pro rarioribus eventibus.

VI. Reg. 4. Inspicienda etiam in votorum dispensationem, ut docet Alex. III. qualitas personae voventis, nimirum ejus aetas, sexus, mens vel tarda vel experrecta, infirmitas corporis et similia. Hinc facilius concedenda dispensatio mulieribus et puellis, quam viris, juvenibus et pueris, quam aetate provectis, ingenio infirmis, quam mente pollentibus, aegris, ac debilibus, quam sanis et bene valentibus.

VII. Reg. 5. Est et materia voti inspicienda; puta si res voto promissa conveniat, vel non conveniat voventi, an ipsius saluti utilior sit solutio a voto, an proximis et Ecclesiae melius inserviat solutus a voto, quam eo ligatus.

VIII. *Quinam ordinaria polleant dispensandi potestate.*

Facultate et potestate ordinaria dispensandi in votis pollent 1. Sum. Pontifex; quia, ut inquit S. Thom. hic q. 88. a. 12. Sum. Pontifex *gerit plenarie vicem Christi in tota Ecclesia.* 2. Summus Pontificis Poenitentiarius. 3. Legati a latere, et Nuncii Apostolici cum subditis Provinciae sibi commissae, in qua Ecclesiasticam obtinent jurisdictionem. 4. Archiepiscopi, Episcopi, Vicarii Capitali, sede vacante, quoad sibi spiritualiter subjectos. 5. Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem obtinentes: 6. Denique Praelati omnes Regulares sibi subditorum vota tam personalia, quam realia dispensare possunt, etiam Novitiorum in anno probationis, vel ante ingressum in Religionem, vel in ipso Novitiatu emissa, quum at in ipsos plenam habeant jurisdictionem.

IX. *Vota in quibus dispensare non possunt inferiores Praelati.*

Sunt tamen nonnulla vota Sum. Pontifici reservata, a quibus dispensare non possunt inferiores Praelati. Haec quinque enumerantur, scilicet votum castitatis perpetuae, Religionis, et trium peregrinationum, nimirum Romanae ad Apostolorum limina invisenda, Hierosolymitanae ad loca sacra, et Compostellanae ad S. Jacobi venerandas exuvias. Vota porro haec Sum. Pontifici reservata potest major Poenitentiarius dispensando commutare facultate illi tributa a Sum. Pontifice Benedicto XIV. in Bulla *Pastor Bonus* §. 29. Hujusmodi autem reservationem esse stricte intelligendam docent communiter Doctores, quum sit odiosa, et ordinariae Pastorum potestatis imminutiva. Postulant igitur, ut ea vota sint certa, absoluta, perfecta et expressa: proinde si qua desit ex bis conditionibus, non amplius sub reservatione comprehendantur; immo licet sint reservata quoad substantiam, non intelliguntur tamen reservatae qualitates et circumstantiae illis adjectae.

X. *Regulares non habent potestatem dispensandi in votis.*

Regulares nullam habent potestatem dispensandi vota a viris vel Clericis saecularibus, vel etiam alterius Religionis emissa. Obsistunt

huic nostrae assertioni innumeri pene Theologi, qui plura quidem laudant Pontificum privilegia variis Ordinibus concessa; at nullum recitant, nec verba afferunt, quibus dicatur concessa Regularibus facultas dispensandi in hujusmodi votis. Verum haec privilegia jam dudum in suspicionem falsitatis a Lezana, Martinez, de Prado, et Possevino revocata, diligenter tandem discussit Cl. vir P. Daniel Concina in laboris societatem vocatis, etiam aliquibus ex suis Concellitis, in quorum numero et ipse fui, et compertum est nullam in illis facultatem concedi dispensandi, sed solum commutandi. Nullo proinde innititur fundamento haec universalis potestas, quam jactant Auctores Regularibus concessam dispensandi in omnibus votis. Caveant igitur Confessarii Regulares, ne jurisdictionem sibi usurpent, quam illis a Summis Pontificibus concessam nesciunt; immo sin certo et evidenter, probabilissime tamen, et morali certitudine, se carere ex dictis hactenus dignoscere valent.

XI. *Regulares, potestatem habent commutandi omnia vota.*

Potestatem habent Regulares Ordinum praesertim Mendicantium commutandi omnia vota, exceptis quinque Sedi Apostolicae reservatis, et hoc vi suorum privilegiorum, quae profecto certa sunt, nullique dubitationi obnoxia, et in suo robore permanentia, ut videre est in Constit. Eugenii IV. Pauli III. Gregorii XIII. Clementis VII. necnon Benedicti XIII. in sua Bulla *Pretiosus;* et licet eam Clemens XII. revocaverit quoad specialia ab ipso concessa, firma tamen manent alia privilegia a Pontificibus concessa, et in ea Bulla confirmata. Et revera nullus est, qui de hac potestate vota commutandi Regularibus concessa dubitet, vel eam inficietur.

Consectaria.

I. *Quid agendum in dubio num adsit legitima dispensationis caussa.*

In dubio, num legitima adsit dispensationis caussa, quum dupliciter dubium occurrere possit, duplici quoque animadversione opus est. Nam si dubium sit, num aliqua adsit caussa dispensationis, non est concedenda, quum ob incertam caussam a certo onere juste et licite liberari nemo possit. Si vero adsit quidem aliqua caussa, sed haec num sufficiens sit ambigatur, locum habere posse dispensationem censent nobiliores Theologi. Ad Praelatum tamen pertinet perpendere, num loco dispensationis melius sit uti commutatione: nam si haec sufficiat ad levamen voventis, dispensatio non erit concedenda ex caussa, de qua ambigitur, num sit sufficiens.

II. *Quid agendum, si post dispensationem dignoscatur, justam non adfuisse caussam.*

Concessa dispensatione ex caussa, quae sufficiens putabatur, et justa, si postea nec justa dignoscatur, nec sufficiens, dispensatio nulla est omnino habenda. Nam in confesso est apud omnes, ad validam, licitamque dispensationem justam requiri caussam, et Superiorem sine justa caussa dispensantem peccare etiam lethaliter, si tanta sit materiae gravitas. Hac igitur deficiente, nulla sit oportet dispensatio, quum fundamentum plene corruat, cui illa superstruitur. Bona porro fides, qua et petita et concessa fuit dispensatio, a culpa quidem excusat, at non validam efficit dispensationem.

III. *Quid agendum, si dubium sit de valore voti.*

Dubium de valore voti, vel de sufficienti et requisita intentione vovendi, seu se obligandi esse potest legitima caussa concedendae dispensationis, quum ipsum votum incertum sit, et de ejus obligatione prudenter dubitetur: quod pariter sentiendum est, si dubium suboriatur, num votum in facto sit majoris boni impedimentum, et voventi vel inutile vel perniciosum, et divino cultui parum vel nihil conferre videatur.

IV. *Dispensans sine justa caussa, peccat.*

Dispensans sine justa caussa, necnon petens et acceptans hujusmodi dispensationem (praeter dispensationis nulilitatem) peccat etiam lethaliter pro ratione materiae: nam in re gravi jus sibi usurpat, quo non potitur, et spirituali potestate abutitur, quae non in destructionem data est, sed in aedificationem. Qui vero tali utuntur dispensatione, quum non sint a vinculo voti legitime soluti, palam est eos peccare vota sua non implendo, immo et quod illicitum est, et illegitimum petendo, et acceptando.

V. *Episcopi possunt suos subditos, ab omnibus votis dispensare: Abbatissae omnino non possunt.*

Episcopi possunt omnia suorum subditorum vota dispensare, exceptis Summo Pontifici reservatis, quum plena gaudeant in eos jurisdictione, in qua quum succedat et Vicarius Capituli Sede vacante eadem quoque pollet facultate. Monialium vero Abbatissae, et Priorissae quum careant spirituali jurisdictione, licet possint per dominativam potestatem vota irritare, dispensare tamen omnino non possunt.

VI. *Quando Episcopi possint dispensare in votis Sum. Pontifici reservatis.*

Episcopi ceterique Praelati, qui ordinaria donantur jurisdictione, possunt quandoque etiam in votis Summo Pontifici reservatis dispensare, nimirum quando gravis urget necessitas, et admodum difficilis ad Summum Pontificem, vel ejus Legatum patet accessus: nam hoc postulat aequitas, bonum commune, et spiritualis utilitas animarum, ob quam inducta est horum votorum reservatio, quae si in fidelium perniciem et detrimentum vergat, charitas postulat, ut sublata intelligatur. Sic poterit Episcopus puellam a voto vel castitatis, vel Religionis dispensare, si a Matrimonio mox celebrando sine gravi scandalo, et familiarum perturbatione non valeat resilire; vel sit Matrimonium ad reparandum virginis honorem necessarium, et si differatur periculum immineat, ne injuste ejus celebratio differatur. Verum in hisce urgentibus casibus solum ea est concedenda dispensatio, quae necessitati occurrat, quia ob solam necessitatem conceditur. Quamobrem si sufficiat concedere voti suspensionem, non est relaxanda absoluta dispensatio. Si votum castitatis est dispensandum, ut quis possit Matrimonium inire, ad hoc solum est coarctanda dispensatio, nec concedendum, ut contra votum non peccet fornicando, vel se polluendo, sive dissoluto matrimonio cum alia matrimonium contrahendo.

§. IX.

De votorum commutatione.

I. *Commutationis definitio, ac divisio.*

Commutatio voti, quae et a Regularibus vi privilegiorum, et ab aliis facultatem jure ordinario dispensandi obtinentibus fieri potest, ex S. Thom. definitur: *Translatio obligationis a materia voti antea eliciti in aliam materiam eidem priori subrogandam.* Tripliciter fieri valet voti commutatio, scilicet vel in aliquid evidenter melius, vel in aequale, vel in minus bonum. Rursum illud, quod evidenter melius apparet, ex duplici capite suam desumere excellentiam potest, nimirum quia in suo excessu continet rem promissam, ut si quis voveat calicem argenteum, et donet aureum; vel quia opus praestitum licet specie vel genere morali diversum, superat tamen in bonitate rem voto promissam, ut qui vovit audire Missam, et loco auditionis celebrandam curat, vovit tenuem eleemosynam, et ejus loco duplicatum substituit jejunium. His praenotatis, quaerunt Theologi, num quilibet vovens valeat propria auctoritate votum suum in melius commutare.

II. *Commutatio in melius, quod continet rem promissam ab omnibus fieri potest.*

Mutationem in melius, quod rem promissam in se contineat, nullus est, qui ambigat omnibus voventibus licere, quia re penitius inspecta non est vera commutatio, sed amplior et superabundans solutio; ut patet in eo, qui vovit calicem argenteum, et dat aureum. At quando vera intervenit commutatio operis voto promissi in aliud plane distinctum licet excellentius, puta jejunium in copiosam eleemosynam, probabilior opinio est, quidquid sentiant Salmanticenses, pluresque alii, hujusmodi commutationem privata voventis auctoritate fieri non posse. Quod enim gratum est Deo in voto, non tam est res ipsa voto oblata, quam fidelitas in voto implendo: quotiescunque ergo rem Deo oblatam commutas, jam fidem oppignoratam non solvis, et quum unum promiseris, alterum praestas. Hinc jubebat Deus Levit. 27. v. 9. *Animal, quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum erit, et mutari non poterit, idest nec melius malo, nec pejus bono.*

III. *In commutatione servanda est aequalitas.*

In commutatione servanda est aequalitas, nec licet habenti solam potestatem vota commutandi ea in minorem materiam commutare. Nam quum juxta D. Th. doctrinam commutatio sit quidam contractus inter voventem et Superiorem, qui vicem Dei gerit, in omni contractu, qui non sit liberalis donatio, sed vera commutatio, aequalitas intercedat oportet, alioquin qui solum commutandi potestatem habet, et in aequale non commutat, sua abutitur potestate, et Domino, cujus vices gerit, fidelitatem non servat. Fatendum tamen, aequalitatem non requiri omnino mathematicam, et sitam in puncto, ut ita dicam, indivisibili, sed sufficere moralem, servatis prudentiae regulis, et bona fide, procul omni fraude. Quod si dubium suboriatur, num haec moralis habeatur aequalitas, censerem valere commutationem,

et licere, quia tali posito dubio, certum est, non apparere manifestam inaequalitatem, ac proinde, deposito dubio et nimia posita anxietate, commutationi acquiescendum.

IV. *Caussa requiritur ad commutationem.*

Caussa ad legitimam commutationem requiritur, ut docet S. Thom. hic q. 88. art. 12. Et quidem si mutatio fiat in melius ac perfectius, ipsa operis subrogati excellentia legitima est commutationis caussa. Ut vero in aequale fiat, praeter voventis petitionem, aliqua est assignanda caussa, quae tamen necesse non est, ut sit urgens ac gravis, sed et levis sufficere potest, qualis foret difficultas aliqua in ipsius operis impletione occurrens. At si talis commutatio in aequalem materiam sine caussa fiat, erit quidem illicita, non vero invalida; quia licet abuteretur commutans sua potestate temere et irrationabiliter commutando, servando tamen aequalitatem, nec Dei cultum minueret, nec voventi damnum inferret spirituale. Hinc etiam lethalis peccati damnare non auderem eum, qui etiam sine caussa in aequale votum permutaret. At si fiat in materiam minorem, jam quum commutationi admisceatur dispensatio, et Dei cultus minuatur, urgentior requiritur caussa: quae si desit, non solum illicita erit commutatio, sed et invalida.

V. *Necesse non est, ut commutatio fiat in sacramentali confessione.*

Votorum commutatio necesse non est ut fiat in actu sacramentalis confessionis, quum hanc limitationem non afferant Bullae, quae privilegium commutandorum votorum impertiuntur. Excipiuntur tamen facultates hujusmodi, quae per litteras Sacrae Poenitentiariae conceduntur: in illis enim semper praecipitur, ut audita poenitentis sacramentali confessione, et in actu confessionis dispensationis vel commutationis beneficium Confessarius impertiatur. Optima tamen in sacramentali confessione fiet, quum ad solum conscientiae forum pertineat.

VI. *Quid agendum, si materia substituta reddatur impossibilis.*

Facta commutatione, si materia substituta reddatur impossibilis, non tenetur vovens ad priorem materiam voti reverti, quia jam onus illius praestandae extinctum omnino est, si commutatio Praelati auctoritate facta sit, secus vero si arbitrio ipsius voventis: tunc enim ad priorem materiam reverti tenetur, quum non fuerit translatum vinculum ad rem subrogatam, sed solum superabundans solutio exhibita, qua proinde ex quocunque capite deficiente, semper urget voti obligatio.

VII. *An liceat ad priorem materiam, privata auctoritate, reverti.*

Num liceat voventi facta et acceptata commutatione ad priorem materiam propria auctoritate reverti, digladiantur Theologi. Negans Suarezii sententia probabilior mihi est. Nam 1. commutatio, juxta D. Thom. doctrinam, quum sit contractus inter voventem et Superiorem, qui vicem Dei gerit, peractus utriusque partis consensu, ab eo commutationis pacto non licet parti resilire, ut contingit in omnibus conventionibus. 2. Commutatio non fit solum in favorem voventis, sed in majorem Dei cultum, quod maxime verum est, quotiescunque commutatio in melius fit. 3. Si vero commutatio facta sit in aequale, adhuc ad priorem materiam reverti nequit: quum enim

non liceat, ut superius docuimus privata auctoritate votum in aequale mutare, qui ad priorem rediret materiam, jam privatam hanc commutationem efficeret; prius siquidem onus ita extinguitur, ut non amplius reviviscat, si forte subrogatum opus fiat impossibile, ut et ipsi adversae sententiae Theologi ultro concedunt: igitur si ad priorem revertatur materiam, jam votum suum privata auctoritate commutaret, nam in commutatione non tollitur votum, sed mutatur onus sive materia: dum igitur unum onus, unam materiam in aliam mutat, votum mutat, et quidem privata auctoritate, quod certe omnino non licere docuimus.

VIII. *Observanda in votorum commutatione.*

In votorum commutatione haec sunt observanda 1. Necesse non est, ut votum personale in aliud personale, vel reale in realem materiam commutetur, sed realia vota in opera personalia, et personalia vota in realia commutari optime valent. 2. In votorum commutatione ut plurimum optime rei promissae subrogatur Sacramentorum frequentia, praesertim si commutanda sint vota personalia. 3. Non tam materiae voto promissae dignitas vel excellentia conspicienda est, quam finis, in quem collineavit voventis voluntas. Vovit quis eleemosynam ad ebrietatem fugiendam, non recte loco eleemosynae substitueretur oratio, sed ejus loco substitui posset jejunium, vel infirmorum in Xenodochiis visitatio. 4. Onerum etiam multiplicitas in voto assumpta et difficultates vincendae, sunt prae oculis in commutatione habendae: hae enim augent meritum promissi operis. Exemplum habes in voto peregrinationis, in quo Pontifex in jure Canonico statuit habendam rationem non solum difficultatis in itinere, sed et expensarum in itu, mora, et reditu faciendarum, quibus et adjungenda lucra domi ex peregrinatione cessantia. 5. Si votorum conditionalium petatur commutatio ante conditionis impletionem, probabilitas eventus est in commutatione pensanda, si in absolutum commutetur. 6. In commutatione voti castitatis vel religionis vix aequalitas moralis inveniri potest, sed semper aliqua dispensatio intercedat necesse est, proinde ad Superiorem, qui dispensare possit, confugiendum. Quare merito haec vota Summo Pontifici sunt reservata.

Consectaria.

I. *Commutari non valent vota facta in favorem tertii.*

Qui commutandorum votorum potestate ex quocunque capite donati sunt, vota commutare non valent facta in favorem alterius, et ab eo acceptata. Promisisti dotem puellae pauperi, quam promissionem voto, vel jurejurando firmasti, poteris quidem ab hoc onere liberari, si promissio non fuerit puellae nota, et ab ea acceptata; at secuta acceptatione commutare votum nequibit Confessarius, quippe qui justitiam sua commutatione violaret, et jus tertii acquisitum laederet.

II. *Si vota Sum. Pontifici reservata non sint integra et perfecta, non sunt reservata.*

Quinque vota, quae diximus esse S. Pontifici reservata, reservata non sunt nisi plena pariter, integra, et perfecta sint. Hinc non reservatur nisi votum castitatis absolutae, integrae, et perfectae. Qua-

mobrem commutari queunt vota non contrahendi matrimonium, non fornicandi, non petendi debitum, castitatis non perpetuae, sed ad tempus, virginitatis, si solum respiciat actum quo deperditur; item nec votum castitatis conjugalis, quum per illud matrimonium non impediatur, nisi forte ex Pontificis statuto adnexum sit statui alicui religioso, ut contingit in aliquibus militaribus Ordinibus. Si conjuges mutuo consensu castitatem voveant, vel alteruter de alterius consensu renuntiantis suo juri, reservatum esse votum merito docent nobiliores Theologi, quum nihil desit ad voti perfectionem; proinde debent conjuges se separare, nisi forte ob longaevitatem nullum sit incontinentiae periculum, vel scandalum ex tali separatione oriatur, a quo praecavere non possint. Si vero ob cohabitationem periculum sit incontinentiae, et gravis urgeat necessitas, a tali voto dispensare posse Episcopum non immerito adstruunt nonnulli Theologi, qui etiam consuetudinem obtinere affirmant, ut in ejusmodi votis Episcopi dispensent. Non est pariter reservatum votum de sacris Ordinibus suscipiendis, quum non sit nec castitatis, nec religionis proprie dictae. In votis autem trium peregrinationum, quum eorum objectum sit devotio, pietas, ac religio erga sacra loca, reservata non erunt si alio motivo vel caussa emittantur, puta accipiendi benedictionem a Pontifice, impetrandi ab illo aliquam dispensationem vel gratiam, seu etiam ob devotionem, sed absolute, non vero ob peculiarem erga illa loca.

III. *Circumstantiae, votis reservatis adjectae, non sunt reservatae.*

Circumstantiae et qualitates a vovente votis reservatis adjectae non subsunt reservationi, sed ab habentibus potestatem per dispensationem vel commutationem poterunt relaxari. Qui itaque vovit peregrinationem Romanam pedestrem, vel mendicando, poterit justa urgente caussa a circumstantia pedestris itineris, vel mendicationis vel per dispensationem vel per commutationem relevari, quum integra remaneat substantia voti, quae reservationis materiam constituit. Poterit propterea Episcopus voventi ingredi Religionem rigidiorem concedere, ut aliam benigniorem ingrediatur, in qua tamen vota exacte serventur, et regularis vigeat disciplina. Pariter, concessa a Sum. Pontifice commutatione voti reservati, materia voto substituta non subest amplius reservationi. Ita communiter Doctores: quum praefata vota reservata non sint ratione voti, sed ratione materiae voto promissae: hac igitur mutata, non urget amplius reservatio. Tenetur tamen vovens dispensantem vel commutantem monere de subrogatione per Pontificem facta, ut et vinculi pondus agnoscat, et ne nimis facilis temere dispensationem vel commutationem concedat.

IV. *Juramenta castitatis, Religionis, et trium peregrinationum sunt Sum. Pontifici reservata.*

Non solum vota, sed et juramenta Castitatis perpetuae, et Religionis, et trinae peregrinationis sunt Sum. Pontifici reservata. Negant hoc nonnulli Canonistae, quia, inquiunt, votum fortius est vinculum, quam juramentum; proinde ex eo quod reservata sint ea vota, non sequitur, etiam de iisdem materiis juramenta esse reservata, praesertim quum reservatio odiosa sit: non est ergo amplianda; et in jure nullum habetur juramentum reservatum. At sententia, quam

statuimus, longe probabilior est, quippe quia juramentum promissorium Deo factum idem omnino est ac votum, quum illius indolem et naturam habeat: importat enim promissionem non homini tantum sed Deo, et quidem de meliori bono: quid ergo illi deest, ut sit verum votum? Erunt igitur Sum. Pontifici reservata.

CAPUT III.

De Blasphemia.

§. I.

Blasphemiae definitio, divisio, et gravitas.

I. *Blasphemiae definitio.*

Gravissimum blasphemiae crimen communiter a Theologis definitur *Contumeliosa in Deum locutio.* Quod quidem duplici pacto efficitur, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 13. a. 1. nimirum vel Deo tribuendo, quod illi non convenit, vel quod convenit denegando. Qui tamen subdit, non per hoc blasphemias in species dividi, quia non *differunt nisi secundum affirmationem, et negationem, quae quidem diversitas habitus speciem non distinguit.* Qui similiter docet, blasphemiam quoque esse creaturae tribuere quod soli Deo convenit, et hoc pariter ad genus blasphemiae pertinere, at peculiarem speciem non constituere. Triplici autem modo Deum homines blasphemare valent nimirum vel solo intellectu falsa de Deo opinando, puta negando realem Christi praesentiam in Eucharistia, sine ulla tamen prava in ipsum voluntate: 2. addendo perversae opinioni etiam cordis detestationem, ut quum ex ira dicimus Deum imbellem vel injustum, quia nobis nocentes non punit: 3. Sola cordis detestatione absque ullo mentis errore, ut quum Deo maledicimus, vel contumeliam facimus; quamobrem etiam cum vera fide potest consistere blasphemia, ut communiter contingit in Christianis.

II. *Blasphemiae divisio.*

Quapropter in duas species dividitur blasphemia, nimirum in haereticam, et simplicem. Prior, quum errorem, et opinionem fidei contrariam exprimit, ut quum quis Deum pronunciat injustum, ac crudelem; quod si non solis verbis dicat, sed et corde teneat, verum haereticum constituit; si vero haereticales hasce blasphemias ore proferat, sed corde non teneat, haereticus quidem non est coram Deo, at in facie Ecclesiae haereticus apparet, et ut talis denunciandus et habendus. Simplex vero blasphemia, quae in contumelioso verbo divinae bonitati derogante consistit absque ullo contra fidem errore sive in mente, sive in ipsis verbis, pluribus modis fieri potest, nimirum 1. Deum maledicendo, vel illi malum imprecando; 2. dehonestative de ipso loquendo, uti sunt omnia verba injuriose usurpantia Christi vulnera, membra, corpus et sanguinem; 3. contemptive, verbis Dei contemptum praeferentibus, ut quum quis dicit in Dei contemptum (al dispetto di Dio) hoc volo facere, vel exclamando, oh miserum Deum! 4. irrisorie, aliquid divinum irridendo, ut quum quis Eucharistiae Sacramentum frixum panem appellat; 5. juratorie,

ut si quis dicat, pereat Deus, nisi res ita est, nisi ulciscat. Licet tamen blasphemiae peccatum proprie in verbis sistat, committi potest et factis; ut si quis in Coelum spuat, telum intendat, in Christi imaginem lapidem jaciat. Immo et aliqua verba, quae licet in se spectata non exprimant Dei contemptum, vel contumeliam, si tamen vel animo in Deum irato, vel actibus aliquibus, puta digitum mordendo, vel pedibus terram pulsando Dei detestationem ostendant, blasphemiae sunt, ut si quis dentibus frendens Corpus Dei et sanguinem ejus proferat, vel potestatem, vel praesentiam Dei.

III. *Blasphemia alia est in Sanctos, alia in Deum.*

Blasphemiae peccatum non solum in Deum committitur, sed et in Sanctos, quotiescunque eorum nomen aut gesta contumeliose tractantur: nam, ut optime docet S. Thom. loc. laud. ad 2. *Sicut Deus in Sanctis laudatur, in quantum laudantur opera, quae Deus in sanctis efficit, ita et blasphemia, quae fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat.* Hasce in Sanctos blasphemias specie differre a blasphemiis in Deum, docent nobiliores Theologi, et merito: nam sicut cultus et honor, qui rependitur Sanctis, licet in Deum redundet, tamen a virtute proficiscitur plane a religione distincta, quae Dulia dicitur; ita et blasphemia, quae Sanctos inhonorat, licet in Deum refundatur, Duliae adversatur, et specie diversa erit.

IV. *Blasphemia peccatum lethale est omnium gravissimum.*

Gravissimum esse blasphemiae scelus omnes docent Patres, et Theologi. Et quidem esse ex genere suo peccatum lethale docet S. Thom. hic a. 2. quia *secundum genus suum repugnat charitati divinae, quia derogat divinae bonitati, quae est objectum charitatis.* Esse vero omnium gravissimum, docet Sanctus Doctor quia si sit cum errore et infidelitate, opponitur fidei; et si affert divinae bonitatis detestationem, charitati et divino amori adversatur; si vero et exterius in verba vel actus contumeliosos prorumpat, opponitur et confessioni fidei et laudi Dei. Ita vero grave peccatum est ex genere suo, ut parvitatem materiae non admittat. Si enim vera blasphemia sit, semper gravem adfert injuriam Creatori, nam semper Deo contumeliam afficit et convicium. Hinc etiam si per jocum proferatur, peccatum est mortale, quum jocandum non sit, nugandumque cum injuria Creatoris.

V. *Blasphemia, aliquando nullum est peccatum.*

Licet quis ex subita subreptione possit in verba blasphemiae prorumpere, quin lethaliter peccet, necesse tamen est, ut tanta sit inadvertentia, ut ad verborum sensum non advertat, nec oriatur ex aliqua prava blasphemandi consuetudine et habitu. Nam consuetudo non tollit, sed auget malitiam peccati: licet enim directe non sit volita blasphemia, est tamen indirecte volita in sua caussa, scilicet in prava consuetudine et habitu: ad peccandum autem non est semper necessarium voluntarium directum, sed sufficit voluntarium indirectum, ut docuimus agentes de Voluntario.

Consectaria.

I. *Quaedam loquendi phrases, pro blasphemiis habendae sunt.*

Tametsi postquam Deus factus est homo, et verum assumpsit corpus, verumque sanguinem, haereticum non sit dicere per corpus

Dei, per sanguinem Dei, ac proinde nec blasphemum, nihilo tamen secius, quum haec effata horrorem ingerant Christianorum animis, et aures offendant, sunt veluti blasphemi redarguendi, qui ista pronunciant, multo magis si ira et furore perciti ad eructandam bilem vel exclamando vel jurando, ingeminant per Corpus Dei, per sanguinem Dei poenas dabis, *Corpo di Dio*, *Sangue di Dio me la pagherai*, vel o Corpus Dei, o Sanguis Dei ita ne loqueris? o *Corpo di Dio*, o *Sangue di Dio così parli?* licet ira non sit in Deum (tunc enim aperta esset blasphemia) sed in proximum. Quod est dicendum et de illis, qui Dei conspectum, vel potentiam ore infrunito, vel ad minitandum vel ad terrendum usurpant exclamando *Cospetto di Dio*, qui jure sunt increpandi, et tanquam blasphemi habendi. Veram autem blasphemiam proferent, et corpus et sanguinem Dei, vel ejus conspectum dehonestative inflectunt dicendo: *Corpaccio*, *Sanguinaccio di Dio*, vel Christi, et Sanctorum pudenda membra nominarent.

II. *Aliae locutiones, blasphemiae criminis culpandae.*

Blasphemia est dicere renego Deum, Baptismum, Sacramenta: quibus verbis si et mens consentiat, haeresis et apostasia a fide consequentur. Blasphemia quoque est Omnipotentiam Dei despicere dicendo: invito Deo hoc erit, *al dispetto di Dio la voglio così:* nec Deus efficere potest, ut ludo vincam, adeo mihi sors est inimica. Blasphemiam tamen non proferunt, qui admirando exclamant, o potentia Dei? *o poter di Dio, o po far Dio,* licet fortassis cum aliqua proximi admiratione: qui tamen dicendi modi, sunt a Christianorum labiis extirpandi. Blasphemum quoque est dicere, nego Deum, si ita non est: sicut et blasphematoriae sunt illae formulae, hoc ita verum est, ut Deum est verus, *come è vero Dio*, quum veritatem creatam Dei veritati adaequent; sicut et qui dicunt, sum innocens sicut Christus, sicut Deipara. Similiter et in hoc juramento, pereat Deus, si ita non est, continetur blasphemia, quae tamen exulat ab eo, qui per vitam Dei jurarent, dicendo, vivat Deus, ita est, *Viva Dio, così è:* solum enim est juramentum, et quidem assertorium, non execratorium.

III. *Creaturas maledicere, et jurare per falsos Deos, quando Blasphemia sit.*

Maledicere rebus irrationabilibus (inquit S. Thom. 2. 2. q. 76.) *in quantum sunt creaturae Dei, est peccatum blasphemiae; maledicere autem eis secundum se consideratis est otiosum et vanum, et per consequens illicitum.* Corripiendi igitur sunt, qui creaturis maledicunt ex ira, quia sibi noxiae sunt ex divina dispositione, ut qui maledicunt grandini, exundationibus fluminum in amaritudine animae: videtur siquidem ista maledictio in ipsum Deum redundare, qui haec mala immittit. Qui vero per falsos Deos jurant, si serio, non joco jurent, profecto blasphemi sunt, et idololatrae. At communiter vel ad illis illudendum adhibentur falsorum Deorum nomina in jurejurando, vel ad linguae genium se accommodando, quin ullum honorem illis praestent, ut qui latine scribentes usurpant *hercle*, *mehercle*, *Pol*, *Edaepol*, *medius fidius* et similia, quae tamen phrases essent a Christianis scriptoribus evitandae.

IV. *Aliqua circa Blasphemiae peccatum adnotantur.*

Superius diximus, blasphemias in Sanctos specie differre a blasphemiis in Deum, proinde in Confessione aperiendum est, num in Deum vel Sanctos blasphemia prolata fuerit. Qui in ebrietate blasphemant, a peccato non excusantur, si sciant, se ebrios blasphemare consuevisse, quia tunc blasphemiae sunt voluntariae indirecte in ipsa ebrietate libere et advertenter volita. Secus vero si nunquam experti sint in ebrietate blasphemare. Licet autem contingere aliquando possit, ut quis uno irae et furoris impetu plures evomens blasphemias, nonnisi unum lethale peccatum committat, spectanda nihilominus semper est diuturnitas temporis, quo furor et ira perduravit, quae si tanta sit, ut possit advertere ad blasphemiarum multitudinem, et furorem comprimere, jam non unum, sed plura erunt peccata blasphemiae. Insuper semper blasphemans aperire debet in confessione et temporis moram et furoris ac irae impetum, ipsamque blasphemandi consuetudinem.

§. II.

Quibus poenis subjaceant blasphemi, et quomodo corrigendi.

I. *Poenae in Veteri Lege et jure civili, Blasphemis statutae.*

In veteri lege poena mortis in blasphemos ex Dei ordinatione statuta erat. Levit. 24. v. 16. sancitum legitur: *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimat eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit.* Immo et in ipso jure civili ultimum supplicium decernitur in blasphemos. Quod et confirmavit Carolus V. saltem pro blasphemia gravi in ipsum Deum; pro leviore vero, quae non fit in Deum, sed in B. V. vel in sanctos, statuit linguae praecisionem, aliasque poenas. Rigor iste aequissimus desuetudine evanuisse videtur. Omnes tamen Principes et Reges severas intorquent in blasphemos poenas, nimirum praeter publicam infamiam etiam linguae praecisionem, labiorum adustionem, diuturnum carcerem, et similia.

II. *Poenae a jure canonico, a Conciliis et Pontificibus, in Blasphemantes statutae.*

In jure canonico in Clericos blasphemantes poena statuitur depositionis ab officio et statu clericali, in laicos vero excommunicationis poena ferenda, ut habetur cap. *Si quis* 10. caus. 22. quaest. 1. Concilia et Pontifices alias addidere poenas. Leo X. in Concil. Lateran. contra Clericos statuit, ut pro prima vice mulctentur fructibus unius anni quorumcunque Beneficiorum, quae habuerunt, pro secunda vice, si unicum habuerint beneficium illo priventur; si plura, uno ad Episcopi arbitrium spolientur. Pro tertia vice dignitatibus ac beneficiis omnibus priventur, et ad ulterius retinenda inhabiles reddantur. Laicos vero nobiles nobilitate spoliandos statuit, plebejos ac ignobiles vero infamia, carcere, et ad triremes damnatione plectendos.

III. *Blasphemantes sunt denunciandi.*

Qui blasphemos audiunt, ex Concilii Lateran. praecepto tenentur eos ad Judices denunciare: sic enim statuit Concilium:

» Quicunque blasphemantem audierint, eum verbis acriter objurgare » teneantur, si citra periculum suum id fieri posse contingat, eamque » deferre, et notificare apud Judicem Ecclesiasticum vel saecularem » intra triduum debeant. Quod si plures dictum blasphemantem » simul audierint, singuli eum accusare teneantur, nisi forte omnes » convenerint, ut unus pro cunctis tali officio fungatur ». In serenissimo Veneto Dominio ex S. Inquisitionis decreto teneantur omnes, qui haereticaliter blasphemantes audiunt eos sacro Tribunali deferre.

IV. *Absolutionem a blasphemiis, quis valeat impertiri.*

Blasphemiae in Deum et B. V. et Sanctos fere in omnibus Dioecesibus absolutio Episcopis reservata est, a quo proinde scelere, nisi specialem obtinuerint facultatem, nequeunt Confessarii absolvere. Si vero tali potestate donentur, poterunt quidem absolvere si blasphemiae simplices sint, vel etiam haereticales, dummodo tamen nullus fuerit contra fidem error in mente blasphemantis; si vero formaliter haereticae sint, quum haereticorum poenis subjaceant, nequeunt ob excommunicationem in haereticos a pluribus Conciliis latam absolvi, sed ad Sum. Pontificem, vel ad Tribunal Inquisitionis remittendi hujusmodi blasphemi.

V. *Consuetudinarii, quomodo absolvendi.*

Consuetudinem habentes blasphemandi nunquam sunt absolutione donandi, nisi pravum habitum deposuerint, ac proinde diutius probandi, quum labilis lingua aegre comprimatur. Severa quoque et repetita est blasphemis poenitentibus imponenda satisfactio: sic enim jubet Later. Conc. superius laudatum sess. 9. §. *ad abolendam*: » In » foro poenitentiae nemo blasphemiae reus absque gravissima severi Confessarii arbitrio injuncta poenitentia possit absolvi ». Sunt itaque blasphemantes severe corripiendi, et objurgandi. Si ex habitu blasphement, absolutio differenda, interimque ut ad emendationem perveniat remedia apta praescribenda, v. g. ut statim ac sentiunt se blasphemasse, lingua crucem signent in terra, et si possint, toties largiantur eleemosynam, quoties blasphemaverint: abjiciant omnino ludum, si in ludo blasphement, et his similia.

DISSERTATIO III.

De tertio Decalogi Praecepto.

Memento, ut diem Sabbati sanctifices,
non facies omne opus in eo.

CAPUT I.

De Festorum institutione; necnon de operibus pietatis in die festo ex praecepto naturali divino praestandis.

I. *Institutio festorum, ab ipsa provenit naturali Religione.*

Festorum dierum institutio ab ipsa profluit naturali religione: *Inest enim homini*, ut optime observat D. Th. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 1., *naturalis inclinatio ad hoc, quod cuilibet rei necessariae deputetur aliquod tempus, sicut corporali refectioni, somno, et aliis hujusmodi.*

Unde etiam spirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur, secundum dictamen naturalis rationis aliquod tempus deputat homo. Et sic habere aliquod tempus deputatum ad vacandum divinis, cadit sub praecepto morali. Naturale hoc praeceptum Deus Hebraeorum populo in Decalogo servandum indixit. Nam licet specialiter in eo indicta videatur Sabbati sanctificatio, diei tamen indictio, ut docet S. Thom. loc. cit. ad meras ceremoniales Judaeorum leges pertinebat, postea et successu temporis recedentibus umbris et figuris, et adveniente luce abolendas. Potuit igitur hoc praeceptum, qua caeremoniale est, aboleri, et loco sabbati alia dies sanctificanda, et divino cultui dedicanda substitui, quod ab Ecclesia praestitum est, et Sabbato substitutus dies hebdomadae primus, qui et Dominicus dictus est. Quum vero hujus mutationis nec tempus designari, nec decretum ullum sive Pontificum, sive Conciliorum illam mutationem indicentium possit afferri, ab Apostolica Traditiona proficisci non est ambigendum.

II. *Alia festa ab Apostolica traditione; alia ex communi Ecclesiae consensu sunt instituta.*

Sunt et alia Festa, quorum exordia non reperimus, et ab Apostolica traditione descendere pro certo tenendum est. Hujusmodi sunt, quae S. Augustinus in sua ad Januar. Epist. commemorat: *Resurrectio, Ascensio in coelum, Adventus de coelo Spiritus Sancti*, His postea communi Ecclesiae consensu et SS. Martyrum Festa adjecta sunt. Postea vero, licet serius, et Confessorum festivitates addictae, non tamen ante quintum saeculum.

III. *Quinam instituendi festa potestatem habeant.*

Festa instituendi potestatem obtinent Concilia Generalia, Sum. Pontifex, immo et ipsi Episcopi, ut ex Jure Canonico constat: quam potestatem et ipsum Trid. Concilium in ipsis agnovit, dum sess. 25. cap. 12. de Regularibus indixit: *Dies etiam festi, quos in sua Dioecesi servandos idem Episcopus praeceperit, ab exemptis omnibus, etiam regularibus, serventur.* At licet hac potestate etiam modo Episcopi gaudeant, a novorum tamen festorum indictione abstinere debent, ut eos hortatur, et monet Urbanus VIII. Constit. incipiente *Universa* 52.

IV. *Praeceptum de festo colendo principaliter est positivum.*

Praeceptum de die festo colendo non mere negativum esse, immo de se primo et principaliter positivum ipsa divinae legis verba aperte indicant: *memento, ut diem Sabbati sanctifices.* » Illa autem (subdit » S. Thom. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3.) dicuntur sanctificari in lege, » quae divino cultui applicantur ». Et in corp. art. dixerat: » Dies » septima mandatur sanctificanda; idest deputanda ad vacandum » Deo ». Non ergo mera cessatione a servilibus operibus festa sanctificantur, sed necessarie sunt ponendae exteriores actiones, quibus Deo debitus reddatur cultus, exhibeatur honor, et reverentia. Hanc autem esse et Ecclesiae doctrinam patet ex ipsius praecepto, quo jubet omnes fideles ad Missam integre et devote audiendam in diebus festis teneri, quod quidem praeceptum non naturale est, nec divinum, sed ecclesiasticum, quum Deus nullibi in Scripturis speciale opus in Dei honorem de necessitate exhibendum statuerit; exceptis

tamen caeremonialibus de sacrificiis duplicatis, et aliis non perpetuo duraturis, sed quae aliquando cessare debebant. Verum quidem est, Ecclesiam hoc suo mandato partem divini cultus ex divina Lege indictum statuere; quapropter merito dici potest, auditionem Missae, prout pium, sanctumque opus est, ad divinum naturaleque praeceptum pertinere. Verum de Missae auditione disputationem reservamus ubi sermo erit de Ecclesiae praeceptis. Hic enim solum de officiis ex divino et naturali praecepto praestandis in die festo verba facere statuimus.

V. *Qui a Missae auditione impediuntur, debent alio modo diem festum sanctificare, nec ad festorum sanctificationem sufficit unicam Missam audire.*

Qui a Missae auditione ex aliquo capite praepediuntur, debent alio pio opere, et quidem exteriore, diem festum sanctificare, ut navigantes, infirmi, in carcere detenti, vel quovis alio modo impediti. Neque tamen hoc praeceptum implent, nec suae saluti consulunt, qui unica contenti Missa totum diem in rebus inutilibus, et profanis, in ludis insumunt. Contrariam opinionem, quam tamen plures defendunt Theologi, ab Ecclesiae mente alienam merito appellat Van-Espenius de Jure Eccles. p. 2. tit. 17. cap. 2. Et revera Summi Pontifices et Concilia ea omnino docent ac praedicant, quae toto coelo distant ab hac adversariorum doctrina. Consentiunt nobiliores Theologi; nec desunt argumenta ex ipso naturali lumine petita. Nam, ut ajebat S. Antoninus, praeceptum sanctificandi dies festos obligat ad vacandum Deo per illum diem. Porro quis unquam dicet illum per diem festum vacare Divino cultui, qui per solum dimidium horae, quod vix quadragesimum octavam diei partem constituit, Deo vacaret audiendo Missam? 2. Qui in die festo per horam, vel etiam ut nonnulli docent, per duas horas servilibus incumbit operibus, saltem lethaliter, diem festum non violare censetur, quia modicum quid est ad totam diem. Quomodo ergo satis esse poterit ad totum diem sanctificandum spatium dimidiae horae, et modicum, immo minimum reputandum ad totius diei sanctificationem?

Consectaria.

I. *Vetitum est Christianis, Judaeorum festa celebrare.*

Judaeorum Sabbatum et festa celebrare Christianis omnino vetitum est. In Constitutionibus enim, quae Apostolicae dicuntur, Can. 70. indicitur, *ne quis jejunet cum Judaeis, vel cum ipsis dies festos agat.* Et in Synodo Laodicena sub anathematis poena vetatur Sabbatum et festa Judaeorum celebrare: sic enim jubet can. 29. *Non oportet Christianos judaizare, et in sabbato otiari, sed in eo die operari..... quod si inventi fuerint ut judaizantes, anathema sint apud Christum.* Et merito quidem: Judaeorum enim festa, sicut et cetera caeremonialia praecepta figurae erant et imagines novam legem, et Christi adventum adumbrantes; adveniente igitur veritate, umbrae cessare debent, et figurae.

II. *Non semper peccat lethaliter, qui unicam Missam in festo audit: quomodo hac in re Confessarius poenitentes monere debeat.*

Non semper qui in aliquo festo solam Missam audit, est statim lethalis peccati reus habendus. Contingere enim potest, ut quis in

loco versetur, ubi praeter Missam nulla alia habeantur divina officia, vel publica pietatis opera, vel justa de caussa, vel etiam urgente necessitate ab aliis operibus praestandis praepediatur. Quod quilibet debet in interiori conscientiae suae secreto, et coram Deo perpendere. At secus dicendum puto de illis, qui ex mera negligentia, atque accidia: et unice ut ludis, venationibus, vel etiam inerti otio indulgeant, et non quidem uno vel altero die festo, sed per totum annum, et fortasse toto vitae tempore ex habitu et consuetudine, una brevi audita Missa per totum diem de Deo, ejusque honore et cultu ne minimum quidem cogitant. Nec audiendi sunt benigniores illi Theologi, qui libenter quidem concedunt, istos peccare contra alia vel praecepta vel virtutes, minime vero adversus diei festi sanctificationem; quum hoc quam falsum sit ostendant quae superius protulimus argumenta. Hinc Confessarii suo muneri non satisfaciunt, si poenitentes non interrogent de observantia sanctificationis festorum; si fideles non moneant et instruant de praecepto naturali et divino pia et religiosa opera exercendi; et si illos, qui ex negligentia et accidia, et ex prava consuetudine integros dies festos otiose insumunt, vel in profanis operibus terunt, a Sacramentis non arceant.

CAPUT II.

De operibus, a quibus abstinere debent fideles in die festo.

I. *Triplex servilium operum genus.*

Interdicta fidelibus sunt in diebus festis servilia opera, nimirum ea, *in quibus unus*, ut inquit S. Thom., *unus homo alteri servit.* Triplici autem domino potest homo servire, nimirum Deo, alteri homini, et peccato: hinc triplex servitutis genus distinguit S. Thom. hic q. 122. a. 4. nimirum divinum, humanum, diabolicum. Palam est primum in sabbato non prohiberi, *quia*, ut subdit S. Thom. hoc esset contrarium fini observationis sabbati. *Homo enim ad hoc ab aliis operibus abstinet in die sabbati, ut vacet operibus ad Dei servitium pertinentibus.*

II. *Per peccatum dies festus violatur; sententia est D. Thomae.*

Num per tertium servitutis genus, scilicet per peccatum, violetur dies festus, disquirunt Theologi; et primo quidem in eo omnes conveniunt, etiam qui negantem amplectuntur sententiam, peccata in die festo perpetrata graviora esse, non quidem *ex hoc praecepto*, sed *ob ingratitudinis deformitatem.* Verum alii veram violationem praecepti de diebus festis sanctificandis in peccatis in die festo perpetratis, quae novam induecit malitiam in confessione aperiendam agnoscunt. Et hoc tenent omnes antiquiores Theologi, adeo ut Suarezius, qui tamen contrariae adhaeret opinioni, sincere fateatur, suam sententiam *non habere auctores multum antiquos.* A veteri nos sententia non recedimus auctoritate nisi S. Thomae, qui eam aperte docet pluribus in locis. En ejus verba, quae habet hic q. 122. a. 4. » Est autem triplex servitus, » *Una qua homo servit peccato.* Alia » vero servitus, qua homo servit homini. Tertia autem servitus » Dei ..... Opera, quae dicuntur servilia primo vel secundo modo

» contrariantur observantiae sabbati, in quantum impediunt applica-
» tionem hominis ad divina. Et quia magis homo impeditur a rebus
» divinis per opus peccati, quam per opus licitum, quamvis sit
» corporale, ideo magis *contra hoc praeceptum agit*, qui peccat in
» die festo, quam qui aliud opus licitum facit ». Subdit autem de
» veniali peccato: Non autem qui peccat venialiter in Sabbato *con-*
» *tra hoc praeceptum facit*, quia peccatum veniale non excludit san-
» ctitatem ». Quid clarius et luculentius desiderari potest? Quapropter, quum haec testimonia clara sint, ibique prolata, ubi ex professo de hoc tertio praecepto agit, si qua essent alia S. Doct. testimonia dubia et obscuriora, forent juxta haec emollienda et explicanda; non vero e contra textibus, et verbis ambiguis haec, quae clarissima sunt, detorquenda. Cum S. Th. sentiunt Scotus 3. Sent. dist. 27. et 57. Alex. Alens. in sua Summa quaest. 32. memb. 5. art. 2. S. Bonaventura in 3. dist. 37, §. 6. et 7. S. Antoninus 2. P. tit. 9. c. 7. §. 2. aliique.

III. *Praeceptum santificationis festorum, non per omne lethale peccatum violatur.*

Non puto tamen, per omne lethale peccatum etiam breve et momentaneum, violari hoc praeceptum: non enim peccata omnia cultum Dei impediunt, et diem profanant. Fieri enim potest, ut quis ex vehementi aliqua passione, vel gravi tentatione, verbo vel interna cogitatione ac voluntatis assensu lethaliter peccet, qui tamen in se reversus factus aliquo modo poenitens, diem festum in piis insumat operibus, sacro devote intersit, Catechismum audiat Ecclesiae officiis assistat: hunc censerem praeceptum lethaliter non violasse. Ei peccata hoc praestant, quae mentem a divino cultu avocant, uti sunt omnes impudicitiae, fornicationes, adulteria, quae licet momento peragantur, intellectum tamen obnubilant, voluntatem corrumpunt, totum hominem terrenum et brutalem efficiunt. Similiter ebrietates, crapulae, rixae, odia, iniqui contractus, blasphemiae et similia, quae totum hominem a Deo adeo avocant, ut ne de illo quidem toto die festo, excepto brevi Missae tempore, cogitet. Nec urget adversus hanc doctrinam D. Th. auctoritas, qui nulla facta peccatorum distinctione absolute pronunciat, *omnes opus peccati dicitur servile*: nam idem S. Doct. eodem modo de operibus servilibus loquitur, et de peccatis, quae in tantum vetita dicit in die festo, *in quantum impediunt applicationem hominis ad divina.* Porro sicut festum non violatur per opera servilia, quae hanc applicationem non impediunt, uti sunt opera, quae in Dei cultum cedunt, nec per ea, quae brevi tempore durant, vel ad necessaria corporis ordinantur; ita non omnia peccata hominis mentem a divinis avocant, ut applicationem impediant ad divina; propterea non omnia diei festi inferant violationem.

IV. *Choreae, saltationes, theatrica spectacula, in diebus festis vetita sunt.*

Hinc infertur, choreas, theatrica spectacula, scenicos ludos diei sanctificationi adversari, et esse Christianis vetita. Non de choreis loquimur, quae in privata domo a puellis recreationis gratia habentur, vel inter consanguineos caussa nuptiarum: hae enim si modestae

sint, excusantur; sed de illis loquimur, quae publicae instituuntur in plateis, in agris, in aulis, ubi promiscue confluunt adolescentes et puellae, et ferme toto die peraguntur, etiam divinorum officiorum tempore. Quis enim inficiabitur, has esse proximas peccandi occasiones, immo ad peccata pertrahere et provocare? Nam, omissis impudicitiae peccatis, ex illis plerumque rixae, contentiones, aemulationes scandala exoriuntur. A divino cultu omnino avocant, et mentem in terrenis voluptatibus ita defigunt, ut de Deo, et divinis nec cogitent, nec cogitare valeant. Merito proinde a Patribus et Conciliis improbatae, et vetitae inveniuntur diebus festis, nec aliter docent nobiliores Theologi.

V. *Quaenam sint opera servilia, diebus festis vetita.*

Servilia opera in die festo vetita ea hic a S. Th. dicuntur, quae *proprie pertinent ad servientes*, et ut subdit in 3. Sent. dist. 37. q. 2. a. 1. ad 2. *In quorum exercitium servos deputatos habemus, in quibus debent artes mechanicae dirigere, quae a liberalibus distinguuntur, quae vero sunt communia servis et liberis, servilia non dicuntur.* Opera itaque artis mechanicae sunt per se vetita diebus festis, sive gratis fiant, sive pretio, sive a dominis, sive a servis. Artes mechanicae hoc versiculo continentur: *Rus*, *Nemus*, *Arma*, *Rates*, *Vulnera*, *Lana*, *Faber.*

VI. *Num abstinentia ab operibus servilibus sit de jure divino; et an semper violent praeceptum exercentes in festo servilia opera.*

Abstinentiam ab operibus servilibus esse de jure divino, et in Decalogi praecepto mandatam, docet hic S. Th. Sunt tamen, qui putant non improbabile, eam abstinentiam fuisse quidem indictam Judaeis a Domino, sed tamquam caeremoniale praeceptum, quod in Christiana lege cessare debebat, ac proinde solo praecepto Ecclesiastico apud Christianos indictam. Quod ex eo confirmant, quia tribus prioribus Ecclesiae saeculis noctu collectas habebant fideles, et quidem in cryptis, coemeteriis, privatis domibus, quibus oriente sole expletis, unusquisque ad propria munia revertebatur. Nullus vero ambigit, inter Christianos plures fuisse agricolas, rusticos, servos, artifices, milites, et cujusque artis professores, qui servilia exercebant opera, a quibus certo non vacabant diebus festis, tum ne agnoscerentur a Gentilibus, tum ne propriis, quibus pretio conducebantur, officiis deessent. Verum haec id solum meo videri conficiunt, et probant, quod et D. Th. hic in resp. ad 4. animadvertit, scilicet abstinentiam a servilibus operibus non adeo stricte esse custodiendam, ut in veteri lege jubebatur, sed ex Ecclesiae lege esse quoad modum definiendam et statuendam, a qua etiam dispensare possit justis urgentibus caussis. Quare non videntur statim peccati mortalis et violationis praecepti redarguendi artifices, qui servilibus operibus diebus festis vacant, quotiescunque praesumi possit saltem tacita Ecclesiae tolerantia vel permissio diuturna consuetudine confirmata, nec reclamantibus Ecclesiae Praesulibus. Quodsi reclament, inolita consuetudo a peccato minime excusat.

VII. *Nonnulla opera servilia, in diebus festis concessa.*

Ut optime animadvertit D. Th., non omnia etiam corporalia et servilia opera sunt in diebus festis Christianis vetita, sed

quaedam concessa, videlicet 1. quae ad salutem corporis pertinent, 2. quae ad rerum damna vitanda. His addenda sunt servilia opera, quae ad Dei cultum, et religionem proxime pertinent, ut docet Catech. Conc. Trident. de 3. praecepto num. 22., ut sunt *Altare instruere, templa alicujus diei festis caussa ornare, et reliqua hujus generis.* Ex necessitate quoque et pietate plura permittuntur die festo servilia opera, ut docet idem Catech. subdens n. 23. » Sed neque » earum rerum opera hac lege prohiberi existimandum est, quarum » jactura facienda sit, si die festo praetermittantur ». Idem antea docuerat D. Th. 2. 2. q. 40. a. 4.

VIII. *Aliqua non servilia, diebus festis vetita.*

Sunt vero alia opera licet non servilia, quae tamen diebus festis ex Ecclesiae praecepto vetita sunt. Duo sunt, videlicet negotiationes, et placita, sive forensia judicia. Et quidem ex primo capite prohibentur non solum nundinae, quae bis vel ter in anno habentur, sed et mercatus hebdomadales, necnon contractus emptionum, venditionum, locationum, permutationum. Nomine vero placiti intelliguntur forensia judicia, unde nec processus possunt institui, testes examinari, reus torqueri, sententia sive civilis sive criminalis pronunciari in diebus festis ita ut si tali tempore peragantur, sint ipso facto nulla et irrita. Nec excipitur judicium Arbitrorum, qui a litigantibus electi sententia sua juridice controversiam dirimant, quum revera forensia exercent judicium, et sententiam definitivam pronuncient. Secus vero si meri sint arbitratores, qui ad pacem conciliandam, et lites dirimendas sine judiciali strepitu sententiam dicant, quum hoc sit opus charitati, amicitiae et pacis. Possunt etiam in die festo confici testamenta, et matrimoniales contractus, quia inter necessaria computantur, quae dilationem non patiuntur.

De iis vero, qui tenentur dies festos sanctificare, et praecipue de viatoribus, peregrinis, advenis, et vagis dicemus ubi de praecepto audiendae Missae disputabimus.

CONSECTARIA.

I. *De operibus diebus festis vetitis.*

Vetita sunt die festo opera, quae ad mechanicas pertinent artes, vel ad eas proxime accedunt, uti sunt seminare, metere, foenum caedere, vel siccare vertendo, caedere arbores vel ligna, interlucare, sepem aptare, vineam colere, artes sive ferrariam, sive lignariam, textoriam, sartoriam, necnon fabrilia opera, cujuscunque generis sint, exercere, etiam nobiliora, ut mathematica instrumenta elaborare, horologia construere, et similia; quin immo et ea efficere, quae elaborare etiam nobiliores foeminae non refugiunt, ut suat acre, fusum vertere, acu pingere: sunt enim vere servilia opera. Licitum vero est et concessum diebus festis ea opera exercere, quae liberalia sunt, et mente, ac spiritu principalius peraguntur, ut docet S. Th. hic q. 122. a. 4. Hinc licet diebus festis legere, docere, concionari, studere, scripto etiam lectiones scientificas, vel conciones conficere, necnon consilia dare etiam in scriptis, ignorantes instruere, errantes corrigere, infirmos etiam curationis gratia invisere, et opportuna remedia suggerere. Immo licita sunt servilia omnia, quae ad corporis

sanitatem necessaria sunt vel opportuna. Licet proinde Pharmacopolis medicamina conficere eo die ab infirmo sumenda; non vero communia quaedam remedia elaborare, ut serventur ad usum, sicut nec herbas, flores, rosas ad ignem distillare. Item licet Chirurgis sanguinem minuere, et venas incidere, vulnera curare, et similia quae corporis valetudini vel omnino necessaria sunt, vel adeo opportuna, ut diutius sine detrimento nequeant differri. Licita quoque sunt, quae ad quotidianam corporis curam pertinent. Hinc licet diebus festis cibos parare, coquere, fructus, et herbas mensae apponendas colligere, minutiora animalia, uti pullos, gallinas, anseres, et lepres occidere, et mundare; non vero majora animalia, uti vitulos, boves, hircos, oves interficere, decorticare, mundare, nisi forte aestus gratia parari non potuissent. Ea etiam conceduntur, quae ad decentiam, et nitorem domus pertinent, ut lectus et cubilia sternere, vasa ad usum mensae lavare, scilicet paropsides, cochlearia, catinos et similia. Panem tamen conflare, vel coquere eo solo nomine, ut recens habeatur, non licere puto. Hinc rei sunt violati diei festi cupedinarii, pistores, qui laborant in crustolis, bellariisque elaborandis, nisi forte consuetudine, et tacita Ecclesiae concessione excusentur.

II. *Num liceat die festo barbam radere.*

Licet quae ad cultum, et decentem corporis ornatum pertinent, vetita diebus festis non sint, unde licet viris et mulieribus se et filios suos lavare, capillos pectere, et discriminare; absolute tamen non licet barbam radere. Nam 1. servile hoc opus esse nullus est, qui ambigat, nec talis ac tantae necessitatis, quod vel anteverti, vel postponi non possit. 2. Id vetitum est plurium Pontificum et Synodorum statutis. Quamobrem censeo, haec pro certo habenda. 1. ubi vel Synodalibus decretis, vel Episcoporum mandatis vetitum est barbam radere diebus festis, illicitum est, et lethale peccatum huic ministerio vacare; nec excusare potest consuetudo, quum adversus illam reclament pastores. 2. Si vero alicubi invecta sit consuetudo, tacentibus et non reclamantibus Praesulibus, a profanatione festi excusari possunt barbitonsores, dummodo tamen et Missae intersint, et cetera pietatis officia non negligant. 3. Pari pacto excusandi sunt, si necessitate cogente ad sui familiaeque sustentationem, et ne clientes amittant, et lucri jacturam subeant, suam operam locant. 4. Ubi tolerantia Praelatorum conceditur his artificibus, ut laborare possint, caute se gerant, ne scandalum pariant, et tolerantiae limites dilatare non debent. Peccant vero, qui nullo officio, vel munere in diebus profestis impediti diem festum expectant, in quibus sibi barbam tonderi volunt, quum hi violationis festorum, scandali, et abusus occasionem pariant; qui vero seipsos radunt, excusari possunt caussa parvitatis materiae. Nullo tamen modo excusandae sunt foeminae, quae diebus festis per plures horas artifices, vel famulas detinent in mechanico opere, et laborioso studio pectendi, discriminandi, intorquendi, et comandi capillos, quum hujusmodi ornatus omnino supervacaneus sit, immo vanus, ad luxum tantum et pompam inductus. Hinc et hujusmodi artifices, famuli, famulaeque festi profanatores sunt, et nisi cessent, deneganda absolutio. Pari pacto barbitonsores festum violant, qui fictitios capillos in diebus festis pectunt,

discriminant, et componunt, quum hoc opus in profestis diebus reservari possit, et debeat.

III. *An diebus festi liceat pingere, transcribere, iter habere.*

Pingere, et materialiter, ac mechanice transcribere, necnon characteres typographicos componere non licet diebus festis, sive id fiat ex pretio, sive recreationis, sive adiscendi gratia. Ita docent plures Theologi, Cajetanus, Suarezius, Henricus a S. Ignatio, Salmanticenses, aliique. Licet vero concessum sit diebus festis scribere, immo ex libris ad propriam doctrinam plura compilare, excerpere, colligere ad instructionem aliorum, vel Conciones, vel tractatus exarare; quum enim haec, tametsi exteriora opera, internis tamen mentis actibus deserviant, inter servilia non sunt recensenda; attamen mechanice de libro in librum, et de pagella in chartam, statuta mercede, transcribere opus censendum est servile, quum quandoque et ea transcribantur, quae a scribente vel parum, vel omnino nihil intelliguntur, proinde in die festo illicitum. Ita Dominicus Soto, Sylvius, S. Antoninus, aliique nobiliores Theologi. Pari ratione non licet diebus festis lineas pro notis musicis ducere, vel musicales notas transcribere, nisi fieret ad Dei cultum eodem die per concentus musicos reddendum. Typographicos vero characteres componere, et ordinare nimis laxae nonnulli benigniores Theologi licere putant, et ad liberalem artem revocant, quum nemo non videat opus esse omnino servile. Iter habere in die festo vetitum non est, sive quia non est opus servile, utpote commune servis, et liberis, sive quia ex consuetudine invecta permissum sit. Recte tamen monet S. Antoninus *Abstinendum ab itinere dietario, nisi necessitas cogat, aut aliud pium opus inducat.* Servile tamen opus est equum ducere, currum, navigium mercibus onustum, sicut et onera imponere, tollere, transferre. *Ad opus servile spectat*, ait S. Antoninus, *quum quis asinis, vel bobus defert blada, vel ligna, nisi necessitas urgeat.*

IV. *Piscatio, aucupium et venatio, num die festo vetita sit.*

Piscatio, aucupium, et venatio, quatenus a plebejis fiunt, sunt opera servilia diebus festis vetita. Et quidem de piscatione certum est, et declaravit Alex. III. cap. *Licet*, de feriis, qui eam tantum permittit ingruente necessitate, ob quam excusantur etiam piscatores, qui toto quadragesimali tempore in mari piscantur, ut de esurialibus cibis maritimas urbes provideant, sine quibus nec alii possunt cives, nec quadragesimalis abstinentia custodiri; cui accedit et tacitus consensus Praelatorum, qui hanc consuetudinem bono publico necessariam tolerant. Venatio pariter, praesertim clamorosa, etiam recreationis caussa, vetita est diebus festis, tum quia plurium operam requirit, tum quia a divino cultu multum abstrahit, et scandalo est populo rebus divinis intento. Si vero piscatio, venatio, vel aucupium fiant recreationis caussa sine labore et ministrorum opera, per breve tempus, non omissis pietatis officiis, lethalis peccati damnare non ausim; circumstantiae tamen sunt expendendae, et juxta illa ferendum judicium.

V. *Opera servilia ad Dei cultum pertinentia, quomodo diebus festis licita sint.*

Inter opera servilia, quae ad Dei cultum pertinent, alia sunt, quae proxime ipsum Dei cultum respiciunt, ut Altaria ornare, ce-

reos disponere, campanas pulsare, et similia; alia, quae remote tantum inserviunt, ut aulaeis templum ornare, tabulata pro musicis et cantoribus construere, hostias conficere, et similia, quibus adjungenda et ille, quae remotius adhuc ad Dei cultum pertinent, ut parietes Ecclesiae sarcire, vel dealbare, ligna ad ejus constructionem deferre, agros Ecclesiae colere. Primi generis opera omnino licita sunt diebus festis, ut docet S. Th. hic q. 122. a. 4. De operibus vero secundi generis optime scribit Cajetanus 2. 2. q. 122. a. 5. *Quaedam vero sunt praeparatoria, quae possunt praecedenti dies fieri, ut ornare templum, mundare illud, conficere hostias pro Missis celebrandis, et haec sine rationabili caussa non debent in die festo fieri .... sed debent congruo tempore, hoc est ante festum fieri, et non in die festo:* Non puto tamen lethalis peccati reos habendos, qui ista etiam eo die praestarent. Tertii vero generis opera, quum remote nimis ad Dei cultum pertineant, concessa non sunt in diebus festis, ac proinde qui ea adhiberent, a violatione festi non forent excusandi, nisi forte necessitatis gratia excusentur, sicut de aliis operibus servilibus dictum est.

VI. *Mercatus et Nundinae diebus festis, an sint concessae.*

Mercatus et Nundinas in die festo vetant Ecclesiae Canones. Quamobrem optandum esset, ut in toto christiano orbe ea induceretur disciplina, quam pro suo dominio sapientissime statuit Benedictus XIV. in sua Const. *Ab eo tempore* Bull. T. 1. n. 144., in qua mercatus a nundinis distinguens illos in diebus festis omnino vetuit, et transferendos indixit ad dies profestos, has vero tolerandas censuit, ita tamen, ut eo die apothecae claudantur. nec contractus fiant matutinis et vespertinis horis, quibus divina officia in Ecclesia celebrantur. Interim nundinas et mercatus, qui diuturna consuetudine et tacita Praesulum consensione inducti sunt et firmati, a culpa immunes dicunt communiter Doctores, qui tamen admonent Episcopos, et animarum Pastores ut attente vigilent, ne novi introducantur. Extra nundinas vero et mercatus non licet Mercatoribus in diebus festis nec emptiones, nec venditiones, vel permutationes suarum mercium celebrare, quum haec omnia sub mercatus nomine interdicta censeantur; sicut et illi festa violent, qui ea insumunt ad exigenda a debitoribus, quae sibi debentur, ne die feriali impediantur a lucro, quum hoc quoque, pars sit negotiationis. Vetitum vero non est rationes inire et subducere, dummodo tamen fiat sine mensuratione, libratione, numeratione mercium, quae extant.

VII. *Brevitas laboris diebus festis, num a peccato excuset.*

Brevitas temporis in servilibus operibus insumpti a lethali peccato excusat. Verum quanta sit brevitas temporis, quae a gravi violatione excuset, non ita facile est definire. Sunt autem quidam limites, inter quos sistere certe nonnisi veniale est, ut paucis minutis, vel per quadrantem horae servili operi incumbere, et e contra per quatuor, vel quinque horas operari certe gravem culpam esse nemo inficiabitur. Natalis Alexander, Wigandt, et Concina duarum horarum spatium sufficere docent ad lethale peccatum; laborem autem unius horae aperte a lethali excusant benigniores Theologi. Nullo vero modo a lethali excusantur, qui pluribus famulis laborem et

operam unius vel duarum horarum praecipiunt: licet enim quilibet fortassis nonnisi leviter peccet, qui tamen mandat, suo praecepto vult omnium laborem, illudque intendit, unde labor dispertitus in plures, totus colligitur in praecepto: vult igitur laborem et opus sex vel duodecim horarum juxta numerum servorum, vel simul, vel successive laborantium.

VIII. *Dispensatio Superioris a peccato excusat.*

Dispensatio, operantes serviliter in die festo, a peccato excusat: nam, ut docet S. Th. *Prohibitio operandi non est ita arcta in die Dominico, sicut in die Sabbati .... et ideo in quibusdam operibus facilius propter necessitatem dispensatur in nova, quam in veteri lege.* Porro de caussis justae dispensationis diximus in Tract. de lege. Hic itaque solum addimus, facultatem dispensandi in tota Ecclesia ab operibus servilibus ad Pontificem Sum. pertinere; in qualibet autem Dioecesi ad Episcopum; et etiam aliquo modo ad Parochos, qui scilicet nonnisi quum urget necessitas, et in aliquo particulari casu, quum facilis non est ad Episcopum accessus, et ad limitatum tempus dispensationem concedere valent. Hinc si dubium sit, num adsit justa necessitas operandi in die festo, ad Superiorem recurrendum est, ut ipse de necessitate judicans licentiam impertiatur. Item dispensatio est petenda, si opus sit publicum, et a pluribus praestandum. At si vera urgeat necessitas, et opus secreto peragatur, non est necesse, ut dispensatio petatur.

DISSERTATIO IV.

De Quarto Decalogi Praecepto.

Honora Patrem tuum, et Matrem tuam.

CAPUT I.

Explicatur hoc praeceptum; et agitur de honore et obedientia filiorum erga parentes.

I. *Quid designetur honoris nomine, et quaenam officia praecipiantur filiis erga parentes.*

Tametsi in suo praecepto Deus nonnisi de honore parentibus exhibendo mentionem fecerit; plura tamen filiorum officia erga parentes complexus est, quae ideo honoris nomine designavit, quia, ut scite observat Catechismus Concilii Trid. de 4. praec. n. 7. *In lege posita est honoris vox, non amoris, aut metus, etiamsi valde amandi, ac metuendi parentes sint. Etenim qui amat, non semper observat, ac veneratur; qui metuit, non semper diligit; quem vero aliquis ex animo honorat, item amat, et veretur.* Porro haec omnia officia ad quatuor reducuntur, nimirum, ut debeant filii parentibus amorem, venerationem, obedientiam, subventionem: quae officia praestare proprie non ad observantiam pertinet, sed ad pietatem, ut docet S. Th. 2. 2. q. 101. a. 2.

II. *Quinam parentum nomine designentur.*

Nomine vero parentum non solos designari carnales genitores, sed et eos, qui nobis aliquo modo praesunt, et nos regunt, quique

etiam patris nomine in Scripturis donantur, docet Catechismus Rom., et confirmat S. Thom. hic q. 102. Hujusmodi autem sunt, ut in laud. Catechismo enumerantur, 1. Praesules et Pastores Ecclesiae, et Sacerdotes, qui spirituales Patres merito ab Apostolo ad Cor. 1. c. 4. appellantur. 2. Summi Principes et Magistratus, necnon servorum Domini, qui aliorum curam vel publicam vel privatam gerunt. 3. Tutores, Curatores, et Magistri, qui locum patris obtinent, ejusque vices tenent, et eorum studio et officiis juvamur. 4. Denique senes, quos veneranda canities cum morum spectata bonitate conjuncta eos honore dignos reddit. Horum tamen cultus et obsequia non a pietate reguntur, ut optime docet S. Th. sed vel ab observantia, vel ab obedientiae virtute.

III. *Parentum officia erga filios.*

Sicut in hoc praecepto sancitum est, ut filii et coeteri subjecti parentibus et superioribus honorem habeant, pareant, obsequantur; ita isti officia sua erga filios ac subditos explere debent. Parentes porro filiis alimenta praestare debent, educationem et curam, sicut et alii superiores, qui patris nomen participant, ea debent implere munia, quae subditos spectant. Proinde et de officiis parentum erga filios agemus, sicut et de dominorum officiis erga servos, et fratrum erga sorores, et uxorum erga maritos multa in calce disputationis habebimus.

IV. *Amorem parentibus rependere debent filii.*

Quum a parentibus filii vitam, qua fruuntur, obtinuerint, illis amorem ex gratitudine rependere debent. Primum itaque officium est dilectionis et amoris; unde divino et naturali praecepto tenentur filii suos parentes sincero corde diligere, et actibus etiam exterioribus hunc amorem patefacere. Tenentur itaque filii parentibus bonum velle et optare tum spirituale, tum corporale, et orationibus a Deo impetrare. Prohibetur vero omne odium, abominatio, et detestatio, quum haec charitati opponantur, et pietati; et si vetita sunt erga proximos, longe turpius est istos pravos animi affectus in patrem concipere. Nec ab hoc amore eximuntur filii, licet parentes pravi sint et perversis moribus foedati, quum caussa amoris radicem habeat in praecepto tum naturali, tum divino, quod nullum discrimen ponit inter parentes pios et malos, sed omnes etiam discolos honorandos mandat et diligendos, tum in ipsa grati animi virtute, quae vitae beneficium acceptum amore rependendum statuit. Tenentur etiam ex hoc amoris praecepto eorum spiritualem salutem, quantum possunt, procurare, vel instruendo, si ignorantia peccent, vel reverenter monendo, ut resipiscant.

V. *Filii debent parentibus, cultum et reverentiam.*

Nomine honoris secundo loco designatur cultus et reverentia a filiis parentibus exhibenda, et jure meritoque ob dignitatem, quam habent, utpote Dei primi omnium parentis vicem gerentes. Unde sicut ad religionem pertinet cultum Deo exhibere, ita secundario gradu ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus et patriae. Hinc tenentur filii hanc reverentiam et in animo habere, et exterioribus etiam significationibus patefacere. In animo quidem, quia licet parentes ignobiles sint, infimaeque sortis, semper tamen respectu

filii habent dignitatem principii, ut observat S. Th. q. 102. a. 2. Exterius etiam debent hanc reverentiam geniti ostendere: nam, ut ait ibidem S. Th. *Honor testificationem quamdam importat de excellentia alicujus . . . . . Sed aliquis non potest testimonium ferre, nisi per aliqua signa exteriora.* Haec autem exteriora cultus et reverentiae argumenta sunt, si domi Patris sit, frequens ejus salutatio, si absens, visitatio, vel per litteras, vel per praesentiam, blanda allocutio, modesta interrogatio et responsio, et alia hujusmodi juxta Patriae morem, et personarum conditionem.

VI. *Debent quoque obedientiam ac subjectionem in iis, quae familiae regimen spectant.*

Tertio loco obedire debent parentibus filii, ut inculcat Apostolus ad Coloss. 3. *Filii obedite parentibus per omnia.* Et ad Ephes. 6. *Filii obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est.* Tenentur itaque filii ratione paternae praelationis in iis, quae pertinent ad curam domesticam obedire parentibus quando jubent, ne vestibus utantur supra sui status conditionem, ne nocte extra domum morentur, ne minores fratres verberent, ne ab urbe, vel loco discedant sine sua licentia, ne de rebus domesticis disponant donando, vel vendendo, ut stata hora domi sint, ut arti, vel professioni alicui incumbant, ut artem, et professionem, quam sunt amplexi, diligenter exerceant, vel aliqua praestent opera et negotia, quae ad familiae utilitatem conducant. Haec enim omnia, ut patet, ad rectum familiae gubernium pertinent. Non autem semper lethaliter peccare filios quum in his parentibus non obtemperant, nullus ambigit; at posse etiam lethaliter delinquere certum est. Spectandae sunt igitur circumstantiae tum rei praeceptae, tum patris praecipientis, tum familiae turbationis, fratrum et domesticorum scandali, damnorum, et nocumentorum inde obvenientium. Spectandus est etiam inobedientis filii animus, et pervicacia: in rebus enim etiam fortasse levioribus ex contemptu non obedire parentibus ad gravem usque culpam potest pervenire.

VII. *Filii debent obedire parentibus in iis, quae vitae disciplinam respiciunt.*

Tenentur filii parentibus obedire in iis, quae vitae disciplinam respiciunt, nimirum quum jubent, ut Sacramenta frequentent, catechesibus adsint, quotidianas recitent precationes, et quum istis vetant improborum societatem, etiam aliquo socio in particulari designato, nocturnas evagationes, ludos aleatorios vel illiberales, contractus iniquos, pecuniae etiam liberaliter datae consumptionem in rebus noxiis, vanis, inutilibus, suspectae domus frequentationem, vel impudicae foeminae amicitiam, et alia hujusce generis. Quum enim ista ad disciplinam et bonos mores ordinentur, et ea imperare possint, immo debeant parentes, illis obtemperare et filii tenentur. Multo magis obedire tenetur filia matri praecipienti, ne sola domo exeat, ne ipsa absente in domum viros ac juvenes introducat, ne ad fenestras vel accedat vel inibi diutius moretur, ne amasios alloquatur praesertim clam et noctu, ne literas munuscula recipiat, ne immodeste vestiat, vel pectus nudet, ne fucis et calamistris utatur, ut manuum labori incumbat, ut educationis gratia monasterium ingrediatur.

VIII. *Non tenentur filii obedire parentibus in iis, quae mala sunt etc.*

Non tenentur vero parentibus parere filii, si quae vel mala sunt, vel periculosa mandent, quum magis Deo sit obediendum, quam hominibus, v. g. non tenetur obedire filia matri suadenti cum juvenibus conversationem, vanos ornatus, choreas, et saltationes; immo nec a sancto virginitatis proposito dehortanti. Licet vero Filii in statu electione liberi sint, matrimonialem tamen statum amplecti non possunt sine consilio, et consensu saltem petito parentum, itaut peccent qui insciis parentibus et inconsultis, et multo magis invitis uxores ducunt. Ita communiter etiam benigniores Theologi, licet ambigant, num gravis culpa sit vel levis haec reverentiae omissio. Certe gravi peccato obstringi filios, qui ideo nec certiores faciunt, nec consulunt parentes de matrimonio, quia mulierem imparis gradus, vel infamia, aut alia dedecoris notam affectam sibi copulant, communiter docent Theologi: liquido enim constat, gravem irrogari in tali negotio injuriam parentibus, et graviter contemni. A gravi vero peccato excusant, si paris conditionis uxorem accipiant. Verum opposita sententia mihi probabilior apparet; quia quum ad patrem pertineat familiae regimen et gubernatio, jus habet, ut nihil magni momenti in ipsa fiat sine sua scientia et consilio. Et quis inficiabitur, esse rem magni momenti filii vel filiae matrimonium?

IX. *Peccant filii qui contra reverentiam Patris matrimonium elegerunt.*

Peccant etiam filii, qui matrimonialem statum delegerunt, contra reverentiam Patris, si sine justa et rationabili caussa eam ducere nolint in uxorem, quam ipsi parentes destinarunt ob magnum familiae bonum, ad pacta et concordiam firmandam, ad lites vel vitandas, vel dirimendas; quod et de filiabus dicendum est. Gravitatem tamen culpae absolute definire non audeo, sed pensandae sunt circumstantiae, et caussae sive objectivae, sive subjectivae hujus obsistentiae, quae culpam augere possunt, vel minuere.

Consectaria.

I. *Qui parentes graviter contristant, lethaliter peccant.*

Peccant, et quidem lethaliter, filii si parentes dictis vel factis graviter contristent: id enim charitati erga illos debitae adversatur. Item si de parentum infortuniis, vel alio damno laetentur et gaudeant, si illis haec mala exprobrent, immo si consolari et confortare recusent. Multo magis si parentibus mortem desiderent, vel de ea gaudeant, licet arbitrentur, se non de illorum malo gaudere, sed de bono sibi per hoc proveniente. Unde Innocentius XI. has propositiones damnavit, 14. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis haereditas:* et 15. *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate patrato propter ingentes divitias ex haereditate consecutas.* Ab his enim pravis affectibus abhorret pietas et charitas, quae vetat etiam quodcunque odium immo et quaecunque odii, irae, indignationis signa exteriora. Quamobrem graviter peccant filii, si parentes aspere et

dure tractent, torvis oculis aspiciant, eorum fugiant conspectum, declinent occursum, non salutent, vel resalutent, nisi forte, ut in puerilis contingit, a parentibus se abscondant, et salutare non audeant, non ex odio, sed ex timore vel reverentia. Peccant quoque lethaliter filii si parentes maledictis dehonestent, nisi forte ex repentina subreptione in maledictionis verba prorumpant. Item si contumeliosis verbis eos proscindant, vel talibus nominibus appellent, ob quae illos contristari sciunt. Hinc a lethali excusare non valeo filios, qui passim patrem stultum, fatuum, vel matrem stolidam, insanientem appellant, illis terga vertunt, eorum monita et verba irrident, si ob aliquem corporis vel animi defectum subsannent.

II. *Peccant qui parentes recognoscere renuunt, vel in eos manus injiciunt.*

Graviter quoque peccant filii, si parentes suos, qui pauperes et abjecti sunt recognoscere renuant, nisi in aliquo raro casu vitandi alicujus damni caussa, et secluso scandalo, forte excusentur. Peccant quoque, si in eos manus injiciant, laedant, verberent, prosternant, immo si solum manus elevent, baculum arripiant, gladium evaginent, quum bujusmodi actus gravem erga parentes irreverentiam praeseferant. Item peccant, si parentibus in civili foro injustas moveant lites, et si in criminalibus patrem accusent. Excipiuntur tamen communiter crimina haereseos, et proditionis Patriae, quum bonum communê et religionis privato bono praeferri debeat.

III. *Injuriae leves, facile graves evadunt illatae parentibus.*

Injuriae, contumeliae, aliaque oris peccata, sicut et injuriae factis illatae, quae fortassis in alios proximos levia essent peccata, in parentes admissae facile in lethale crimen transeunt, quia specialis et singularis praecipitur filiis erga parentes honor et reverentia. Pari ratione actiones et contumeliae, quae respectu proximi lethale peccatum constituunt, in patrem admissae vel duplicem sortiuntur malitiam, vel speciem peccati mutant, quia semper praeter virtutem, quam suo crimine violant filii, etiam pietas laeditur, et haec speciem dat omnibus eorum peccatis, proinde in confessione aperienda.

IV. *Non tenentur filii obedire parentibus a religioso statu eos avertentibus, vel impellentibus.*

Non tenentur filii vel consilium sequi, vel praecepto obedire parentis eos a religionis ingressu avertentis. Ita S. Th. hic q. 101. a. 4. Tenetur itaque filius parentibus suum exponere de religioso statu amplectendo consilium eorumque benedictionem expetere, quam si obtineat, prospere rem sibi cessisse gaudeat; si obsistant, debito filiali officio jam satisfecisse sciat, et religionem ingredi adhuc poterit sine ulla pietatis laesione; nisi forte gravi et extrema necessitas pressi auxilio et ope filii indigerent, ut docet S. Th. hic q. 189. a. 6. Non tenentur vero praecepto parentum obsequi, si illos ad religiosum statum impellant, quum juxta D. Th. Doctrinam, quam habet loc. cit., post annos pubertatis quilibet ingenuus libertatem habeat quantum ad ea, quae pertinent ad dispositionem sui status, praesertim in iis, quae sunt divini obsequii. Quod verum est, licet parentes voto se obstrinxissent offerendi filium vel filiam Deo in statu reli-

gioso, quum parentum vota filios non obstringant, nisi consenserint, vel confirmaverint.

CAPUT II.

De Parentum indigentia per filios levanda.

I. *Tenentur filii parentibus subvenire.*

Tenentur filii parentibus tum in spiritualibus, tum in corporalibus subvenire. Ita praecipit et ipsum jus naturale et divinum mandatum Eccles. 7. *Honora patrem tuum, et gemitus matris tuae ne obliviscaris .... et retribue illis quomodo et ipsi tibi.* Vi itaque hujus praecepti in spiritualibus subvenire debent parentibus 1. Si eos blasphemiis, impudicitiis, furtis irretitos sciant. Sacramenta negligere, tenentur per se vel per alios ad meliorem frugem revocare. 2. In rebus adversis confortare, in dubiis consulere. 3. Si infirmi sint visitare et consolari. 4. In periculo mortis constitutis auxiliari, et ut illis Sacramenta opportune administrentur, sollicite curare. 5. Monere, ut de rebus temporalibus disponant, nec impedire, ne testamentum condant, et pia, si voluerint, legato pro animae salute constituant. 6. Mortuos honorifice juxta status sui conditionem sepelire, aes alienum ab ipsis contractum solvere, legata cito implere, et si quid ab istis male partum sciant, prompte restituere. 7. Monita et mandata morientibus sibi relicta custodire et exequi. In his possunt filii vel venialiter vel lethaliter etiam peccare juxta materiam, circumstantias, et alia a perito Ministro attente pensitanda.

II. *Filii debent parentibus auxiliari in temporalibus.*

In temporalibus debent parentibus auxiliari. Hinc debent 1. eis in infirmitate constitutis inservire, vel, si possint, famulos qui hoc praestent officium, conducere, eorum sanitatem aeque ac propriam procurare. 2. Captivos, vel in carcere detentos, ut citius liberentur, satagere. 3. Si injuste opprimantur, vel graventur, pro virili tueri vel defendere. 4. Parentibus egenis vestes et alimenta pro sui status conditione, et juxta proprias vires suppeditare.

III. *In extrema necessitate filius, etiam regularis subvenire debet parentibus.*

Parentibus in extrema necessitate subvenire debent filii, in quocunque statu sint, omni meliori, quo possunt modo; et si religiosi sint, etiam claustro exire compelluntur: quia si ex praecepto charitatis tenemur proximo in extrema necessitate constituto auxiliari, multo magis obstringuntur ex pietate filii erga parentes; et in hoc conveniunt omnes Theologi. In gravi vero necessitate parentum, cui per alium subveniri non possit, filius nec potest, nec debet religiosum statum amplecti. Ita docet S. Th. pluribus in locis, et praesertim Quod lib. 3. q. 4, a. 3. et hic q. 101. a. 4. ad 4. Quod si filius jam sit per religiosam professionem divino mancipatus servitio, non tenetur e claustro egredi, ut gravi parentum auxilietur necessitati. Ita pariter S. Th. l. l. Sum. Ad quid ergo tenetur? *Tenetur*, ait S. D., *salva sui Praelati obedientia, et suae Religionis statu pium studium adhibere, qualiter ejus parentibus subveniatur.* Et loc. cit. ex Quod lib. 3. *Debet quantum potest, salva Ordinis obedientia, satagere, ut per se, vel per alium suis parentibus subveniatur.*

CONSECTARIA.

I. *Tenentur filii parentem indigentem alere.*

Tenentur filii patrem infirmum, senem, mente captum, si indigeat, alere, et de necessariis providere, etiam ex bonis propriis: ita enim postulat amor, pietas, et reverentia erga parentes in gravi necessitate constitutos. Quod officium praestare debent, licet parentes sint exilio proscripti, infideles, immo et haeretici, dummodo haeresis virus disseminare non tentent. Immo licet Pater possit sibi providere de necessariis artem vel laborem exercendo statui suo minime convenientem: nam contra pietatem esset ad hoc adigere parentem, cui a filio necessaria valent suppeditari.

II. *Filii tenentur Patrem in captivitate, vel carcere detentum liberare.*

Filius tenetur sub gravi peccato Patrem in captivitatem redactum vel in carcere detentum redimere et liberare non solum ex bonis statui suo, sed etiam naturae superfluis: nam si ex lege universali charitatis tenetur quilibet ex superfluis naturae in gravi necessitate constitutis auxiliari, quid amplius profecto debetur Patri, qui prae coeteris et supra coeteros est diligendus. In carcere vero et in captivitate constitutum parentem gravi urgeri necessitate nemo inficiabitur. Tenebitur igitur etiam quae naturae supersunt, in ejus liberationem insumere, et ad inferiorem, si opus sit, conditionem descendere.

III. *Licet e Claustro egredi ad subveniendum parentibus?*

Licet in gravi parentum necessitate non teneantur filii claustra deserere, ut illi auxilientur, cum licentia tamen Superioris egredi possunt; quia Religio potest cedere juri suo, et ob pietatem in parentes illius opem et auxilia filii iis egenis concedere. Duo tamen sunt prae oculis habenda: nimirum ne Superiores faciles sint ad hujusmodi exitus concedendos, qui plerumque in dedecus vergunt religionis; proinde si possunt de eleemosynis, quas solent pauperibus elargiri, parentum egestatem levare, hoc medio uti debent; et similiter religioso concedere possunt, ut in Claustro manens studendo, concionando, scribendo parentibus auxilietur, vel eleemosynas sollicitet. Ex parte vero Religiosi, iste quantum potest in seculo regularem disciplinam servare tenetur, religiosum deferre habitum, et sublevatis a necessitate parentibus ad claustrum ocius reverti. Exitus tamen iste non est concedendus ad succurrendum fratri, sorori, nepti, aliisque consanguineis.

IV. *Officia parentibus, etiam a filiis illegitimis sunt praestanda.*

Officia filiorum erga parentes sunt aeque praestanda a filiis legitimis, et ab illegitimis ac spuriis, quum utrique adstringantur naturae jure, et divini praecepti obligatione, et pietas utrosque urgeat. Quamobrem filii naturales tenentur parentes diligere, revereri, illis obedire, indigentibus subvenire, et coetera pietatis officia implere.

CAPUT III.

De officiis parentum in liberos, et primum de corporis cura.

I. *De parentum amore erga liberos.*

In Decalogo nihil de parentum officiis statuitur, quia ut animadvertit S. Th. 1. 2. q. 100. a. 5. ad 4., ipsa natura parentes erga

filios bene afficit; proculdubio tamen divina naturali lege sancita sunt parentum propria officia et munia Primum autem veluti generale officium, ex quo coetera profluunt et reguntur, est amor, quo genitos suos prosequi tenentur parentes omnes. Porro hic amor se exerit statim ac de filiorum generatione cogitant. Hinc primo curare debent, ut filiis sani et bene valentes in lucem prodeant: abstinere proinde ab accessu ad mulierem menstruae purgationis tempore, quum filii tunc concepti infirmi nascantur, ut docent Medici. Item cavere debent, ne uxores praegnantes affligant, contristent, vel percutiant, aut crucent cum gravi conceptae prolis periculo et detrimento. Matres vero tenentur foetum, quem in utero gestant, custodire, ne de vita et incolumitate periclitetur. Eapropter abstinere debent a gravioribus ferendis ponderibus, a laboriosis subeundis operibus; a saltationibus, choreis, ab immoderato vel noxio potu et cibo, a vestibus ferendis nimium corpori adstrictis, et coeteris omnibus quae conceptae proli obesse prudenter praevidere possunt, et debent.

II. *Matres filios tenentur nutrire lacte proprio.*

In lucem editae proli alimenta suppeditare tenentur, et primo quidem matres lacte suo nutrire debent infantes, nisi physico aliquo defectu, vel morbo impediantur. Quamobrem non sunt a culpa immunes matres, quae ob mollitiem, et ne pulcritudinem amittant, vel ut matrimonii onera vitent, natos filios nutrici extraneae lactandos tradunt, reclamante in eas ipsa natura. Non desunt propterea Theologi, qui gravis culpae accusant matres, quae absque legitima caussa onus detrectant sibi a natura impositum filios lactandi, quos gignunt, licet longe plures sint, qui excusant. Suae itaque consulant saluti matres, et in re saltem dubia quod natura dictat, sequantur. Tenentur vero, quae filios lacte suo nutrire renuunt, optimam et bene valentem nutricem studiose quaerere, in quo gravis negligentia ad lethale usque peccatum pervenire potest; quoniam ex infirma, infecta, et mala nutrice non levia redundare valent in tenerum pusionem mala, et incommoda.

III. *Parentes tenentur filiis alimenta tribuere.*

Tenentur parentes alimenta filiis praestare. Hoc tamen officium non aequaliter matrem adstringit et patrem, sed illa lac et alimenta filio debet usque ad triennium, pater vero cetera, quae ad filii sustentationem sunt necessaria, praestare tenetur. At si pater non sit par alendo filio, hoc onus subire tenetur Avus paternus, aliisque ascendentes, quibus deficientibus, obligatio ad ipsam matrem devolvitur, quae post patrem aliud est filii principium. Alimentorum nomine intelliguntur cibus et potus, vestimenta, habitatio, medicinae ad morbos depellendos, et alia bujusmodi juxta statum et conditionem tum parentum, tum filiorum. Quae tamen ut consequatur filius, tenetur cum parentibus vivere, in eadem domo manere, et sub disciplina patris, ideoque si sine justa et rationabili caussa paternam detrectet cobabitationem vel subjectionem, alimentis privari potest, quae tamen adhuc praestare tenebitur pater, si filius justis de caussis per judicem approbandis ab ipso cogatur recedere.

IV. *Debent aequae parentes praestare filiis, quae ad eorum statum sunt necessariae.*

Ad expensas etiam tenetur pater, quae ad studia peragenda, vel artes addiscendas, quae filiorum statum decent, sunt necessariae. Dotem etiam filiabus, quae nubere volunt dare debent parentes juxta familiae vires et conditionem, sicut et si religiosum statum velint amplecti. Si vero filia inscio patre nubat, vel cum digno et sibi pari nubit, et tunc dotem solvere debet genitor, quia licet gravem inferat parenti injuriam, haec tamen non substantiam, sed modum respicit matrimonii. Si vero indigno nubat et moribus et genere, sed post annum 25. dotem nequit denegare: parentis enim culpae vertendum est, si indigno nupserit, qui quum posset filiae suae consulere, et de statu providere, vel neglexerit, vel noluerit. At si ante an. 25. indigno, et reclamante patre nubat, dotem elargire non tenebitur parens, sed solum alimenta, si forte non babeat, unde vivat, et quidem naturae sufficientia, non statui conformia.

Tenentur parentes etiam filios erudire in artibus illis, scientiis, muneribus et officiis, quae eorum statui, capacitati, et conditioni congruunt. Debent etiam filios aequales, quantum fieri potest, reddere in bonis familiae, quae sunt aequaliter inter eos dividenda. Licet tamen patri aliquid amplius concedere filio, qui singularis benevolentiae signa, vel speciali in parentes affectu, aut assiduo labore, quo familiae bona auxit, id sibi promeruerit. Ad statum quoque aliquem eligendum filios et hortari, et urgere, ac adjuvari debent parentes; verum ad unum potius, quam ad alium cogere non possunt, quia in status electione liberi sunt filii, nec parentibus subjecti. Maximam proinde eis irrogarent injuriam parentes, si illos ad determinatum vitae genus, a quo abhorrere perspiciunt, cogerent: quod praecipue contingit, quum filios vel filias ad coelibem vitam vel in saeculo, vel in statu religioso ducendam obstringunt.

V. *Haec officia, etiam filiis spuriis sunt praestanda.*

Haec omnia officia sunt a parentibus exhibenda etiam filiis spuriis, illegitimis et naturalibus, licet non omnimoda aequalitate cum filiis legitimis. Tenentur itaque illis alimenta suppeditare ad vitae conservationem necessaria, licet non ea copia et splendore, ac si filii legitimi forent: debent filiam notham dotare, quum dos sit alimentorum loco, quae tamen danda est vel juxta leges et statuta locorum, vel spectata status congruentia. In testamentis condendis possunt, et debent parentes filiis nothis alimenta legare, quae, si in fundo aliquo constituantur, fundus ille post mortem filii non ad ejus haeredes transit, sed ad parentis haeredes revertitur. Potest etiam pater, deficientibus legitimis filiis, illis omnia bona legare, quae posset extraneo. At si filii legitimi supersint, nonnisi duodecimam partem legare potest. Attendendae sunt tamen Principum leges et statuta, si quae lata sint circa filios nothos. Sicut autem parentes alere debent filios spurios, ita etiam, servata proportione, et alia paternae sollicitudinis et curae munia et officia exhibere tenentur.

CONSECTARIA.

I. *Tenentes in lecto infantes cum periculo suffocationis, peccant lethaliter.*

Peccant et quidem lethaliter parentes, qui teneros infantes secum in lecto retinent ob periculum suffocationis, quod non raro occurrit; hic in aliquibus Dioecesibus hujusmodi crimen reservatum est. Nec expectanda oppressio, vel suffocatio infantis ad incautos hosce parentes reos habendos; sed sufficit, si contra legem eos detineant, et si periculum adsit suffocationis, quod semper adesse praesumitur, quum in lecto absque repagulis detinentur.

II. *Graviter peccant parentes qui cum possint alere filios, eos Hospitali alendos tradunt.*

Parentes, qui filios suos alere possunt, graviter peccant, si eos hospitali alicui alendos tradant. Violant enim in re gravi jus naturale filiorum, ut alantur a suis parentibus, et ad restitutionem omnino teneatur. Solum itaque a culpa excusari possunt, quando inopia et egestate pressi revera filios alere non valent. Qui autem filios suos alere possunt, sed ad vitandam matris vel necem vel infamiam eos hospitali tradunt, aut domibus piorum fidelium exponunt, non peccant quidem, quia non videntur cum tanto onere et periculo ad eos secum retinendos et alendos obstringi; tenentur tamen tum aliquo signo infantem notare, ut possint elapso infamine, vel vitae periculo filii educationi et alimoniae prospicere; tum ad restitutionem faciendam: praesumendum enim non videtur, pios fideles ideo bona sua hospitali esse largitos, ut avaritiae, et crudelitati parentum faverent, sed solum ut verae paupertati et necessitati opem ferrent.

III. *Legitimam filiis, parentes relinquere debent.*

Praeter alimenta, quae filiis debet parens, legitimam quoque ex haereditate sua portionem ipsis relinquere tenetur, nec illos ea privare potest, nisi in casibus in jure constitutis, de quibus mox dicemus: nec obtento divini cultus promovendi bona Monasteriis, Ecclesiis, locisque piis legare potest, quum non sint propter supererogationis opera, quae justitiae sunt et charitatis omittenda officia. Legitima vero, ut statuunt jura, constat tertia parte totius haereditatis, si filii sint quatuor vel infra; dimidia vero, si praefatum numerum excedant.

IV. *Quando non tenentur parentes alimenta filiis praestare.*

Alimenta non tenentur praestare parentes, quotiescunque filii vel sufficientia obtinent bona, vel artem callent non indecoram, vel officium vel munus in Republica sunt consecuti, ex quibus sibi de alimentis providere valent. Nec tenetur pater alimenta, quae fortassis injuste denegavit, restituere, si filius ea sibi comparavit mendicando, vel gratis ab alio obtinuit; si vero ob hoc alieno aere gravatur, ab illo eum liberare tenetur pater.

V. *Quando parentes possint alimenta filiis jure denegare.*

Alimentis privare, et exhaeredando legitimam filio subtrahere non possunt parentes, nisi titulis a jure constitutis, qui ad haec quatuordecim capita reducuntur, nimirum 1. si vitae paternae insidiatus sit. 2. Si paternum thorum violaverit. 3. Si patrem in judicio accusa-

verit, exceptis criminibus in Principem, et Patriam. 4. Si extra sui vel patriae defensionem manus in patrem violentas injecerit. 5. Vel gravi affecerit contumelia. 6. Si per delationem in judicium a filio fectam pater grave passus sit detrimentum. 7. Si patrem in carcere detentum non adjuvet. 8. Vel furiosi curam negligat. 9. Vel captivi redemptionem. 10. Vel testari volentem prohibeat, et impediat. 11. Si filia minor anni 25. oblatas a patre nuptias cum congruenti dote recusaverit, ut luxuriose viveret. 12. Si cum maleficis conversetur, vel maleficus sit. 13. Si histrionicam artem exerceat, quam tamen pater non profitetur. 14. Si haereticus sit, et pater catholicus. Quae expendenda Juristis relinquimus.

CAPUT IV.

De spirituali filiorum cura, et educatione.

I. *Tenentur parentes recte filios educare, et se illis exhibere exemplum bonorum operum.*

Non omne absolvunt parentes munus, qui solum de corpore et statu temporali filiorum curant, nisi eorum animum recta educatione componant. Immo illud minus principale officium, istud supremum et maximum. Primo itaque ubi natl sunt, Deo illos offerre debent, et sollicite curare, ut Baptismi Sacramento abluantur, gravissimi criminis rei coram Deo, si ex eorum negligentia sine tam necessario Sacramento decedant. Quando vero sit Baptisma conferendum sine Ecclesiae caeremoniis, et etiam ab ipsis parentibus, dicemus in Tract. de Baptismo. Tenentur deinde parentes se ipsos exhibere filiis exemplum bonorum operum: frustra enim eos vel instruerent bonis praeceptis, vel instruendos curarent, si postea factis et pravis exemplis corrumperent: nam, ut inquit S. Leo Serm. de jejun. *Validiora sunt exempla, quam verba.* Hinc gravi peccato scandali peccant parentes, qui coram filiis pejerant, blasphemant, cum uxore jurgantur, in se mutuo maledicta eructant et probra, qui alienam famam proscindant, qui de obscoenis vel ad rem uxoriam pertinentibus loquuntur, qui tabernas frequentant, et ebrii domum redeunt, et similia.

II. *Parentes debent instruere filios de rebus ad religionem, ac pietatem spectantibus.*

Tenentur quoque filios suos instruere de iis, quae ad Dei cultum, ad pietatem, et ad christianam disciplinam pertinent, proinde eos edocere Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, praecepta Decalogi, capitalia peccata, et coetera ad fidem et mores christianos pertinentia; et si forte ipsi nesciant, curare, ut ab aliis instruantur, proinde ad publicas catecheses non solum mittere, sed et consociare, ut Sacramenta frequentent invigilare, ut festis diebus divinis vacent; praecipue curare, ut quum pervenerint ad usum rationis, Confirmationis Sacramento muniantur, et congruo tempore ad sacram mensam accedant, proinde de optimo et studioso Confessario eos providere; in privatis sermonibus et colloquiis timorem Domini inculcare; Magistrum sive in scientiis sive in artibus, vel aliis ministeriis edocendis seligere non solum peritum et idoneum, sed pium et Deum

timentem, nec cuique obvio imbuendos tradere, et insuper vigilare, num proficiant in studiis et arte, num tempus terant, num Magistrorum dictis obsequantur. Vigilare quoque debent, quibuscum filii conversentur, quae adeant loca, quas colant amicitias, et ab omni prava societate, a locis suspectis, ab inhonestis amoribus summa cura avocare. Eapropter nec post quintum annum secum in lecto detineant, immo nec in eorum cubiculo, nec fratrem cum sorore in eodem cubili recumbere permittant.

III. *Tenentur quoque parentes opportune filios corrigere.*

Tenentur parentes filios suos accurate corrigere. Nihil frequentius et fortius inculcatur in Scripturis, quam filiorum paterna correctio. Prov. 23. *Noli subtrahere a puero disciplinam, si enim percusserit eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis.* Sit tamen correctio aetati et filiorum ingenio accommodata, ut sit utilis; sit proportionata qualitati et quantitati commissae culpae, ne sit perniciosa, et ad iracundiam provocet filios.

IV. *In electione status parentes filiis, consilium praebeant oportet.*

In electione status filios quidem dirigant, hortentur, illisque consilium praebeant, at eos minime cogant. Hinc frequenter peccant parentes, qui filiorum matrimonia impediunt; unde pessima oriuntur absurda, nimirum scortationes, adulteria, rixae, lites, dissensiones, indigni Sacerdotes, qui sub clericali veste animum nutriunt plane mundanum. Quando filii sponte regularem statum eligunt, tenentur parentes Religionis, quam ingredi cupiunt, et Religiosorum mores perscrutari; et si in Coenobio illo collapsam disciplinam, et laxatam regularem vitam, paupertatis custodiam, solitudinis amorem praetermissum agnoverint, filiorum electioni reluctentur, nec unquam suum praebeant assensum, ne dum aeternam salutem in tuto ponere arbitrantur filii, de illa quammaxime periclitentur. Peccant porro lethaliter, et anathemati subjiciuntur, qui filias reluctantes et invitas vel Monasterium ingredi, vel Religionis habitum induere, vel profiteri cogunt. Ita statuit Trid. Syn. sess. 25. de Regul. cap. 18.

Consectaria.

I. *Peccant parentes qui filios odio habent, vel maledicunt; sic matres quae filias immodeste ornant.*

Peccant lethaliter parentes, qui filios et filias odio habent, qui eis maledicunt, mortem cupiunt, contumeliis, turpibus et obscoenis verbis reprehendunt. Violant siquidem graviter charitatem et pietatem in filios, quos diligere tenentur. et christiane ad emendationem corripere, non crudeliter insectari. Peccant etiam matres, et frequenter lethaliter, quae filias suas studiose ornant, quae capitis comas petulanter compositas, et alia vana ornamenta eis procurant, vel concedunt, quae obtentu inveniendi meritum ad choreas ducunt, et ad publica spectacula, quae cum adolescentibus eas conversari sinunt, eorum munuscula accipere, quae, initis cum aliquo adolescente sponsalibus sponsum, et sponsam, idest lupum cum ovicula sinunt nocte ac die loqui, et libere conversari: haec enim omnia sunt libidinis incitamenta, et aleae plenae periculis, in quibus honestatem et pudicitiam frequenter amittunt.

II. *Peccant parentes, qui filios peccantes non corrigunt.*

Si filios suos in aliquod flagitium pronos, ut ludendi, pejerandi, luxuriandi, et similia, licet adolescentes, et aetate provectos non corrigant acriter, et reprehendant, peccant parentes, et quidem frequentissime lethaliter; nec satis est, si solis verbis admoneant, sed eorum petulantiam coercere debent, et severiori fraeno prohibere. Ad quos corrigendos et coercendos parentes etiam verbera adhibere possunt, moderate tamen, et non ex coeco irae impetu, sed ad emendationem charitatis studio. Ita docet S. Th. 2. 2. q. 65. a. 2. Id etiam parentibus licet in filios Clericos. Indicitur enim excommunicatio percussoribus Clericorum, *suadente diabolo*, idest temere, ex ira, animo nocendi. Porro Parentes sibi subjectos filios corrigere ac punire possunt, et debent; quamobrem si zelo justitiae, si ad filiorum utilitatem, si juste eos verberent, sicut culpam non committunt, ita nec excommunicationem incurrunt. E contra vero si ex ira, rabie, furore injuste filios verberent, sicut peccant, ita excommunicationem incurrunt, sive filii sint in minoribus, sive in majoribus Ordinibus constituti. Verum quidem est, quod poena infligenda est respectu habito ad personam, gradum, aetatem, et conditionem: quare illa, quae justa esse potest caussa, ut a patre vapulet filius pene puer in minoribus constitutus, injusta erit, et illegitima, ut vapulet filius jam aetate maturus, et in sacris Ordinibus constitutus. Res itaque est prudenti judicio expendenda. Parenti vero non licet filium in formali carcere nec perpetuo nec diuturno detinere, nisi ex consensu Principis; detinere autem clausum in aliquo cubiculo per breve tempus ad correctionem, vel ad impediendum flagitium, licet.

III. *Peccant parentes, qui filios illicitis modis a religioso statu avertunt, vel retrahunt; et quandoque in excommunicationem incurrunt.*

Peccant lethaliter parentes, qui dolo, vi, fraude, aliisque illicitis modis, ut omnes consentiunt, et sine justa caussa filios a statu religioso amplectendo impediunt; immo etiam qui id praestant precibus importunis. Licet enim hosce postremos a peccato excusent Suarezius, et Tamburinus, aliique ab ipsis citati; probabilior tamen cum Soto, Navarro, aliisque mihi opposita sententia est. Nam si parentes sine ulla justa caussa filios a religionis proposito avocent; id non efficiunt nisi carnali amore, et inordinato affectu: porro ex tam iniquo motivo a sancto proposito filium avocare. Dei cultum et gloriam impedire, filium spirituali bono privare, religionem nato fraudare, grave videtur damnum, proindeque lethale peccatum.

Qui vero puellas sine justa et rationabili caussa ab ingressu in Monasterium religiosum statum amplexuras impediunt, vel retrahunt, nedum peccant lethaliter, sed et excommunicationem incurrunt. Ita statuit Conc. Trid. sess. 25. cap. 18. de Regul. » Anathemati subjicit » S. Synodus eos, qui sanctam virginum, aut aliarum mulierum » voluntatem, veli accipiendi, vel voti amittendi quoque modo sine » justa caussa impedierint ». Licet vero mortaliter peccent, et anathemati subjiciantur, ut superius dictum est, qui filias, vel alias mulieres gravi timore, cadente in virum constantem cogerint ad Monasterium ingrediendum vel religionis habitum suscipiendum; non

peccant tamen, nec excommunicationem incurrunt parentes, qui filias, licet invitas, cogunt Monasterium ingredi educationis gratia, et ad tempus, donec de suo statu sponte et libere statuant. Nam licet Tridentina Synodus excommunicatione perterruerit a cogendis puellis vel mulieribus etiam ad solum ingressum in Monasterium; ex scopo tamen Concilii patet, talem coactionem anathemate puniri, quoties-cunque Monasterii ingressus ordinatur ad statum religiosum amplectendum, non vero ad alium rectum, justumque finem, puta optimam educationem. Ita sentiunt Navarrus, Suarezius, aliique nobiliores Theologi.

CAPUT V.

De mutuis Conjugum, Fratrum, et Sororum officiis.

I. *Maritus uxorem diligere debet juxta Apostoli monitum.*

Non ea hic expendenda sunt Conjugum officia quae matrimoniale debitum respiciunt, de quo dicendum erit in Tractatu de Sacr. Matrimonii. Ea hic solum expendenda officia sunt, quae mutuam societatem et contubernium respiciunt, quae ad tria reduci possunt, nimirum amorem, alimenta, individuam vitae societatem. Et 1. quidem uxorem diligere maritus debet, et quidem intensiori amore, ut docet S. Th. 2. 2. q. 26. a. 11., quippe quae illi maxima est conjunctione sociata. *Jam* enim *non sunt duo, sed una caro.* Hunc amorem quam maxime viris commendat D. Paulus pluribus in locis, ac praesertim ad Ephes. cap. 5. v. 22. docens: *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam .... Viri diligere debent uxores suas, ut corpora sua* etc. Hujus amoris argumentum, et non fallax signum erit, si alter alterius onera portet, et sibi invicem conjuges compatiantur.

II. *Debet maritus uxori alimenta, curam, regimen, et moderatam correptionem.*

Debet etiam maritus uxori alimenta: 1. ex justitia, si dotem accepit, quae ideo marito datur, ut uxori, familiaeque alimenta suppeditet: si vero non obtinuit, sed indotatam sponte suscepit, adhuc tenetur alimenta praebere, tum quia ipse sponte hoc onus sumpsit, tum ob obsequium, servitutem et beneficia, quae recipit ab uxore. Immo quando est uxor sub mariti obsequio, ab ipso est alenda, ideo sive dotata, sive indotata, si a viro sine justa caussa recesserit, poterit maritus alimenta denegare, quia ut alimenta suscipiat, debet vivere viri sub obsequio, illi famulari, et inservire. Quodsi recedat justa ratione, adhuc absenti et disjunctae conjugi alimenta debet maritus, quum disjunctionis vel caussa sit ipse maritus, vel uxoris necessitas, non voluntas; proinde ex neutro capite est alimentis privanda. Praeter alimenta debet etiam uxori maritus regimen, curam, tutelam, et etiam, quum opus fuerit, moderatam correptionem: haec enim omnia ad maritum pertinent, quippe caput est, et Superior uxoris. Quoad correptionem vero S. Th. in 4. dist. 35. a 2. ad 1. concedit marito, ut uxoris culpam punire possit *et verbis et verbere;* at verberatio et moderata esse debet, et raro, nec nisi urgente necessitate, et justa de caussa adhibenda.

III. *Conjugati simul cohabitare debent.*

Cohabitare debet maritus cum sua uxore; hoc enim est praecipuum conjugum officium. Hinc si viro ad cohabitandum uxori necesse foret a patre sejuugi, hoc praestare teneretur; quum parentibus debeat quidem amorem et honorem; at cohabitationem, et contubernium uxori. Eapropter grave crimen est, si sine justa caussa vel vir ab uxore, vel haec ab illo separetur, et praesertim privata authoritate, Cohabitare marito debet uxor iisdem legibus et pari modo ac ille, immo arctius adhuc, nam tenetur maritum domicilium mutantem sequi. Quando igitur mutare vir domicilium voluerit sive ob necessitatem, sive ob majorem utilitatem familiae, sive etiam quia exulare cogitur, ipsum sequi uxor debet, quum his vicissitudinibus se uxores in matrimonio contrahendo subjecerint. Sicut pari pacto, si uxor necessitate cogente domicilium mutare debeat, illam comitari, et sequi tenebitur maritus.

IV. *Uxor marito debet amorem, honorem, subjectionem, obedientiam, et quandoque etiam alimenta.*

Debet uxor marito amorem, honorem, obedientiam, et subjectionem, non solum quia foemina est, sed etiam et multo magis quia uxor: indictum est enim a Domino primae uxori: *Sub viri potestate eris*, et ipse *dominabitur tui*. Et D. Petrus epist. 1. cap. 3. *Mulieres subditae sint viris suis*. Quae subjectio, ut optime notat Apostolus, esse debet *ut oportet*, *et in Domino*, scilicet in iis quae ad vitam conjugalem pertinent, inserviendo marito, immo et toti familiae in parandis cibis, sarciendis vestibus, polienda domo, et in aliis hujus generis. Obedientiam quoque debet, haec enim subjectionem subsequitur; frustra namque superior esset maritus, si illi obedire uxor minime teneretur, et frustra familiam regere posset, si illa ejus imperium detrectaret. Alimenta quoque aliquando tenetur uxor viro suppeditare, quotiescunque vir sit paupertate pressus, et uxor dives sit, et bona habeat paraphernalia. Quum enim viri et uxoris tam arcta sit conjunctio, ut sint duo in carne una, quis non perspicit, neminem *carnem suam odio habere*, sed, ut dicit Apostolus, eam fovere et nutrire? Proinde arctissimo matrimonii vinculo teneri uxorem indigentem maritum ex bonis, quae possidet, alere et sustentare, nemo inficiabitur.

V. *Fratrum, et sororum mutua officia.*

Fratres et sorores praeter communem dilectionem, quam omnibus proximis debent, tenentur se speciali benevolentia prosequi ob intimiorem sanguinis conjunctionem. Debet frater sorori pauperi, et soror fratri indigenti necessaria ad vitam subministrare, et quidem non solum in extrema, et gravi necessitate, in qua cuicunque pauperi non subvenire peccatum esset contra charitatem proximi, consanguineis vero tam arcte conjunctis etiam contra pietatem; sed etiam quotiescunque non ea habent, quae ad decentem vitae sustentationem sunt necessaria. Hinc frater fratri indigenti debet alimenta praebere, et eas subire expensas, quae ad artem aliquam addiscendam suo statui congruentem sunt necessariae, sicut et sorori pauperi congruam dotem suppeditare; quod ex eo patet, quia deficientibus ascendentibus, et descendentibus, fratres et sorores sibi invicem ab intestato in haereditate succedunt, juri autem haereditatis respondet onus alendi et dotandi.

CONSECTARIA.

I. *Zelotypiae caussa, frequenter peccant mariti.*

Peccant, et aliquando etiam lethaliter, viri, qui ex nimia et imprudenti zelotypia uxores proprias divexant. Et quidem zelotypia ex nimio carnali amore proficiscitur, quamobrem nunquam culpa vacat. 2. Ex ea plura dimanant mala, suspiciones, temeraria judicia, rixae, dissensiones, jurgia, imprecationes, maledicta, et probra, quae familiae pacem turbant, et charitatem ac maritalem amorem minuunt, immo non raro penitus extinguunt. Quod autem de maritis dicimus et de uxoribus est intelligendum, quae si zelotypia abripiantur, morosae, molestae, agrestes fiunt viris suis, quos mirum in modum cruciant, et divexant.

II. *Uxorem corrigere, marito competit.*

Competit quidem marito uxorem corrigere, reprehendere, et etiam levi poena punire, quam usque ad levem verberationem dilatari posse ex S. Th. superius diximus; attamen peccare potest etiam lethaliter maritus, si uxorem vel non justa caussa vexet, reprehendat, percutiat; vel si etiam justa de caussa, tamen atrociter verberet, et praesertim si praegnans sit, lactans vel infirma.

III. *Non licet uxoribus, de rebus familiae disponere.*

Non licet uxoribus de rebus familiae disponere. Hinc peccant, si contra viri voluntatem bona familiae consanguineis, vel affinibus donent, vel in ludis, vestibus, ornatu expendant: nam dominium nullum competit uxori in res domesticas; et licet suae dotis dominium retineat, ususfructus tamen ad maritum pertinet. Gravitas vero peccati desumenda est a rei marito invito distractae quantitate, ab indigentia familiae, ab indole viri plus, vel minus potestatis uxori concedentis.

CAPUT VI.

De mutuis officiis dominorum, et servorum.

I. *Duplex servorum genus.*

Duplex servorum genus; alii enim servi dicuntur civiles et legales, alii conductitii. Priores subditi sunt dominis quoad personam; quae illorum obsequio, servitio, et utilitati mancipata est, unde dominis jus competit in personam servi. Posteriores vero, qui melius famuli dicuntur, solum ad quaedam tenentur opera praestanda juxta pacta et conventiones. Quamobrem dominus non in personam servi, sed in ejus tantum opera jus obtinet, et quidem non absolute, sed limitate in ordine ad pactum servitium, vel famulatum. Quadruplici titulo quis fieri potest alienus servus, nimirum 1. bello, 2. venditione, 3. origine seu nativitate, 4. crimine.

II. *Quotuplici titulo quis fiat servus.*

Bello justo capti, quum tanquam hostes occidi possint, possunt et libertate spoliari, unde servitus loco caedis substituta est. Immo et innocentes filii, et mulieres justo bello capti servi fiunt, quia licet occidi non possint, habentur tamen ut justa praeda victoris, quum eorum libertas inter devicti hostis bona computetur. Hoc tamen servitutis

genus inter Christianos abrogatus est, unde etiam justo bello capti tanquam obsides detinentur, donec vel pretio redimantur, vel per commutationem inter Principes liberentur. Quo tamen favore non donantur, qui infidelibus adversus Christianos belligerantibus auxilium praebent. 2. Titulus est venditio, quo quis se alteri accepto pretio vendit, et in mancipium tradit: quod non esse illicitum communiter docent Theologi, quum quisque suae libertatis dominus sit; gravis tamen et urgens necessitas vel caussa requiritur, proinde id fieri non licet sola intentione lucri, nec pater potest filium vendere lucrandi gratia, sed solum necessitate cogente. 3. Titulus est origo sive nativitas; hinc natus ex matre serva, licet pater liber sit, servituti obnoxius nascitur, nam filius conditionem ventris sequitur. 4. Titulus est crimen, tale scilicet, per quod quis mereatur vel morte puniri, vel perpetuo carceri mancipari. Proinde hanc poenam infligere nonnisi iis licet, qui summa pollent in Republica potestate.

III. *Servis alimenta suppeditare, tenentur domini.*

Istorum servorum domini tenentur illis alimenta suppeditare, nimirum victum, vestes, habitationem, aliaque ad vitam sustentandam necessaria. Tenentur etiam in spiritualibus ipsorum curam habere, eosque vel per se vel per alios instruere, de eorum educatione, conversatione, et moribus inquirere, eos etiam corrigere et reprehendere, et si opus est etiam verberare, et etiam ob gravia delicta recludere, et si fugitivi sint, aliqua nota signare, dummodo tamen fiat sine gravi laesione. Non licet tamen dominis eos vel occidere, vel atroci poena punire, quum jus in vitam et membra hominum soli Deo competat, vel supremis Principibus, nunquam vero privatis dominis. Non licet etiam dominis, servorum matrimonia impedire.

IV. *Dominis servi obtemperare debent.*

Servi vero tenentur dominis suis servire, obsequi, parere in omnibus, quae divinis, et ecclesiasticis legibus non repugnant. Excusantur tamen aliquando servi, si domino pareant in rebus Ecclesiae praeceptis adversantibus, quotiescunque grave malum ipsis immineat, vel timere possint, quum Ecclesiae praecepta cum tanto onere non obstringant; dummodo tamen omnis absit contemptus tum ex parte servi obedientis, tum ex parte domini praecipientis. Tenentur etiam dominorum suorum tum vitam, tum bona tueri et defendere, non tamen cum periculo propriae vitae, quum nullus teneatur vitam propriam alterius vitae praeferre. Denique quidquid acquirunt servi labore, arte, ludo, donatione, non ad ipsos pertinet, sed ad dominos. Ita statuunt leges omnes tum civilis, tum canonicae, quae servis omne adimunt dominium. Non ita tamen omni spoliantur servi dominio, ut nihil omnino possidere possint; sed aliqua valent adipisci, quibus etiam a servitute se liberent. Et 1. si ipsi domini aliquid servo libere donent, hoc in servi dominium transit. 2. Si dominus servum in vita, membris, et fama laedat, quorum dominium non habet, si alimenta necessaria deneget, tenetur recompensare: porro haec in servi dominium transeunt. 3. Si quis servo pecunias donet ea conditione, ut illis se redimat. 4. Si dominus servo concedat, ut pro se operetur, ut in sui utilitatem aliquid ludo exponat, his omnibus uti poterit tanquam dominus. 5. Si quis testamento onus imponat hae-

redi, ut servum liberet, jus habet servus ad hocce legatum, quo nequit a domino privari; quod si dominus venditionem recuset, pecuniae quidem non adipiscitur servus dominium; quum non absolute legata sit, sed ad solam liberationem, nec in dominium transit domini, sed pertinet ad haeredem.

V. *Famuli, quid praestare teneantur dominis, quid domini famulis.*

Servi vero conducti, qui tantum opera sua dominis locant, tenentur 1. dominis suis fideliter servire, et opera, ad quae conducuntur, solerter praestare. 2. Res sibi a dominis traditas custodire. 3. Illis debitum honorem praestare. 4. Justis jussionibus obedire. 5. Pacta et conventiones servare: Domini vero vicissim justam et operibus respondentem mercedem, et congrua alimenta rependere, quamdiu in eorum servitio manent. Num vero etiam quando in infirmitate impediuntur a servitio, probabilius negant Theologi, nisi intercesserit pactum. Hinc possunt domini jure et licite de mercede tantum sibi retinere, quantum in aegri famuli curam impenderint. Ita quidem, si rigide lex justitiae spectetur. Ex charitate tamen tenentur saltem illis ut pauperibus subvenire; immo exteris domesticos pauperes praeferre. 2. Tenentur servis tempus et facultatem concedere Sacramenta frequentandi, divina et ecclesiastica praecepta implendi, catechismus addiscendi, immo vel per se, vel per alios in rebus fidei, et legis divinae instruere. 3. Si ancillae sint virgines et puellae debent eas custodire, ab aliorum servorum familiaritate arcere, et ne solae domo egrediantur ipsis insciis, prohibere. 4. Verbis et levi etiam aliqua punitione corrigere et punire. 5. Opprimere tamen, vel ultra consuetum servitium et praeter pacta gravare non possunt. Quod si praestent, tenentur mercedem juxta laboris, et servitii incrementum augere.

CONSECTARIA.

I. *Num famuli fuga, valeant in pristinam regredi libertatem.*

Servis injusto bello captis, vel plagio venditis licet fugam arripere, quum servitus injusta sit. Qui vero se sponte in servitutem vendiderunt, a domino fugere nullatenus valent, quia violarent justitiam. Ita communiter Doctores, qui solum casum excipiunt, quo servus a furente domino necem vel mutilationem timeret, vel ipsum a fide catholica avertere tentaret, et minis, vel etiam promissis cogeret. Num vero qui bello justo capti sunt, fugere possint, dissident Theologi, Nobiliores inter eos docent, servitutem jure gentium inductam cum hac conditione, ut servi possint fuga libertatem recuperare. Et revera in jure tit. de rerum divisione statuitur. §. Item ea: *Liberi homines bello justo in servitutem nostram reducantur, qui tamen si evaserint, ad suosque reversi fuerint, pristinum statum recipiant.* Num autem servi poenae possint fugere, ambigunt Theologi. Et quidem, si jus absolute spectetur, licita non apparet fuga, quum eorum servitus et justa sit, et Principibus ac dominis juste punientibus rei subjici debeant. At, si tacitus inspiciatur Principum, et Rerumplicarum consensus, qui hujusmodi transfugas nec puniunt, nec restituunt, nisi in atrocioribus criminibus juxta pacta et conventiones, non videtur illicita fuga; et certe non sunt cogendi ad servitutem rursus subeundam.

II. *Num famuli teneantur, bona domini custodire.*

Famuli bona dominorum suae custodiae et curae commissa ita custodire debent, ut si eorum culpa pereant, ad restitutionem teneantur: illi vero, quibus cura specialis non est commissa, solum ex justitia debent impedire, ne bona domini ab extraneis rapiantur, non vero furta domesticorum. Illis enim specialis custodia ex pacto commissa est. Hi vero non ad specialem custodiam, sed ad domus officia et servitia implenda conducuntur, adeoque saltem ex munere famuli ad eam rerum domini universalem custodiam et curam tenentur, quae extraneos ex charitate obstringeret, cujusmodi est ab extraneis furibus tutari, proinde ex justitia, quum obligatio servi ad dominum et vicissim ex justitia consurgat, at ad custodiam peculiarem, per quam etiam a domesticis furibus tuentur, non teneri ex justitia censeo.

III. *Famuli res dominorum, sibi usurpare nequeunt.*

Famuli, quibus certa congrua cibi vel potus mensura ex pacto condicta est, nequeunt sibi mensae reliquias, vel alia sive exculenta, sive poculenta surripere, nisi haec vel a domino concedantur, vel concedi juste praesumantur: quidquid enim sibi ultra mensuram pactam et congruam attribuunt, contra voluntatem domini usurpant. Famuli vero, quibus nulla est assignata cibi vel potus mensura, ea tantum sibi valent arripere, quae justae eorum sustentationi, et statui congrua sunt; si vero ultra congruum ad victum et vestitum quidquam sibi usurpent, peccant, et ad restitutionem tenentur.

IV. *Justa merces est famulis persolvenda.*

Justam tenentur mercedem domini famulis suis persolvere, sive de mercede convenerint, sive nullum sit initum pactum. Cujus mercedis aequitas et justitia pensanda est ex consuetudine et praxi, spectato labore, officio, et munere famuli et etiam conventione et pacto cum domino. In quo tamen injustitia locum habere potest, si dominus famulum egentem, et necessitate pressum conducat minori pretio, quam ejus labori et servitio conveniat, et licet ipse famulus consentiat, ex necessitate tamen assentitur: quare tenentur domini illos de illato damno, et injusta diminuta mercede sanciri. Absit tamen, ut famulis ipsis jus compensationis concedamus, de quo suo loco disputabimus.

V. *Domini, famulos nequeunt a famulatu repellere intra praefinitum tempus; nec famuli discedere.*

Domini, famulos ad praefinitum tempus, v. g. ad annum, conductos absque justa et rationabili caussa dimittere non possunt; quod si dimittant, certe quandoque integram tenentur persolvere mercedem, videlicet saltem si famulus alium non inveniat dominum, quia in hoc casu famulus grave subit detrimentum, et per ipsum non stetit, quin constitutum praestaret famulatum. Famuli et ipsi, qui opera sua ad tempus locarunt, violant justitiam, si sine justa caussa a dominis recedant.

CAPUT VII.

De mutuis Ecclesiasticorum erga Laicos, et Laicorum erga Ecclesiasticos officiis.

I. *Ecclesiastici bonum exemplum laicis exhibere debent; et a secularibus negotiis se abstinere.*

De Ecclesiasticorum et Pastorum officiis erga seculares et subditam plebem nonnulla diximus in Tract. de Beneficiis, alia etiam dicemus in Tract. de Sacr. Ordinis. Hic igitur nonnisi generaliora quaedam attingemus. Tenentur itaque primo Clerici omnes et Ecclesiastici erga laicos se exemplum praebere bonorum operum. Debent a secularibus negotiis abstinere juxta Apostoli Monitum: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*, » multoque magis caveant, ut » jubet Trid. Synodus, a comessationibus, aleis, ludis cum secula- » ribus ». A mulierum quoque conversatione, frequenti colloquio, et familiaritate abhorreant. Peccantes, praecipue in aliorum offensionem prudenter, et simul fortiter, et omni abjecto humano respectu corrigant.

II. *Pedagogi, sive Magistri officia.*

Si Pedagogi, seu Magistri sive publici sive privati onus suscipiant, 1. oportet, ut optime calleant, quae pueros suos docere volunt, alioquin a munere suo deficerent. 2. Puerorum ingenium explorent tum quoad scientias et artes, tum quoad mores, ut vitia in illis emendent, et si quod forte virtutis semen in ipsis inspiciant, fovere studeant, et promovere. 3. Severiores sint in corrigendis erroribus contra mores, quam contra scientiam. 4. Denique omnia ea arceant a discipulis, quae mores labefactare, et animum valeant corrumpere.

III. *Parochi, et Pastoris munia.*

Si vero Pastoris, vel Parochi munus assumant, tenentur oves suas pascere, et 1. quidem exemplum bonorum operum sese illis praebere, videlicet ea quae mox diximus de omnibus Ecclesiae ministris, multo magis Pastoribus conveniunt, quum de illis praesertim dixerit Apostolus Timotheum instruens: *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* Nihil enim horrendum magis in Ecclesia Dei contingere potest Pastore et Parocho, qui scandalo gregem suum afficiat, et offendat. 2. Debent pascere verbo, in qua voce omnia clauduntur exteriora erga sibi commissam plebem munia, nimirum Sacramentorum administratio, catechistica instructio, moralis concio, clericorum educatio, devota ecclesiasticarum functionum celebratio, dissidentium reconciliatio, errantium correctio, scandalorum eradicatio, infirmorum solers visitatio, in mortis articulo assistentia, defunctorum sepultura. Haec Pastoris officia hic potius indigitamus opportune suis locis latius exponenda.

IV. *Pastores et Parochi, praedicationis officium per se exercere debent.*

De officio duntaxat praedicationis ea hic proferam, quae sanxere Concilii Trid. Patres sess. 5. de Reform. cap. 2. » Archiepiscopi, » Plebani, et quicunque Parochiales, vel alias curam animarum » habentes Ecclesias quocunque modo obtineant, per se, vel per

» alios idoneos (si legitime impediti fuerint) diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua et earum » capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quae scire » omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum » brevitate, et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare et vitare, » et virtutes, quas sectari oporteat; ut poenam aeternam evadere, » et coelestem gloriam consequi valeant ». Hinc meo videri, suo non satisfaciunt muneri Pastores, qui nunquam populum instruunt, docent, et numquam illis verba salutis annunciant, eo nomine, quia hoc ab aliis sive secularibus sive regularibus concionatoribus ad hoc etiam conductis praestatur: quandoquidem ad ipsos praesertim hoc onus incumbit, et per ipsos est implendum.

V. *Laicorum officia erga Ecclesiasticos et Pastores.*

Laici vero Ecclesiasticis viris, et praesertim Parochis et Pastoribus suis amorem, honorem, et reverentiam exhibere tenentur. Debent propterea hujus amoris et reverentiae exteriora etiam praebere argumenta, verbis honorificis alloqui, honorabiliorem locum cedere: nam ut scribit S. Jo. Chrysost. hom. 7. in Matth. *Sacerdotes Christi vicarii sunt: qui honorat Sacerdotes Christi, Christum honorat.* Tenentur etiam fideles Pastoribus suis in rebus ad suae salutis curam pertinentibus obedire, ut jubet Apostolus: *Obedite praepositis vestris, et subjacete illis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Denique subsidia suppeditare debent, primitias, decimas, et alia iis debita alimenta exacte persolvendo, ut dicemus suo loco.

CAPUT VIII.

De mutuis officiis Principum, et subditorum.

I. *Quem finem respicere Princeps debeat in suo Regimine.*

Tenetur Princeps, ut docet S. Th. in Opusc. de Regimine Principum lib. 1. cap. 14. hunc finem in suo regimine sibi praefigere, nimirum, ut multitudo sub ipso congregata vivat secundum virtutem, ipsiusque multitudinis bonam vitam procuret. Porro tria in hunc finem statuit Angelicus maxime Regibus attendenda, 1. *Quod Ministros semper habeat idoneos, ut per eos secundum gradum personarum distinguantur officia, distribuantur opera, et administrentur necessaria sive in Regno, sive in quacunque Republica, et secundum merita cujuscunque in ea contenti.* 2. *Ut suis legibus et praeceptis, poenis, et praemiis homines sibi subjectos ab iniquitate coerceat, et ad opera virtuosa inducat.* 3. *Ut multitudo sibi subjecta contra hostes per eos tuta reddatur.*

II. *Principes ad officia promovere debent digniores.*

Ad rectam ministrorum electionem duo requiruntur. 1. Ne officia indignis conferantur: hoc enim esset in subditorum, et Reipublicae perniciem. Quare pene omnes Theologi lethale esse peccatum docent indignos ad quaecunque officia et ministeria promovere. Num vero etiam digniores teneantur prae dignis eligere, disputant Theologi. Ego distinguendum censerem inter munia et officia, quae jurisdictionem, regimen, et potestatem conferunt in subditos, et quae meram

adferunt mandatorum Principis exequutionem. Priora nonnisi dignioribus esse conferenda censeo: nam revera ita postulat bonum commune, quod maxime ab his ministris pendet, et quum homines regere et moderari difficilimum sit, nonnisi a dignioribus et aptioribus sufficienter valet impleri. Quod verum puto sive haec officia ab uno supremo Principe, sive a pluribus, puta Regali Senatu, distribuantur. Officia vero, quae vel immediatum ipsius Principis personae spectant servitium, vel solum mandata Principis, deferunt, possunt etiam dignis conferri, quum non proxime bonum commune spectent, sed remote; nisi forte baec officia in praemium darentur meritorum et laborum: tunc enim, ne distributiva violetur justitia, sunt digniores dignis praeferenda.

III. *Doctrina S. Thomae de Officiorum venditione; num licita urgente necessitate.*

Num vero praefata officia vendere liceat, quaestionem resolvit D. Th. in Opusc. 21. ad Ducissam Brabautiae, quod ipsius genuinum opus agnoscunt Critici peritiores; docetque 1. Officia temporalia objective spectatâ esse posse materiam venditionis, quia, inquit, *non venditur nisi temporalis officii potestas.* 2. In praxi tamen non licere ea vendere ob plurima, quae merito timeri possunt, et inde frequentissime redundant incommoda, praesertim quando ea venduntur officia, quae jurisdictionem, potestatem, et regimen afferunt: tunc enim facillimum est, immo moraliter certum, emptores ad solutum pretium recuperandum justitiam vendituros, pauperem oppressuros, crimina condonaturos, et aliis modis subditos oppressuros. Quodsi aliqua urgente, et premente gravi necessitate non aliud adsit remedium ad Reipublicae succurrendum, nisi officiorum venditio, duae sunt conditiones a S. Th. positae sedulo custodiendae, nimirum 1. ne officia nisi dignis, immo dignioribus vendantur, et qui sint non sibi lucrum quaerendo, sed Reipublicae, ejus bonum procurando, utiles: 2. Ut moderato vendantur pretio, tum ne ementes ansam arripiant, ex rigoroso pretio justitiam violandi, tum ut facile, gravi transacta necessitate, ab emptoribus recuperari valeant.

IV. *Justitiae tum distributivae, tum vindicativae custodia Principibus commissa.*

Alterum officium ex S. Th. Principibus commissum est justitiae tum distributivae, tum vindicativae fidelis custodia. Tenentur proinde Principes praemia pro meritorum qualitate hene de Republica meritis debita rependere, sicut et malefactoribus poenas pro meritis infligere. Nec in his est diutius immorandum, quum plura in Tract. de Virt. et in Tract. de Officiis hominum dicta sint.

V. *Subditos ab inimicis tueri debent Principes; ac quaenam justi belli conditiones.*

Tertium munus est subditos ab extraneis hostium molestiis tueri et defendere; unde licet supremis Principibus bellare. Et quidem justa esse posse bella ostendit sacra Scriptura, in qua et Deus ipse bella indixit, et indicta a Regibus laudavit. Ad justum vero bellum tres requirit D. Th. conditiones 2. 2. q. 40. art. 1. nimirum 1. ut fiat *auctoritate Principis*, cujus mandato bellum gerendum est. Hinc solum supremi Principes, et Respublicae bellum indicere possunt.

2. » Requiritur, inquit S. Thom., caussa justa, ut scilicet illi, qui » impugnantur propter aliquam culpam impugnationem mereantur ». Quamobrem non licet bellum inire ad imperium dilatandum, ad vicinos opprimendos, ad populos expoliandos, et in captivitatem deducendos: haec enim sunt latronis scelera, non justi Principis officia. 3. » Requiritur, ut sit intentio bellantium recta; qua scilicet » intenditur vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur ». Quae rectitudo intentionis profecto deficit, quotiescunque bellum nimia saevitia et crudelitate exercetur, et vindicta culpam superat, vel ultra protenditur bellum, quam ratio et justitia postulet.

VI. *Quomodo liceat Clericis et Ecclesiasticis bello interesse.*

Licet Clericis, et Ecclesiasticis viris praellis interesse, ut docet S. Thom. loc. laud. art. 2. ad 2. *Non quidem ut ipsi propria manu pugnent, sed ut juste pugnantibus spiritualiter subveniant, suis exhortationibus, et absolutionibus, et aliis hujusmodi spiritualibus subventionibus.* Verum illis pugnare vetitum est, quia, ut ipse docet in corp. *Bellica exercitia maxime repugnant illis officiis, quibus Episcopi, et Clerici deputantur.* Excipiendum tamen, si necessitas urgeat patriam et cives defendendi in obsidione injusta.

VII. *Officia Subditorum erga Principes.*

Subditi vero Regibus, Principibus, et supremis Rebuspublicis honorem debent, subjectionem et obedientiam praestare: *Deum timete,* ait S. Petrus epist. 1. cap. 2. *Regem honorificate.* Paulo ante dixerat: *Subjecti estote ..... Regi quasi praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis.* Et S. Paulus epist. ad Tit. 3. *Admone illos Principibus et Potestatibus subditos esse, dicto obedire.* 1. Itaque tenentur subditi pro Principum suorum incolumitate orare, scribente Apostolo 1. ad Timoth. c. 2. *Obsecro primum fieri obsecrationes, orationes, postulationes ..... pro Regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt.* 2. Debent Principi periclitanti suppetias ferre, in rebus adversis constanter adhaerere, et si quas noverint contra eos insidias, statim prodere. 3. Justas eorum leges fideliter custodire. 4. Temporales sumptus ad Reipublicae regimen, tutelam, et conservationem necessarios, scilicet tributa, vectigalia, census, decimas fideliter debent persolvere, nec ullo colore, vel obtentu fraudare, ut jussit Christus: *Reddite, quae sunt Caesari Caesari, et quae sunt Dei Deo.*

Consectaria.

I. *Non licet bellum indicere, nisi urgentissimis de caussis.*

Non licet Principibus bellum indicere, nisi urgentissimis de caussis. Innumera enim sunt, gravissima, et intolerabilia, quae ex bellis oriuntur mala, et ideo bellum inter flagella, quae a Deo immittuntur, ab Ecclesia enumeratur. Porro legitimus bellandi titulus erit ultio gravissimae injuriae, tunc enim bellum est actus vindicativae justitiae. 2. Violatio juris gentium in occisione, vel contumelia Legatorum Principis. 3. Ad iniquas subditorum seditiones comprimendas. 4. In defensionem confoederatorum. 5. Si innoxius transitus denegetur. 6. Denique ad repetendum, quod sibi stricto jure debitum est. Hinc injusta sunt bella, quae pro alieno usurpando indicuntur, quae sine necessitate suscipiuntur. Item si bellum nimia saevitia et crudelitate exerceatur.

II. *Si justâ habeatur satisfactio, a bello cessandum est.*

Debent Principes ita bellum indicere, ut, si debita exhibeatur satisfactio, ab ipso cessent, oblatamque congruam satisfactionem acceptare teneantur; necnon bellando cavere debent, ne majora inferantur damna, quam patiatur justitia. Omnia sunt praemittenda, quae bellum impedire valent, cujusmodi sunt indictio belli, satisfactionis petitio, et ejus oblationis acceptatio, alioquin non justum foret bellum, nec ex necessitate, sed a nocendi cupiditate, et libidine dominandi oriretur. Immo si bellum inchoatum sit, et justae pacis conditiones exhibeantur, a justo Principe acceptari debent. Cavere proinde debent Principes belligerantes, ne bellum in terris fiat populorum innocentium, qui nullam bello caussam dedere, ne debellatas urbes militum direptioni permittant, nisi sceleris immanitas hoc crudele supplicii genus promereatur; quod tamen a pio Principe potius est mitiori poena puniendum: nam in depraedatione urbis tot et tanta committuntur flagitia, scelera, et in Deum sacrilegia, quae ne quidem a piis Ducibus impediri queunt, ut satius sit aliquid de proprio jure cedere, quam tam rigorose illud vindicare.

III. *Num liceat Principibus foedus inire cum infidelibus.*

Licet absolute et objective illicitum non appareat, praesertim gravi urgente necessitate, foedus inire cum infidelibus et haereticis ad justum bellum contra Christianos et Catholicos; in re tamen, et in praxi illicitum esse pronunciare possumus propter innumera, quae sequuntur fidei et religioni damna et scandala, ut Ecclesiarum profanatio, Templorum eversio, sacrorum proculcatio, fidelium perversio, et alia hujusmodi.

IV. *In bello innocentibus parcendum.*

In bello justo innocentibus parcere Principes debent: nam sicut illi nullam supponuntur vel bello caussam dedisse, vel praeliis se immiscuisse, nullam quoque vel poenam vel damnum subire debent. Innocentes vero duplicis classis esse possunt, alii jure naturae, ut pueri, mulieres, senes, qui nec manu, nec consilio bello queunt cooperari; alii ex praesumptione, ut rustici, Clerici, et Religiosi, qui ex eorum statu non praesumuntur bellis cooperari. Per accidens tamen possunt quandoque Principes etiam innocentum caedes permittere, dum nimirum aliter victoria obtineri nequit, ut quum bombardis, cuniculis, missilibus ignibus oppugnatur Civitas, vel mergitur navis hostilis.

V. *Belli Duces, in quibus peccent.*

Peccant lethaliter Duces belli, si militarem disciplinam custodire omittant, et milites a rapinis, stupris, praedationibus, aliisque flagitiis condignis poenis non arceant; immo ad restitutionem tenentur, quum haec ex officio suo impedire teneantur. Multoque gravius peccant, si stipendii partem militibus rependendi sibi retineant. Item peccant lethaliter, et ad restitutionem tenentur, si minorem militum, pro quibus stipendia accipiunt, numerum habeant, et in lustratione militum ficta nomina, vel fictos milites exhibeant.

VI. *Quibus liceat militare.*

Quilibet privatus, cui ex aliquo capite interdictum non est armorum sumere exercitium, licite valet sub suo Principe bellum exercere,

modo sibi aperte non constet de injustitia belli. Ita docet S. August. lib. contra Faustum cap. 74. Excusatur siquidem subditus in bello, de quo justitiam ignorat, obedientiam proprio Principi praestando, nec ad subditos pertinet jura Principi expendere. Si vero subditus non sit belligerantis Principis, tenetur belli justitiam expendere, et de ea certus sit oportet, ne peccet bellando, et periculo se exponat cooperandi actioni iniquae.

VII. *Non possunt milites a justo bello deficere.*

Non possunt Milites a justo bello deficere, et mortaliter peccant, si in bello strenue non consistant et pugnent, si nonnisi desperata victoria fugiant, aliis timorem incutiant. Tenentur quoque etiam, cum periculo vitae stationem tenere, arcem et castra sibi commissa defendere, quamdiu spes adsit defendendi; sicut et servare omnia superioris mandata in ordine ad bellum, et rem militarem, nec sine eorum consensu a castris, vel exercitu discedere, multoque minus aufugere, quum ex justitia ad haec omnia adstringantur.

VIII. *Non licet subditis Principum vectigalia fraudare.*

Non licet subditis statuta a Principibus vectigalia, sive pro mercedibus, sive pro victuariis fraudare vel in toto, vel in parte: sicut nec vetitas merces introducere, aut extrahere, et alio transferre: nam jus habet Princeps justa vectigalia pro sua et status conservatione a subditis repetendi. Hinc si fraudent lethaliter peccant pro gravitate materiae, et ad restitutionem tenentur. Multoque gravius peccant, si ejus ministros et satellites pecunia corrumpunt, vel eorum opera et ministerio ad vectigalia fraudanda utantur, quum sint in caussa peccati ab ipsis patrati. Ipsi vero satellites et ministri duplex peccatum peccant et contra fidelitatem, quam Principi debent, cujus stipendiis vivunt, et aluntur, ut vectigalium fraudatores denuncient, et ab eis merces auferant; et contra justitiam, quum damnum Reipublicae inferant, quod sarcire tenentur. Similiter leges, quae jubent, ne quaedam mercium genera in civitatem introducantur, et alia minime asportentur ab urbe, in conscientia obligant, quum sint verae leges in commune bonum ordinatae, quae non solum ad poenam obligant, sed et in foro conscientiae, et coram Deo. Recolantur, quae diximus Tract. 1. de Legib.

DISSERTATIO V.

De quinto Decalogi Praecepto.

Non occides.

CAPUT I.

De Omicidio.

I. *Quid et quotuplex sit homicidium.*

Homicidium quinto Decalogi praecepto vetitum *est injusta occisio hominis:* Dicitur *injusta;* haec enim proprie homicidium est hoc praecepto vetitum, sive publica fiat, sive privata auctoritate: quum et supremi Principes sua abutentes auctoritate valeant injusta occi-

sione homicidii crimen perpetrare ut patet in Davide, qui innocentem Uriam occidi jussit. Homicidium 1. vel esse potest sui ipsius, vel alterius hominis. 2. Vel a privata auctoritate progrediens, vel a publica. 3. Vel voluntarium, vel necessarium, vel casuale. Necessarium dicitur homicidium, quum vel publica imperatur potestate, vel a necessaria sui defensione indicitur. Casuale, quod omnino praeter intentionem et voluntatem contingit. Voluntarium vero multipliciter habetur, et quidem 1. directe, quum quis subita ira proximum interficit. 2. Si fiat animo auferendi vitam et honorem, quod latrocinium appellatur. 3. Si ex insidiis quis alterum occidat amicitiam simulando, quod proditorium dicitur homicidium: ad quod revocatur veneficium, quo alteri mors infertur; necnon abortus foetus animati. 4. Per conductionem sicarii, eo nimirum utendo ad proximum enecandum, quod dicitur assassinium. 5. Vel ad duellum provocando, ex quo vel alterutrius, vel utriusque pugnantis mors sequatur. Porro quum haec homicidii genera specialem secum afferant deformitatem, sunt in confessione aperienda, ut infra dicemus. Indirecte vero voluntarium dicitur, quando licet mors non sit in se volita, voluntarie tamen talis ponitur caussa, ex qua mors sequitur; ut si quis mulierem praegnantem pedibus conculcet; graviter percutiat, unde sequatur abortus; vel tormentum bellicum explodat in loco, ubi plures adsunt, unde alicujus mors sequatur.

II. *Licita est occisio hominis publica auctoritate imperata: Non tamen si Princeps sit Clericus.*

Hominis occisionem publica auctoritate imperatam licitam esse nemo est, qui ambigat, dicente Apostolo ad Rom. 3. de Principe: *Non enim sine caussa gladium portat, vindex in iram ei, qui male agit.* Principibus supremis, si Clerici sint, non licere jus sanguinis in facinorosos exercere docet et probat S. Thom. 2. 2. q. 64. a. 4. Possunt tamen, si in subditos jurisdictione polleant, judicibus a se delectis jus sanguinis concedere, ut docet idem S. Doct. in resp. ad 3. Illud tamen animadvertendum, sanguinis judicium vetitum non esse Principibus Ecclesiasticis aliqua naturali lege, sed tantum canonica sanctione.

III. *Nulli licitum est seipsum interficere.*

Nemini licet seipsum interficere, quum in praecepto *Non occides* vetita sit tum sui, tum alterius hominis interfectio. Quod probat S. Thom. laud. q. art. 5. ostendens, suicidam nedum charitatis legem, sed et justitiae suo crimine violare. Non est tamen semper vetitum ea facere, ex quibus quis praevidet mortem secuturam. Sic praeliari milites possunt, stationem firmiter tenere, licet inde praevideant mortem secuturam. Immo laudabile esse potest, ut quis pro bono virtutis acquirendo mortem non reformidet. Sic licet tempore pestis infirmis lue infectis et corporaliter inservire, et Sacramenta ministrare etiam cum vitae discrimine; nam, ut egregie docet S. Th. 2. 2. q. 64. a. 5. ad 5. *Ad fortitudinem pertinet, quod aliquis ab alio mortem pati non refugiat propter bonum virtutis, et vitet peccatum.*

IV. *Non licet facinorosum occidere privata auctoritate: alia hoc praecepto vetita.*

Interficere hominem etiam facinorosum nulli privata auctoritate licet, quin reus habeatur patrati homicidii. Quum enim duo ad

justam occisionem requirantur, nimirum et culpa in reo, et publica potestas in occidente, hac carent privati. Vetiti praeterea sunt omnes exteriores actus, qui proximo personale inferunt nocumentum; cujusmodi sunt mutilatio, verberatio, percussio, violenta incarceratio. Similiter contra hoc praeceptum peccant, qui ad haec nocumenta proximo inferenda concurrunt suadendo, consulendo, hortando, adjuvando, arma porrigendo, et similibus. Immo et omnis vetatur internus affectus de malo proximi, ut odium, desiderium, gaudium de alterius morte, vel nocumento. Quamobrem Christus Dominus hocce explicans praeceptum etiam internos animi motus, et externa etiam verba, quae contumeliam inferunt proximo, christiana charitate vetita pronunciavit Matth. 5.

V. *Gravissimum crimen homicidium.*

Gravissimum esse homicidii crimen 1. ostendit Dominus Deus, dum jubet occidentem occidi Exod. 21. *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur.* S. Th. licet homicidium minus peccatum dicat comparate ad ea, quae in Deum directe committuntur, inter peccata tamen in hominem admissa omnium gravissimum agnoscit, quippe quod vitam illi eripit, quae est caeterorum omnium bonorum maximum, et aliorum basis et fundamentum. Ex Ecclesiae vero disciplina homicidae primum toto vitae tempore poenitentiae addicebantur; postea vero ad plures annos ex misericordia poena definita est; immo nec ipsi, qui per imprudentiam hominem interfecissent, immunes habebantur a poena, sed inter poenitentes manere per quinque vel septem annos cogebantur.

Consectaria.

I. *Non licet damnare reum, juris ordine praetermisso.*

Peccant Judices, qui non servato juris ordine sententiam mortis in reos pronunciant: nam scelestos puniendi Reipublicae noxios potestate donati sunt ea conditione et lege, ut (quod naturale jus et aequitas poscit) in judicio ferendo ordo servetur.

II. *Privatis, num liceat a Principe proscriptos interficere.*

Peccati homicidii plerumque rei sunt coram Deo, qui bannitos a Principe occidunt, licet id sit ab illis cuilibet concessum, etiam praemio proposito. Nam licet possint Judices scelestos homines, de crimine convictos et damnatos quocunque persequi, et mortis poenam juste in ipsos pronunciatam per quoscunque exequi; quapropter etiam potestatem faciunt cuicunque eos interficiendi; nihilo tamen secius pluribus modis peccare possunt, et frequentissime peccant 1. Quia Princeps non cogit eos occidere, sed relinquit in potestate, adeoque si justitiam non violent, non video, quomodo non peccent contra charitatem, quia non jussi sed libere ac sponte occidunt, et summum bonorum homini eripiunt, scilicet vitam. 2. Si occisionem perpetrent extra proscribentis territorium. 3. Si occidant prava animi affectione, puta vel odio in reum, vel desiderio vindictae, vel etiam lucri, et utilitatis intentione: quum solum ex amore boni publici et justitiae talis occisio licita reddi possit. 4. Peccant etiam contra charitatem in seipsos, quia plerumque se periculo ammittendae vitae, vel mutilationis exponunt. Hinc raro sine gravi peccato hujusmodi perpetrantur caedes.

III. *Concedendum est reis mortis damnatis tempus, et facultas confitendi.*

Concedenda sunt reis ad mortem damnatis tempus et facultas confitendi, et sacram etiam juxta Ecclesiae disciplinam Eucharistiam suscipiendi. Et de Confessione quidem concedenda nemo est, qui non videat, quam congruum, quam hoc necessarium sit ad reorum salutem, adeoque illis hoc salutare remedium denegare crudelis esset tyranni, non justi et christiani judicis. Quoad Communionis vero ministrationem standum est consuetudini illius Ecclesiae, in qua punitur reus.

CAPUT II.

De homicidio privata auctoritate patrato ob defensionem vitae, bonorum, et famae.

I. *Ad vitae defensionem, licet injustum aggressorem occidere.*

Qui ob vitae suae defensionem hostem invadentem occidit, si inculpatae tutelae moderamen custodiat, reus non est perpetrati homicidii habendus. Hanc propositionem ex professo docet S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 7. ubi ait: *Actus hujusmodi ex hoc quod intenditur conservatio propriae vitae non habet rationem illiciti; quum hoc sit cuilibet naturale, quod se conservet in esse quantum potest ..... Nam secundum omnia jura vim vi repellere licet cum moderamine inculpatae tutelae. Nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatae tutelae praetermittat ad evitandam occisionem alterius; quia plus tenetur homo vitae suae providere, quam vitae alienae.*

II. *Ad moderamen inculpatae tutelae servandum, conditiones.*

Ad quod difficilem admodum reddit immunitatem a culpa in hacce urgenti necessitate, est moderamen inculpatae tutelae, quod plures requirit conditiones, ut sancte custodiatur. 1. itaque postulat, ut defensio ita sit moderata, ut justae non excedat limites defensionis, tantumque se defendat aggressus, quantum necessarium sibi esse cognoscit ad evadendum periculum, et quo omissio violentiam repellere non posset. Hinc qui tueri se potest solum aggressorem feriendo, vel mutilando, si occidat, reus est criminis; et similiter si periculum evadere potest fugiendo, peccat occidendo. Quia licet honestus sit et justus finis propriae vitae conservandae; curandum etiam est, ut medium, quod ad finem consequendum eligitur, sit fini moraliter proportionatus, nec justam excedat mensuram. 2. Ut qui se tuetur, propriae quidem vitae conservationem intendat, non vero aggressoris occisionem. Quomodo id fiat, optime exponit Cajetanus, nimirum ut occisio aggressoris non eligatur ut medium ad sui defensionem, sed solum permittatur tamquam effectus justae defensionis. Qui ergo se defendit, licet non alio modo evadere mortem sit ipsi possibile, nisi aggressorem interficiendo, tamen nunquam debet velle hostis caedem, sed solum sui defensionem, quoquo modo sibi necessarium est, sic enim ab omni prorsus crimine immunis erit: at si velit, et intendat occidere, licet non valeat nisi occidendo se defendere, reus erit homicidii coram Deo, et in foro conscientiae. 3. Ut non praeveniatur aggressor, sed reprimatur aggressio: qui

enim primus aggreditur, jam non suae vitae defensor est, sed invasor alienae. Hinc sequitur, falsas esse plures probabilistarum opiniones, ut est illa ab Alexandro VII. damnata: *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, si alia via non potest innocens damnum vitare:* et sequentes Lessii de just. et jure lib. 2. cap. 9. dub. 8. n. 41. *Si quis accedat ad feriendum, nec possim evadere, nisi fugiam vel percutiam.* 2. *Si nondum accedit, tamen instructus est ad accedendum, nec possum evadere, nisi praeveniam.* 3. *Si per famulum, vel sicarium statuerit occidere:* et hujus generis aliae. Si ad occisionem cum moderamine inculpatae tutelae tot requiruntur conditiones, quis non videat, quam difficile sit in ea omni culpa vacare?

III. *Non licet ad alterius defensionem, injustum aggressorem occidere.*

Licitum non videtur ob defensionem vitae proximi, licet contra sentiant plures Theologi, injustum aggressorem occidere. Nam hujusmodi injusti aggressoris occisio nec licita redditur ratione justitiae, nec titulo charitatis. Non primo nomine, nam punitio rei, ejusque occisio summis Potestatibus est solum concessa, cuilibet vero privata omnino vetita. Non ratione charitatis, quae jubet, ut quilibet proximus diligatur: porro tam est proximus aggressus, quam aggressor; cur igitur ut unum serves, alterum teneris occidere? Quia, inquiunt, lex charitatis jubet insontem reo praeferendum. Utique si paria sint cetera. At hic certa est nocentis aggressoris sempiterna proditio, incerta vero innocentis: porro charitas postulare videtur, ut majora, immo summa mala proximi certa impedias, quam minora omnia et incerta. Praeterea nonne charitas jubet, ut a sanguine puras semper manus nostras servemus? Hinc Patres vix concedunt occisionem aggressoris in defensionem propriae vitae. Quomodo ergo charitas jubere potest, ut proximi sanguinem fundamus, eoque manus nostras polluamus?

IV. *Ob bonorum temporalium defensionem, non licet aggressorem occidere.*

Illicita est absolute occisio latronis, qui bona temporalia eripere tentat, nec vitae insidiatur, ob ea vel defendenda, vel recuperanda. Haec propositio, cui plurimi, ut fateor, adversantur Theologi, nedum mihi probabilior apparet, sed unice vera. Nam 1. Scriptura, quae nocturnum furem impune occidi permttit, diuturnum vero prohibet, clare ostendit, pro sola vita tuenda licere iniquum aggressorem repellendo occidere, non vero pro bonorum conservatione; alioquin quum bona et eadem sint, et ejusdem existimationis et pretii, et aequale afferant detrimentum sive noctu sive interdiu auferantur; aeque liceret utroque tempore latronem interficere, quod tamen falsum est: et ideo solum nocturnum furem occidere permittitur, qui, ut ait August. lib. 2. quaest. in Exod. q. 84. *plus est quam fur.* 2. Idem confirmant Patres, quos tantum abest, pro temporalium bonorum conservatione raptorum occisionem permittere, ut vix pro vitae tutela id concedant. 3. Praesto sunt invicta rationum momenta ex SS. August. et Thom. doctrina petita. Docent hi SS. Doctores, nedum charitatem, sed et ordinem in diligendo esse servandum; ordinata autem dilectio importat, ut scribit S. August. de Doctr. Christ. 1. ne aut quis diligat, quod non est diligendum:

2. aut non diligat, quod est diligendum: 3. amplius diligat, quod minus vel amplius est diligendum. 4. aut aeque diligat, quod minus vel amplius est diligendum: 5. aut minus vel amplius quod aeque est diligendum. Ex qua doctrina sequitur 1. super omnia Deum esse diligendum, quippe qui omnia excedit bona. 2. Homo coeteris paribus animam suam per anima proximi diligere tenetur, hinc nemini licet peccare, ut alium a peccato avertat. 3. Corpus suum supra proximi corpus debet diligere, nisi commune bonum, vel bonum virtutis aliter vel jubeat; vel concedat; hinc in aequali periculo potius vitae nostrae consulere debemus, quam alienae, quod et dicendum de coeteris bonis nostris, quotiescunque paris sint ordinis. At pluris facienda sunt bona proximi ordinis superioris, quam nostra, si sint inferioris; hinc salus spiritualis proximi nostrae praeferenda corporali saluti, et corporalis salus proximi bonis fortunae nostris, quae proinde erogare debemus, ut vitam proximi salvemus. Porro jam quisque videt, hunc ordinem violare, qui bona superioris ordinis proximi bonis propriis inferioris ordinis postponit, ac propterea ipsam charitatem laedere. Sed qui proximum occidit ad bona fortunae servanda, jam vitam proximi, quae superioris est ordinis, bono longe inferiori postponit: non est igitur inviolata charitate licitum pro bonorum fortunae conservatione proximum occidere. Praeterea iste charitatis ordo, qui permittit in aequali nostro, et proximi periculo, ut nostro potius, quam alieno praecaveamus, si utrumque vitare non valemus, vetat e contra severissime, ne in disparium bonorum periculo majus proximo malum inferamus, quam ipsi nobis timeamus. Porro qui furem occidit, sola bona fortunae eripere molientem, majus illi malum infert illo, quod ipse studet vitare: charitatem igitur violat.

V. *Solvitur objectio.*

Nec objiciant, hoc pacto non licere nec pro vitae defensione cuiquam aggressorem occidere, quia et tunc vitae nostrae corporali praeferenda esset vita spiritualis aggressoris, quae in aeternum periclitatur. Nam in eo casu periculum et perditio animae aggressoris non a mea oritur defensione, et occisione illius, sed a peccato mortali, quod voluntarie in anima retinet injustus aggressor, hinc in mea defensione nonnisi aggressoris temporalem vitam respicio, non animae. Sed in nostro casu mors temporalis proximi a mea defensione directe procedit, quam ipse revera bona fortunae defendendo et furem occidendo infero. Quinimmo in hac defensione nec moderamine inculpatae tutelae servatum video, quod non solum jubet, ut non majus inferamus aggressori malum, quam sit necessarium in sui defensionem; sed ne etiam inferamus malum majus illo, quod ipsi evitare intendimus.

VI. *Non licet pro honore et fama, iniquum calumniatorem interficere.*

Non licet pro honoris defensione occidere proximum, qui vel contumeliis et calumniis, etiam atrocioribus, famam auferre tentat, vel denigrare. Nam quum praeceptum *non occides* generale sit, *non aliam,* ut docet S. August. lib. 1. de Civ. Dei, *exceptionem admittit, nisi in his, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiae Deus specialiter occidi jubet. Quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occi-*

derit, homicidii crimine irretitur. Porro quis somniavit vel lege generali statutum, vel ab ipso fonte justitiae concessum, ut calumniator, vel irrisor in defensionem honoris occidatur? Immo haec doctrina directe omnino pugnat cum Evangelio jubente tolerandas contumelias et convicia, non reddendum malum pro malo, maledictum pro maledicto, orandum pro persequentibus et calumniantibus nos, diligendos inimicos, injurias condonandas. Porro quid magis huic evangelicae doctrinae adversatur, quam sanguinariae illae opiniones, quae docent licere pro convicio retundendo, pro alapa vitanda, vel ignominia abstergenda hominem interficere? Hinc merito haec crudelitatis portenta diris confixere Alex. VII. et Innocent. XI. primus quidem hanc in ord. 17. propositionem damnando: *Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defensionis non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioni, vel ejus Religioso publice et coram gravissimis viris praedicta impingere, nisi occidatur.* Alter vero diris devovendo propos. 30. asserentem: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingit alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam, vel ictum fugiat.* Alia his affinia in Corollariis dabimus.

Consectaria.

I. *Num liceat se tueri, defensione offensiva, adversus justitiae satellites.*

Non licet malefactoribus contra justitiae satellites, qui ad eos captandos mittuntur se tueri illos occidendo, nec reis justitiae executores, defensione occisiva, repellere; immo nec licet, quam vis qui capiendus est, vel puniendus se innocentem agnoscit. Primae partis ratio est manifesta, quia qui legitimae potestati resistit, Dei ordinationi resistit, nec hi satellites sunt injusti aggressores, sed justi, quippe qui a suprema potestate mittuntur, cui et parere debent, et cui ipsi subjiciuntur malefactores divina lege. Quod si innocens sit, ad quem capiendum satellites mittuntur, et ipse satellitibus nota sit capiendi innocentia, adhuc illi resistere non poterit defensione occisiva, quia non ad occidendum aggrediuntur, sed ad capiendum; et licet mortem sibi injuste postea inferendam sciat, non tamen actu ab ipsis infertur. Praeterea nec licet reo injuste ad mortem damnato ministrum occidere, qui eum est obtruncaturus, quia adhuc legitimae potestati resisteret, cui se submittere debet, licet qui eam obtinent, discoli sint, et pravi. Sunt ergo rejiciendae contrariae Lacroixii, et Honorati Fabri doctrinae.

II. *Falsa Molinae doctrina.*

Falsa est doctrina Molinae disp. 11. n. 5. asserentis: *Servatur autem moderatio inculpatae tutelae, quamvis arma capiantur adversus eos, qui armis carent, aut etiam sumantur validiora.* Nam moderamen inculpatae tutelae exigit, ne plus damni inferas, quam necessarium sit ad tui defensionem. Porro qui contra inermem caedem adhibet, quum vel sola vulneratione, vel mutilatione possit repellere, jam

manifestat, non sui defensionem, sed vindictam et caedem aggressoris intendere. Similiter si validioribus armis utens illum interficias, qui non habet arma, nisi vel ad percussionem, vel ad vulnerationem idonea.

III. *Falsa Lessii doctrina.*

Falsa quoque est Lessii doctrina dicentis : *Qui furem diurnum non se telo defendentem interficeret, non excusaretur ab homicidio in foro exteriori, in foro tamen conscientiae excusaretur, si non erat probabilis spes recuperandi, vel si recuperatio non erat certa, sed dubia; quia nemo tenetur res suas perdere, aut probabili periculo exponere, ut fur salvus fiat.* Itane servatur moderamen inculpatae tutelae, dum pro probabili periculo amittendi, vel pro dubio recuperandi res temporales, certo humanus sanguis effunditur, et interficitur frater? At, quod me angit illud est et recentiorem Probabilioristam, pium ceteroquin, doctumque Theologum hanc adprobasse rationem, eaque motum docuisse, licere interficere furem rapere volentem rem maximi momenti, aut in notabili admodum quantitate, *quia non tenemur*, inquit, *bona, quae possidemus vel perdere, vel certo periculo perdendi exponere ad conservandam vitam iniqui hominis.* At certum periculum perdendi non est certa amissio rei, illud enim ab hac distingnit Auctor: pro incerta igitur amissione boni temporalis licebit certum homicidium perpetrare? Hoc est viam sternere homicidiis: quis enim non putabit, re semel ablata certum semper adesse saltem periculum eam amittendi, nec amplius recuperandi?

IV. *Viarum grassatores et piratas, licet occidere.*

Publicos latrones, qui et praedones, grassatores, viarum obsessores dicuntur, aggredientes itinerantes et viatores, servato moderamine inculpatae tutelae, licet occidere ad vitae rerumque conservationem. Quandoquidem hi habentur tanquam publici hostes Reipublicae infensissimi, contra quos latae sunt leges, quae eos etiam ob leve furtum mortis poena puniendos decernunt, et in flagranti crimine deprehensos statim laqueo necandos, et arboribus suspendendos mandant; quosque etiam a justititiae ministris sive viventes sive mortuos capiendos jubent, etiam mercede, et praemio promissis. Unde a legibus omnium armantur manibus in illos, praesertim quando aggrediuntur; proinde non tam privata quam publica potestate interficiuntur; praesertim quum parati sint spoliatos viatores, ne detegantur, interficere. Contra istos itaque aggressi, non cogitantes num ad vitam eripiendam, an solum ad res rapiendas veniant, se possunt tueri, ac defendere quantum requiritur, ut illaesi et a damno immunes ex eorum manibus elabantur: quod si non contingat sine eorum nece, a culpa erunt immunes. Quod de grassatoribus dicimus est et de piratis intelligendum, quorum rates, dum navigantes aggrediuntur tormentis bellicis, sunt submergendae (nisi spes firma sit eos in vinculis habendi) nec examinandum, num ad plagium, num ad rapinam, num ad necem veniant, quum et isti sint publici hostes, contra quos cives omnes milites sunt bella Domini gerentes.

CAPUT III.

De caede Tyranni, Adulterae, et violenti Stupratoris.

I. *Duae Principum classes distinguendae: Duplex quoque Tyrannus in titulo, et in regiminae.*

Doctrinam D. Thomae de caede Tyranni nunquam ab ipso adprobata late exposui et propugnavi in libello italico apologetico, quem latio donatum, et in duas distributum dissertationes dedimus in Tom. 25. et 29. Sum. Theologicae Neapoli recenter editae. Quae ibi igitur fuse sunt dicta, hic in compendium contracta exhibemus. 1. itaque duplex Principum genus distinguendum, illorum, qui licet suis dominentur populis, alteri tamen Principi subjiciuntur, ut erant in Judaea Herodes, et Archelaus, qui Romano subdebantur imperio: aliud illorum, qui supremi sunt, et nullum habent vel agnoscunt in terris superiorem cujusmodi sunt illi, qui jure haereditario successionis, et acquisitionis imperium obtinent. Duplici pariter modo aliquis tyrannidem exercere potest, videlicet *in titulo*, et *in regimine*. In titulo Tyrannus dicitur privatus civis, qui adversus legitimum Regem, sive Rempublicam arma sumit, ejusque regna ac urbes invadere molitur, et occupare, reluctante legitimo domino, vel si de Republica agitur, obsistentibus Senatu, et Optimatibus. In Regimine vero Tyrannus dicitur, qui legitimus quidem Princeps quum sit, sua tamen suprema abutitur potestate, suoque privato commodo studens, propriis indulgens affectibus non solum populi negligit curam, verum illum vexat, opprimit, spoliat, saevitia, violentia, libidine, aliisque iniquis modis gravat, affligit, conficit.

II. *Tyranni in titulo, nulli privata auctoritate caedes licita.*

Tyrannum in titulo privata auctoritate interficere, licet aliter plures Theologi sentiant, nulli est licitum et concessum. Id aperte traditur a D. Th. pluribus in locis, sed praesertim 2. 2. q. 64. a. 3., ubi docet, licitum non esse *privatis personis* occidere *malefactorem*, sed *ad illum solum hoc pertinere, cui committitur cura communitatis conservandae.* Civem ergo Tyrannidem affectantem, licet scelestum, seditiosum, et iniquum a nulla privata auctoritate interfici licite potest. Licitum erit itaque vel legitimo Principi, vel Reipublicae, vel Optimatibus, contra quos ille tyrannidem affectat, bello contra ipsum pugnare, arma movere, et vel in ordinem redigere, vel, si obsistat, bellando interficere.

III. *Tyrannum in regimine, alteri Principi subjectum, non licet privatis occidere: Sic neque Tyrannum nullum agnoscentem superiorem.*

Tyrannum in regimine, si supremus Princeps non sit, nemini privato licet occidere, immo nec cives possunt vel interficere, vel in ipsum arma movere. Ita diserte docet idem S. Th. in Opusc. de Regim. Princ. cap. 6. Et jure merito quippe quia vel privatus ipsum occidens, vel cives contra ipsum bellantes jus sibi usurparent, quod ipsi non competit, sed solum superiori Monarchae, cujus imperio Tyrannus ille subjicitur, reservatum est. Si vero Princeps sit supremus, nullumque agnoscat in terris superiorem, a nullo privata auctoritate occidi potest. Ita S. Thom., qui primo duplicem tyrannidem

distinguit, nimirum intolerandam et acerbissimam, et mitiorem ac tolerabiliorem; et hanc posteriorem statuit patienter, pacatoque animo tolerandam. De priore vero, intoleranda scilicet, et acerbissima sic docet: *Si sit intolerabilis excessus tyrannidis, quibusdam visum est, ut ad fortium virorum virtutem pertineat tyrannum interimere, seque pro liberatione multitudinis exponere periculis mortis .... Sed hoc Apostolicae doctrinae non congruit. Docet enim nos Petrus, non bonis tantum et modestis, verum etiam dyscolis dominis reverenter subditos esse.* 2. *Pet.* II. *Haec est enim gratia, si propter conscientiam Dei sustineat quis tristitias patiens injuste.*

IV. *De caede adulterae.*

Maritus, qui uxorem in adulterio deprehensam occidit, homicidii reus est. Certa omnino ab omnibus Theologis habenda est haec propositio post damnatam ab Alexandro VII. 19. propositionem, quae asserebat: *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.* Ita multo ante docuerat S. Thom. in 4. dist. 37. q. 2. a. 1. ubi aperte statuit, in nullo casu licere viro interficere uxorem propria auctoritate. Leges quoque civiles, quae hos uxoricidas non puniunt, exponit non quasi praecipientes sint, vel permittentes hujusmodi scelus, sed (scribit) *quasi poenam homicidii non inferentes propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto ad occisionem uxoris.*

V. *De caede violenti stupratoris.*

Nulli licet, sive viro, sive puero, sive virgini, sive uxori ob pudicitiam servandam violentum stupratorem occidere; licet non valeat alio modo violentiam repellere. Huic propositioni adversantur recentiores Probabilistae (quibus etiam plures adhaerere Probabilioristae), qui passim docent licere pro defensionem pudicitiae violentum oppressorem enecare. At adversantur antiqui Ecclesiae Patres, et ipsa naturalis clarissima ratio. S. Augustinus lib. de lib. arb. c. 5. ait: *De pudicitia vero quis dubitaverit, quin ea sit in ipso animo constituta? quandoquidem virtus est; unde a violento stupratore eripi nec ipsa potest. Quidquid igitur erepturus erat ille, qui occiditur, id totum in potestate nostra non est. Quare quemadmodum nostrum appellandum sit; non intelligo. Quapropter legem quidem non reprehendo, quae tales permittit interfici; sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio.* Id ipsum urget lib. 1. de civ. Dei c. 18. Ex qua doctrina haec educitur clarissima ratio. Quid enim aufert innocenti violentus oppressor, unde mereatur occidi? numquid virtutem virginitatis? Minime, quum animi bonum sit, quod etiam oppresso corpore non amittitur. Num corporis munditiem? ne quidem, quin immo sanctae continentiae bonum, quum immunditiae carnalium concupiscentiarum non cedit, et ipsum corpus sanctificat. Num quia corporalis laesio inducitur, et membri integritas tollitur? at haec adeo levis jactura est, ut idem sit ac dicere, licere hominem interficere, ne talitro feriat: et haec materialis integritas corporis, quamvis plurimi aestimetur, non est ullo modo cum vita hominis comparanda, pro qua servanda sicut licitum non est homicidium sui, ut docet S. Augustinus, et suo loco ostendemus, ita nec licitum reddit homicidium alterius. Num injuria repellenda? at si haec nisi cum morte homici-

dae repelli non possit, est patienter toleranda, et condonanda. Superest denique periculum animae vitandum morte violenti stupratoris, ne libidine pertracta consentiat illicitae voluptati voluntas. Verum hoc argumentum enervat idem S. Augustinus lib. 1. de Civ. Dei c. 25. ubi sibi illud sic objicit: » At timendum est et cavendum, ne » libidini hostili subditum corpus illecebrosissima voluptate animum » alliciat consentire peccato. Proinde, inquiunt, non jam propter » alienum, sed propter suum peccatum, antequam hoc quisque com» mittat, se (seu aggressorem) debet occidere. Veruntamen, si de» testabile facinus et damnabile scelus est etiam seipsum (vel alium) » hominem occidere, sicut veritas manifesta proclamat; quis ita » desipiat, ut dicat, jam nunc peccemus, ne postea forte peccemus, » jam nunc perpetremus homicidium, ne postea forte incidamus in » adulterium »? Non licet igitur pro pudicitiae defensione hominem occidere.

IV. *Quando injustus oppressor repelli licet.*

Licet vero nullus possit irruentem stupratorem licite interficere, minime tamen ejus violentiae acquiescere debet, etiam negative se habendo: nam reus esset, et particeps admissi sceleris; sed totis viribus reluctari, et resistere debet et voce, et manu, et totius corporis obsistentia, etiam cum damno personali violenti stupratoris, citra necem tamen et mutilationem; unde pugnis, calcibus, morsu repelli poterit.

CAPUT IV.

De mutilatione, Abortu, et Homicidio indirecto, et casuali.

I. ***Nemini alium mutilare licet nisi cogente necessitate: Nec verberare absque justa caussa, et legittima potestate.***

Sicut nulli licet hominem occidere, ita nec membro aliquo minuere. Ita sentiunt cum S. Thoma hic quaest. 65. art. 1. communiter Theologi omnes. Optime tamen animadvertit idem S. Doct., licet nunquam concessum sit alterum interficere, quamvis ipse mortem postulet, ut in Saule contingit; fieri tamen quandoque potest, ut licita sit mutilatio ex consensu patientis. Ex quo manifeste patet non licere chirurgo, invito infirmo, eum mutilare, quia injuria inferretur ejus libertati. Similiter peccaret aeger, qui sine peritorum consilio, qui mutilationis necessitatem agnoscant ad salutem corporis servandam, mutilationi non necessariae assentiretur; quum nemo sit membrorum suorum dominus, sicut nec vitae suae. Peccatum etiam est, et quandoque lethale proximum verberare absque justa caussa, et legitima potestate. Duplici itaque nomine ex S. Th. loc. cit. injusta esse potest et criminosa proximi verberatio, nimirum 1. si qui verberat, nullam habeat in alium potestatem, 2. si verberatio sit immoderatam. Hoc titulo peccare possunt parentes, domini, ac Superiores, si filios, servos, subditos, ut docet S. Thom. et superius diximus, immoderate verberibus afficiant. Coeteri vero peccant etiam ob carentiam potestatis: in utrisque autem esse potest lethale peccatum inspecta nocumenti gravitate. Carcere autem mancipare, ibique detinere nulli privato licet, ut superius dictum est.

II. *Abortum procurare est semper lethale peccatum: Poenae in abortum procurantes.*

Abortum procurare, sive foetus inanimatus sit, sive animatus, lethale peccatum est; licet graviter sit foetum animatum perimere, quam inanimatum excutere. Ita docent Patres omnes, quorum testimonia legi possunt apud Natalem Alex. lib. 4. cap. 7. art. 4. reg. 13. Hinc merito damnavit Innocent. XI. propositionem 34. *Licet procurare abortus ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Et licet quaestio de tempore animationis difficillima sit; tamen falsa certo est, et merito ab eodem Pontifice proscripta propositio 35. *Videtur probabile omnem foetum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur; et consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.* Poenae latae contra abortum procurantes gravissimae olim erant. In praesenti disciplina Sixtus V. in bulla 87. statuit, omnes abortum procurantes, sive foetus fuerit animatus, sive inanimis, easdem incurrere poenas ac viros homicidas; et praeterea excommunicatione ipso facto incurrenda et Apostolicae sedi reservata eos punivit. Gregorius vero XIV. reservationem Sedi Apostolicae abstulit, et Episcopis de jure, privative etiam quoad Regulares, reservavit, dummodo tamen et foetus animatus sit, et effectus secutus. Episcopi fere omnes abortus foetus etiam inanimati procurationem, quamvis effectu non secuto, sibi reservant. Praeterea qui abortui foetus animati dat operam, irregularitatem incurrit, ut habetur in Jure Can. extra de Homic. Cap. *Sicut.* Sciant vero Confessarii ex sacrae Poenitentiariae stylo eos non censeri irregulares, qui ante 40. a conceptione diem, si masculus sit foetus, vel ante 80. si foemina fuerit, abortum procuraverint; sed qui eo elapso termino tanto scelere fuerint commaculati. Quamobrem, ut notat Navarrus lib. 5. Consil. tit. de homic. consil. 46. Edit. Colouiens. huic consuetudini quilibet se poterit conformare, quum agatur de Ecclesiastica poena, quae Medicorum innititur doctrinae, et praesumptioni.

III. *Distinctio casualis homicidii ab indirecto.*

Casuale sive fortuitum homicidium ab indirecto per hoc solum discriminatur, ut docet S. Thom. hic q. 64. art. 8. quod illud omnino praeter intentionem et voluntatem operantis contingit nunquam proinde culpae deputandum; istud vero licet per se et indirecte nec volitum sit, nec intentum, tamen est in alio opere cum illo adnexo plane volitum et intentum, proinde immunem a culpa non facit agentem.

IV. *Quando dans operam rei illicitae sit homicidii reus, quod inde sequatur.*

Porro ex doctrina D. Thom. 1. 2. q. 20. art. 5. et ex iis quae diximus Tract. 3. de voluntario indirecto agentes statuendum est, tunc solum qui illicito operi vacat reum evadere homicidii, quoties cunque communiter ex tali opere sequitur homicidium, licet fortassis omnem adhibeat diligentiam ne sequatur caedes; et ratio est manifesta: nam quum duo velit, nimirum et opus illi vetitum, et opus ex quo plerumque sequitur homicidium, manifestum apparet, illum et homicidium velle; nec totam adhibere videtur diligentiam ad illud

praecavendum, nam ab opere sibi vetito omnino abstinere debebat. Rem exemplo clare illustrat Catechismus Roman. par. 3. sect. 7. in 5. praeceptum scribens: » Quomodo homicidii reus sit, qui casu » caedem facit. In quo tamen duabus de caussis peccare potest. Al- » tera, si quis in re injusta occupatus hominem occiderit, ex. gr. si » quis gravidam mulierem pugno, vel calce percuteret, ex quo » abortus sequeretur, fuisset quidem illud praeter percussoris volun- » tatem, non tamen praeter culpam, quum illi non licet ullo modo » gravidam mulierem percutere. Altera, si non omnibus circumspectis » negligenter et incaute aliquem occiderit ». In quo exemplo mu- lieris praegnantis pugno vel calce percussae illud adnotandum puto, culpam homicidii et in eo locum habere, qui omnem adhiberet di- ligentiam, ne mulierem percutiat in ventre, vel proximioribus parti- bus, quia adhuc non omnimode ab homicidio caveret, quum noverit, ac suspicari possit quamcunque percussionem mulieris praegnantis abortus caussam esse posse, proinde omnimode a tali percussione abstinere adstringebatur.

Consectaria.

I. *Nemini licet pueros evirare.*

Nemini licet pueros castrare sive consentientes, sive dissentientes, ut sonoram et numerosam servent vocem, ne ad serviendam quidem in cantu Ecclesiam. Hujus corollarii veritas ex doctrina S. Th. sponte fluit: est enim vera mutilatio, quam nulli privata auctoritate conve- nire docet S. Doct. nec concessa nisi ex necessitate ad liberandum totum corpus. Quamobrem peccant letbaliter tum parentes, qui filiis suis virilia abscindi vel jubent vel permittunt, tum ipsi filii si sint doli capaces, tum Medici seu Chirurgi, qui huic mutilationi manum et operam adhibent.

II. *Quomodo medici, abortus rei esse possint.*

Rei sunt abortus Medici, qui mulieri praegnanti potionem ad procurandum abortum praebent, sive foetus sit animatus, sive ina- nimatus, ad evitandam mortem matris, quia hoc esset velle abortum, quod est de se malum, nec cuiquam licet de se tuendum id efficere, quod de se innocenti est exitiale. At, si foetus sit animatus, et multo magis si sit inanimis, et mater gravida non alio modo mortem vi- tare possit, nisi remedium adhibendo, quod prodesse certo noscitur vitae jam deploratae parentis, sed juste timetur ne foetui nocere possit, probabilius censeo licere matri eam medicinam sumere. Ratio mihi manifesta videtur. 1. Quia medicamen non directe contra foetum dirigitur, nec illi certo obesse constat. 2. Si mater pereat, certe foetus vel animam non consequitur, vel difficillimum est, ut cum matre non pereat. 3. Si mater ex sumpto pharmaco convalescat, prospicitur certae saluti tum corporali tum spirituali foetus. Quum igitur remedium certo prosit matri, directe non noceat foetui, proles in certo periculi sit pereundi, si mater moriatur, et e contra vivente matre jam sit consultum saluti foetus tum spirituali, tum corporali, probabilissimum mihi apparet licere matri eo medicamine suae saluti prospicere. Ita Genetus, aliique. Nunquam tamen licet mortem uteri dissectione afferre matri, ut infans baptizetur: hoc enim esset directe

velle mortem matris, et verum homicidium perpetrare, quod de se est illicitum.

III. *Matres esse possunt, indirecte, abortus caussa.*

Abortus reae sunt matres, quae debitam non adhibent cautionem, ne foetui, quem gestant in utero, noceant. Ita docet S. Antoninus in Summa Confessorum: » Si mulier gravida praeter intentionem » abortiatur si commisisset notabilem negligentiam, puta vel quia » nimis saltavit, vel nimis inordinate laboravit, vel propter inor- » dinatas lascivias, non esset absque mortali peccato ». Quod et dicendum de maritis, qui mulieres praegnantes vel pugnis percutiunt, vel etiam crudeliter vexant, ad iram provocant, graviter affligunt, possunt enim esse in caussa abortivi foetus. Cauti etiam sint Chirurgi, et Medici in puellis viro maturis, vel in mulieribus curandis, si suspicio aliqua exurgat praegnationis, ne forte praeter eorum quidem intentionem, sed non sine eorum culpa sequatur abortus.

IV. *Medici, Chirurgi, Pharmacopolae quando rei sint homicidii indirecti.*

Medici, Chirurgi, Pharmacopolae peccant, et rei sunt indirecti homicidii, si vel imperite, vel negligenter curant infirmos, unde aegri mors sequatur. Ita docet S. Antoninus, qui plures exhibet hac de re doctrinas, quas hic tradendas censemus. Scribit 3. par. tit. 7. cap. 11. » Medici ubi ex negligentia notabili in curis suis nocent » infirmis, semper peccant mortaliter facientes contra illud praeceptum » *non occides* .... Nec excusantur ex hoc quod illud non » intendant, quia voluntarie dant operam rei, unde hoc sequi- » tur. Immo etiamsi sequatur sanitas, non excusantur a pec- » cato, quia exponunt se periculo peccati mortalis, ei scilicet » operi, unde potest sequi notabile nocumentum proximo .... Si » etiam sequatur magna aggravatio infirmitatis ex hoc, etsi non mors, » non excusatur a mortali Si dubitat de medicina, quia non constat » ei secundum artem Medicinae utrum debeat nocere vel prodesse, » male facit dando, quia, ut dicit Innocentius, in dubio potius » debet dimittere infirmum in manu Creatoris, quam exponere me- » dicinae, de qua nescit .... Debet Medicus quamcitius potest cu- » rare infirmum, unde si ex industria omittit debitam medicinam et » certo curativam, ut dimittendo eum in infirmitate amplius lucre- » tur, graviter peccat, et furatur .... Mortaliter peccant Medici, si » dant aliquod consilium vel remedium pro salute corporis in peri- » culum animae, ut scilicet fiat aliquid contra divina praecepta, » puta quod cognoscat mulierem extra matrimonium, vel inebrietur » et hujusmodi .... quia facit contra ordinem charitatis. Immo » peccat medicus, qui dicit infirmo, non consulo, sed si accederes » ad aliquam mulierem, sanaberis ». Haec Sanctus Antoninus.

CAPUT V.

De suicidio directo, et indirecto, et de duello.

I. *Suicidium vetitum est praecepto* non occides: *Suicidii malitia ex D. Thoma.*

Sapientissime et acute animadvertit S. August. lib. 1. de civ. Dei cap. 20. in praecepto *non occides* et suicidium vetitum esse, quia

additum non est *proximum tuum.* Subditque: *Suicidium adeo vetitum est aeterna Dei lege, ut nec adipiscendae immortalitatis caussa nobismetipsis necem inferre nequeamus.* Triplicem autem in suicidio detegit malitiam S. Th. hic q. 64. a. 5. nempe 1. contra charitatem, qua quilibet debet seipsum diligere; 2. contra bonum communitatis, quia quaelibet pars est totius, adeoque qui se interficit injuriam communitati facit; 3. contra Deum, cujus donum est vita hominis, et qui solus est vitae dominus. Illorum autem exempla, qui vel in Scriptura leguntur, vel in Ecclesiastica historia, seipsos interfecisse, ita exponit S. Augustin., ut nonnulla solum excuset quia Spiritu Sancto impellente patrata, ut est illud de Samsone, et de quibusdam sanctis Virginibus, quae seipsas interemere, alia vero omnino reprobat et condemnat.

II. *Rei damnati ad mortem, non culpandi quod carnifici obsequium praestent.*

Rei non sunt suicidii, qui ad mortem damnati ad supplicii locum pergunt, scalas ascendunt, collum vel praecidendum, vel laqueo inserendum praebent: debent enim supremae potestati obedire. Nequeunt tamen se ipsos interficere, nec hoc judex illis praecipere potest.

III. *Non licet seipsum mutilare.*

Nemini licet sicut seipsum interficere ita mutilare, nisi sit ad vitam servandam, nec pro ipsa spirituali salute: Ita docet S. Thom. hic q. 65. a. 1. ad 3. ubi ait: *Membrum non est praescindendum propter corporalem salutem totius, nisi quando aliter toti subveniri non potest. Saluti autem spirituali semper potest aliter subveniri quam per membri praecisionem; quia peccatum subjacet voluntati. Et ideo in nullo casu licet membrum praecidere propter quodcunque peccatum vitandum. Unde Chrysostomus exponens illud Matth.* 19. Sunt Eunuchi, qui seipsum castraverunt propter regnum caelorum, *dicit*: » Non per » membrorum abscissionem, sed malarum cogitationem interemptio» nem: maledictioni enim est obnoxius, qui membrum abscindit: » etenim homicidae sunt, qui talia praesumunt ».

IV. *Licet aliquando periculum mortis subire.*

Tametsi seipsum directe interficere nunquam liceat, non tamen vetitum est, immo aliquando laudabile et virtuti consonum vitae propriae jacturam pati et permittere. Ita sancti Praesules, Episcopi, et Confessores, qui vel fuga, vel se abdendo poterant mortem effugere, tamen in suo munere perseverando, vel se satellitibus quaerentibus manifestando, vel etiam ultro tradendo certae neci se dedere. Sic non peccant milites, qui hostiles muros, vel turres etiam primi conscendunt, quippe qui non sui necem quaerunt, sed militiae legibus et Principum jussionibus obsequentes periculo mortis ob commune bonum se exponunt. Quamobrem docet Sanctus Thomas hic, q. 64. a. 5. ad 5. *Ad fortitudinem pertinet, quod aliquis ab alio mortem pati non refugiat propter bonum virtutis, et ut vitet peccatum.* Tunc igitur solum rei sunt suicidii indirecti, qui non ex motivo virtutis, nec ob commune bonum, sed vel lucri caussa, vel vanae ostentationis se mortis periculo objiciunt.

V. *Quinam rei sint homicidii indirecti.*

Hinc peccant lethaliter, et rei sunt suicidii indirecti, qui super funem ambulant, qui saltus inter gladios emittunt, et similia spectacula populo exhibent, quum temere se mortis periculo exponant vilis lucelli caussa. Item qui sibi carnis frustra praecidunt, a serpentibus morderi sinunt, ut pharmaci vim et energiam ostentent: sunt enim haec noxia, et interdum etiam lethalia experimenta, quae in solis brutis exerceri debent, et licite possunt. Nec a suicidii crimine immunes sunt, qui libidinibus, crapula, ebrietatibus aliisque vitiis, vel inordinatis passionibus sibi vel morbos creant, vel atiam mortem sive accersunt, sive accelerant, quippe qui peccant contra charitatem. Immo et in ipsis laudabilibus operibus et corporis afflictationibus modus servandus est, ne quis suicidii reus fiat. *Hujusmodi sunt adhibenda*, ait S. Thom. quod lib. 5. quaest. 9. art. 2. *cum quadam mensura rationis, ut scilicet concupiscentia devitetur, et natura non extinguatur, secundum illud ad Rom.* 12. Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem: *et postea subdit:* Rationabile obsequium vestrum.

VI. *Nequit infirmus absque culpa, respuere remedia communia.*

Non possunt absque peccato ab infirmo rejici remedia communia et consueta ad sanitatem recuperandam et vitam servandam, alioquin reus erit suicidii, quum ita postulet charitas, et rectus amor sui; at remedia plane extraordinaria potest licito omittere, sicut et matrimonium non celebrare, tametsi ad sanitatem corporis, immo et ad vitam servandam conduceret, dummodo ita se gereret amore castitatis: tunc enim ob bonum virtutis conservandum, mortem alias a naturali caussa inferendam solum permitteret. Quod si mors ab extrinseco et a caussa libera immineat, poterit etiam ordinaria remedia licite praetermittere, ut diximus de sanctis Confessoribus, qui nec fuga suae saluti et vitae prospicere voluerunt; sic reus in carcere juste detentus licet fugere valeat, potest tamen ibidem permanere, licet secuturam mortem praevideat, ut divinae et humanae justitiae sua nece satisfaciat: sic enim opus exercet et poenitentiae, et fortitudinis.

VII. *Duellum illicitum.*

Duellum fieri et haberi potest vel publica, vel privata auctoritate. Si primo modo fiat ob commune bonum ad finem bello imponendum, licitum omnino est, ut plurima Scripturae loca ostendunt, in quibus hujusmodi duella laudantur et adprobantur. De hoc nullus est sermo, sed ea recolantur, quae de bello diximus. Duellum itaque, quod sumimus examinandum, definitur a Theologis *pugna inter duos vel paucos in pari numero, privata auctoritate, et ex condicto inita, designatis loco et tempore cum periculo occisionis, mutilationis, vel vulneris.* Dicitur *pugna inter duos vel paucos in pari numero*, ut distinguatur a bello, in quo multi cum multis, et etiam fortassis impari numero decertant: additur *privata auctoritate*, ut ab illo, quod publico indicitur Principis decreto ob commune bonum secernatur: additur ex condicto, ut discrimen assignetur inter repentinam duorum vel paucorum rixam ex calore et impetu irae natam: subditur *designatis loco et tempore*, non quasi sine istis verum non habeatur duellum, sed ut conditiones designentur ad subeundas canonicas

poenas. Nam caeteroquin vera erit habenda vel provocatio, vel acceptatio duelli in illo, qui diceret, se paratum esse ad satisfaciendum armis cuicunque hosti, et semper et ubique se ense et armis esse ad sui defensionem paratum: denique dicitur. *cum periculo mortis vel mutilationis;* nec inter duella enumerantur ea certamina, quae sine armis fiunt ad vires exercendas.

VIII. *Duellum vetitum est lege naturali, divina, ecclesiastica, et civili.*

Hoc itaque duellum vetitum esse lege naturali, divina, ecclesiastica, et civili, nullus est, qui ambigat. Nihil enim magis naturae repugnat, quam vitam suam exponere, ut hosti necem quis inferat; quemadmodum et divinum praeceptum de non occidendo, duellum legi Decalogi adversari ostendit. Jure canonico vetitum declarant et Concil. Trident., et plures Sum. Pontificum Bullae et Decreta, praecipue Gregorii XIII. et Clementis VIII. Omnes denique Reges, Principes, Respublicae severissimis, interminatis poenis detestabilem, ut inquit Trident. Synodus sess. 25. c. 5. *duellorum usum fabricante diabolo introductum, ut cruenta corporum morte, animarum etiam pernicie lucretur, ex christiano orbe exterminandum satagerunt.*

IX. *Duellum non licitum ad salvandam vitam, neque ad vitandam timiditatis notam, nec ad dignitates, honores et bona temporalia servanda.*

Quum itaque duellum sit jure omni vetitum, non licet vel acceptare, vel ad illud provocare nec vitae tuendae gratia: nam quum duellum non sit ex improvisa rixa, sed ex condicto, nemo illo indiget ad salvandam vitam, quum facile possit pugnam declinare. Nec ad vitandam timiditatis notam, ut declaravit Alex. VII. in damnatione hujus propositionis: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Nec ad propriam conservandam dignitatem, officium, stipendium, quae obtinet vir militaris, ex quibus sua suorumque sustentatio pendet. Oppositum docuere plurimi ex recentioribus Casuistis. At bujus doctrinae falsitatem detexit et profligavit Benedictus XIV., qui in sua Constitutione edita die 24. Novembris anni 1752. quinque hac de re propositiones a recenti Scriptore propugnatas damnavit.

X. *Poenae contra duellantes; Quinam eis subjiciantur.*

Poenae in duellantes ab Ecclesia latae, praeter communes omnibus homicidiis, bujusmodi sunt ex Constitut. Clementis VIII. 1. Excommunicatione ipso facto feriuntur, et quidem Pontifici reservata. 2. Perpetua infamia. 3. Proscriptione bonorum omnium. 4. Poena homicidii sunt plectendi. 5. Ecclesiastica sepultura privantur. 6. Clerici et Ecclesiastici privati habentur omnibus beneficii dignitatibus, et officiis Ecclesiasticis, ac inhabiles redduntur ad alia imposterum obtinenda. 7. Rei crimine laesae Majestatis ceusentur. 8. Et inhabiles declarantur ad testamentum condendum. Qui vero in duello hostem occiderunt, asyli immunitate non gaudent. Hisce poenis subjiciuntur ipsi pugnantes, sive duellum solemne sit, scilicet designatione armorum, destinato loco, certa servata forma, adbibitis patrinis; sive privatum, idest factum quidem ex condicto, et designato saltem in generali loco et tempore, sed sine electione armorum, assistentia

patrinorum, securitate data loci etc. licet nec mors, nec mutilatio sequatur, et licet pactum initum fuerit de statim finiendo certamine ubi alteruter vulneratus fuerit, vel tot ictus fuerint hinc inde vibrati (*). 2. Easdem incurrunt poenas Patrini et socii ad duellum provocantium vel acceptantium, licet pugna ob aliquod impedimentum secuta non fuerit. 3. Duellantium adjutores, sive auxilium, operam, favorem praestantes, arma, commeatum, pecuniam, et similia suppeditantes. Consulentes vero, qui consilium quantum potuere revocarunt, poenis non subjacent, licet nihil profecerint. 4. Spectatores de industria, sive ex condicto, non vero qui ex abdito loco, vel obiter transeundo respiciunt. 5. Locorum Domini, Magistratus, Praesides, Locumtenentes, Militum duces, et Capitanei in castris, vel extra ea, in alieno vel hostili solo, etiam cum militibus exercitus adversariorum, qui duellum permittunt, vel quantum in ipsis est non prohibent, aut post commissum crimen veniam et impunitatem concedunt. Civitates vero, oppida, terrae, castra, in quibus commissum fuerit duellum, permittentibus aut tolerantibus dominis, ecclesiastico subjiciuntur interdicto. 6. Denique illi, qui scripta et manifesta ad duellum praeparatoria conscribunt, immo etiam sine scripto denuntiationes, declarationes, testificationes, etiam sine provocatione ad certamen, deferunt, quibus ad pugnam occasionem praebent et materiam, licet alieno nomine haec scripta dictaverint, miserint, detulerint, divulgaverint, vel verbo denunciaverint, sive testati fuerint, ut habetur in laud. Constit.

Consectaria.

I. *Num liceat propriam vitam, vitae proximi praeferre.*

Sine suicidii reatu non licet directe propriam vitam dare pro alterius vita servanda. Sic non licet tabulam in naufragio alteri cedere, panem ad vitae sustentationem necessarium alteri ne fame pereat tradere, quia, ut scribit S. August. de mendacio cap. 6. » Si quis » pro alterius vita temporali suam ipsam temporalem perdat, non est » jam diligere sicut seipsum, sed plusquam seipsum, quod sanae » doctrinae regulam excedit ». Ita quidem si vita cum vita confeBut ratur; at si vel bonum commune accedat, quod ab alterius vita pendet, vel bonum virtutis, ad quod obtinendum alter suae vitae vitam proximi praefert, jam licitum evadit propriam vitam prodigere pro alterius vita servanda. Ita docet S. Thom. 2. 2. q. 32. a. 6. Legantur, quae dicta sunt de Charitate.

II. *Licet honestis de caussis, se periculo mortis exponere.*

Sicut licet ex motivo virtutis se periculo mortis exponere, sic licet contra injustum invasorem occisivam defensionem praetermittere, ne ille in aeternum pereat, inservire peste infectis, illis Sacramenta ministrare, stationem constanter tenere in bello, et similia, quum hoc sit interius bonum, scilicet vitam, excellentiori bono, scilicet charitati et virtuti praeferre. Recolantur, quae de Charitate agentes diximus.

(*) Gregorius XIII. in Const. quae incipit, *Ad tollendum*, et Clemens VIII. in Constitut. incipiente, *Illius vices*, extendunt praefatas poenas etiam ad provocantem et acceptantem, quamvis pugna non sequatur, si ad locum accesserint designatum, et per eos non steterit, quominus pugnarent.

III. *Ad servandam virginitatem, non licet sibi mortem adsciscere.*

Non licet Virgini, vel honestae mulieri mortem sibi consciscere pro sola corporali integritate servanda, vel periculo mortis se exponere; ne ab homine in secretioribus partibus aspiciatur. Fatemur quidem debere virginem mortem potius a violento invasore pudicitiae intentatam fortiter ferre, quam vel mere passive assentiri, et sinere ab ipso violari, quia alioquin non obsistendo, non reluctando sceleris particeps fieret, et ejus passiva quies et immobilitas esset non ab externo agente, sed a voluntate timore quidem mortis consentiente, sed tamen consentiente, proinde absolute voluntaria, adeoque et criminosa, At ad stuprum vitandum sibi mortem consciscere vel ex turri in praeceps dando, vel in flumen se conjiciendo, esset gravius peccatum in se admittere ad evitandum alterius crimen, ut optime docet S. Thom. hic quaest. 64. art. 5. ad 3. Quamobrem non licet virgini vel honestae mulieri periculo mortis se exponere modestiae servandae caussa: quandoquidem bonum virtutis non in exterioribus membris consistit, sed in animo; hinc nec castitas, nec modestia amittitur, nisi a volente, nec exterioribus actibus, quos inviti patimur, vel admittimur, foedatur, vel minuitur; at quidem violatur ordo charitatis, dum hoc malum refugientes maximum incurrimus, et ob brevem ruborem justa ratione excutiendum vitae periculum subimus. Quod si mulier timeat peccati periculum, commendanda; sed cum Augustino regerendum lib. 1. de Civ. Dei. cap. 25, » Absit a mente christiana, quae Deo suo fidit, in eoque spe posita, ejus adjutorio » nititur, absit, inquam, ut mens talis cujuslibet carnis voluptatibus » ad consensum turpitudinis cedat. Quod si illa inobedientalis con» cupiscentia, quae adhuc in membris moribundis habitat praeter » nostrae voluntatis legem, quasi lege sua movetur, quanto magis » absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est » in corpore dormientis ».

IV. *Non tenetur infirmus suae sanitati prospicere, remediis extraordinariis.*

Non tenetur infirmus saluti suae providere extraordinariis remediis, puta abscissione membri, exquisitis et pretiosioribus medicinis, longa a patria peregrinatione et absentia ob aeris mutationem, vel gravioribus expensis. Ita communiter Theologi. Nam lex charitatis et naturae non eodem modo urget quum agitur de morte sibi consciscenda, ac de vitae servanda. Sicut enim nunquam licet mortem sibi inferre ad quaecunque mala vitanda, ita non semper urget, ut quibuscunque mediis vitam servemus, eamque amittendi nullum unquam subeamus discrimen, alioquin non liceret pugnare, navigare, poenitentia corpus affligere, et similia, quae profecto vitam non conservant, sed terunt, et mortem accersunt. Non ergo legem naturae, et charitatis violabit, qui recto fine justaque de caussa remediis extraordinariis, acerbioribus, et violentis vitam conservare recusaret.

V. *Quinam a crimine suicidii non excusentur.*

A suicidii crimine non excusantur, qui gravissima tristitia, desperatione, iracundia, vel alia vehementi passione compulsi seipsos interficiunt; quippe quia hujusmodi vehementes passiones homo fraenare et compescere tenetur, et non semper usu rationis eos privant,

alioquin nunquam suicidium esset peccatum quum nemo sedato tranquilloque animo sibi mortem consciscat, sed semper ex gravissima perturbatione mentis et animi oriatur. Sola itaque dementia et vesania suicidam excusare potest. Hinc Ecclesia in Rituali Rom. jubet, eos ecclesiastica sepultura privari, qui *seipsos occidunt ob desperationem, vel iracundiam (non autem si ex insania id accidat) nisi ante mortem dederint signa poenitentiae.* Censet igitur, desperationem et iracundiam a peccato suicidii non excusare, alioquin innocentes, et miserandos potius injuste puniret profano sepulcro.

DISSERTATIO VI.

De sexto et nono Decalogi Praecepto.

Non moechaberis. Non concupisces uxorem Proximi tui.

Tametsi in hoc duplici praecepto nonnisi adulterium et alienae uxoris concupiscentia vetita videantur. Omnis tamen, *inquit S. Augustinus lib. 11. quaest. in Exod. q. 71.* illicitus coocubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi, *sicut et inordinatus quilibet voluntatis venereae appetitus; immo, ut subdit Tridentini Concilii Catechismus, positivum etiam in eo continetur praeceptum de corporis, animique castitate custodienda et servanda. Duo igitur in hac dissertatione explicanda sumimus, nimirum quomodo sit castitas custodienda, et ab omni luxuria abstinendum. Verum quum de capitali luxuriae peccato abunde dixerimus in Tract. de Officiis hominum, hic, sicut ibi polliciti sumus, de solis luxuriae speciebus disputationem instituemus, eaque duntaxat explicabimus, quae ad hoc vitium dignoscendum erunt necessaria, ne dum mentem erudire studemus, nimium in argumento lutulento, et diutius, quam par sit, immoremur.*

CAPUT I.

De castitatis praecepto.

I. *Quid et quotuplex sit Castitas.*

Castitatis vocabulum a castigando deducit S. Thom. 2. 2. q. 151. art. 1. *Ex eo*, ait, *quod per rationem concupiscentia castigatur, quae ad modum pueri est fraenanda.* Dupliciter autem sumi posse docet, nimirum 1. improprie et metaphorice. 2. vere et proprie. Castitas 1. modo accepta animi denotat puritatem ab omni peccati labe immunem, unde et *castitas spiritualis* a D. Th. appellatur, quippe quia per eam cor hominis in Deo solo delectatur, illi unice adhaeret, legem accurate custodit. Opponitur autem huic castitati spiritualis fornicatio, quae in adhaesione consistit rerum creatarum, quas suo Creatori postponit ejus praecepta violando. Hoc autem modo accepta non jam virtus est specialis, sed generalis: omni enim virtuti convenit hominum animos ab illicitis delectationibus retrahere, a peccatis revocare, et cum Deo aliquam inducere conjunctionem. Legatur S. Thom. ibid. art. 2. Castitas vero proprie accepta ex D. Thom. defi-

nitur art. 1. *Virtus per quam concupiscentiam compescimus et castigamus quodam rationis moderamine, quod efficit, ne homo vel magis, quam recta ratio dictat, venereis utatur, vel in tempore, loco et circumstantiis indebitis ac inopportunis juxta sui status conditionem.* Et hoc pacto specialem esse virtutem nemo ambigit, quippe quae peculiare et proprium habet objectum, fraenationem scilicet concupiscentiae, et cohibitionem voluptatis et usus in venereis, quod longe difficilius est, quam moderamen aliorum affectuum. Ita S. Thom. art. 2. et 2.

II. *Castitas alia perfecta, alia imperfecta.*

Potest castitas esse omnimodo et perfecta, vel partialis et imperfecta. Prior in abstinentia consistit ab omnibus carnis voluptatibus sive licitis sive illicitis, proinde et castas nuptias refugit, altera vero solum illicitas excludit voluptates. Prior proprio nomine virginitas dicitur, altera vero proprium retinet castitatis nomen, et duplicem statum admittit, conjugalem scilicet, et vidualem. Conjugalis castitas abstinentiam inducit ab omni illicita cum aliena mulierem commixtione, et insuper usum moderatum matrimonii, ne quid inordinatum et contra rationem subrepat. Vidualis vero castitas reperitur non solum in illis, qui soluto matrimonio celibes vivunt, et procul a voluptatibus carnis; sed et in illis, qui extra matrimonium virginitatem amisere, sed poenitentia ducti postea ab omnibus sive licitis sive illicitis abstinent carnis voluptatibus. Docet vero S. Th. q. 152. a. 3. ad 5., castitatem conjugalem et vidualem non esse virtutes a communi castitate distinctas, quia prior *non habet aliquam excellentiam supra communem castitatem;* altera vero licet habet, *non tamen pervenit ad id, quod est perfectum in materia ista, scilicet ad omnimodam immunitatem venereae voluptatis, sed sola virginitas.* Hanc sic definit S. Ambros. lib. de Virgin. in principio: *Castitas virginalis est expers contagionis integritas.*

III. *Quid sit virginitas.*

Quid ad essentiam perfectae virginitatis requiratur, declarat S. Th. art. 1., ex cujus doctrina virginitas in materialem distingui potest et formalem. Prior in materiali consistit carnis integritate omni contagione experte, quae, quum ab ipsa habeatur natura, et licite per matrimonium amitti queat, virtus animi non est, sed corporis perfectio. Formalis vero et moralis, quae veram rationem habet virtutis praeter corporalem incorruptionem postulat firmum in animo propositum servandi ab omnibus licitis illicitisque carnis voluptatibus abstinentiam, et quidem non temporalem sed perpetuam: temporanea enim abstinentia cum animo nubendi, vel sine proposito in ea perseverandi castitatis quidem statum constituit, virginitatem vero omnino non perficit. Requiritur ergo et sufficit, etiam sine voto propositum firmum et constans atque perpetuum se ab omnibus licitis, illicitisque carnis voluptatibus servandi immunem. Ita docet S. Th. q. 152. a. 3. *In virginitate est sicut formale et completivum propositum perpetuo abstinendi a delectatione venerea.* Et a. 1. docuerat: *Propositum perpetuo abstinendi a tali delectatione se habet formaliter et completive in virginitate.*

Consectaria.

I. *Virginalis status est conjugali praeferendum.*

Virginalis status excellentior est conjugali societate. Comparationem itaque instituimus non inter virginitatem, et Sacramentum matrimonii, hoc enim esse illa excellentius nemo ambigit; sed inter statum et statum, virginalemque continentiam longe conjugalem excellere juxta fidem catholicam affirmamus, docente D. Th. hic q. 152. a. 4. *Dicendum, quod sicut patet in Lib. 1. Hieronymi contra Jovinianium, hic error fuit Joviniani, qui posuit, virginitatem non esse matrimonio praeferendam. Quod quidem error destruitur et exemplo Christi, qui et matrem virginem eligit, et ipse virginitatem servavit; et ex doctrina Apostoli, qui 1. ad Cor. 7. Virginitatem consuluit tanquam melius bonum; et etiam ratione, quia bonum divinum est potius humano bono, tum etiam quia bonum contemplativae vitae praefertur bono activae. Virginitas autem ordinatur ad bonum animae secundum vitam contemplativam, quod est cogitare ea, quae sunt Dei; conjugium autem ordinatur ad bonum corporis quod est corporalis multiplicatio generis humani .... Unde indubitanter virginitas praeferenda est continentiae conjugali.*

II. *Non est imprudentis hominis vovere castitatem.*

Falluntur et fallunt Heterodoxi, dum fatentes virginitatis statum conjugalem castitatem excellere, tamen imprudentis esse dicunt virginitatem vovere, quum voventes magno se exponant periculo peccandi castitatem vovendo. *Periculum* enim, ait S. Th. 2. 2. q. 88. a. 4.; *voventi non imminet ex ipso voto, sed ex culpa hominis, qui voluntatem mutat transgrediens votum. Unde Augustinus dicit in eadem epistola.* Non te vovisse poeniteat, immo gaude jam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset.

III. *Votum Castitatis in saeculo, caute est concedendum.*

Prudens animarum Moderator summa prudentia uti debet et plura attendere, antequam adolescenti sive foeminae sive viro permittat votum perpetuae virginitatis in seculo servandae emittere. Attente itaque perscrutari debet aetatem, sexum, vitam praeteritam; et quae temporis progressu accidere queunt, et caussas, et motiva ad votum impellentia. 1. Aetas, quae ad virginitatis statum amplectendum in claustro idonea est, raro est apta ad votum castitatis in saeculo emittendum: nam in claustro plurima sunt, quae ad custodiam castitatis sunt ordinata, in saeculo fere omnia desunt, et e contra plura urgent pericula violandi voti. 2. Sexus quoque praesertim infirmior, nimis inconstans est et mutabilis, proinde minus idoneus ad virginitatem vovendam. Adolescentioribus praesertim viduis non facile permittat castitatem vovere, quippe quae ex praegustata voluptate facilius mutantur. 3. Attendere etiam debet anteacte vitae decursum, in qua si comperiat castitatem violasse peccando, non sinat votum castitatis emittere, nisi prius diuturna experientia compererit concupiscentiam domasse, et viriliter restitisse. 4. Expendere etiam debet vicissitudines familiarum, quae maxime influere possunt, ut propositum et consilium mutare nedum expediens sit, sed et quandoque necessarium. 5. Denique caussas ad votum impellentes diligenter perpendat, num

a juvenili fervore progrediatur, an ex ardenti amore virginitatis, an ex studio perfectionis majoris. Quibus omnibus rite et recte perpensis, adhuc expediret primo temporaneum votum permittere, subinde renovandum; et tandem quum res undique in tuto est, etiam perpetuitatem concedere.

IV. *Virginitas materialis, amitti potest absque virtutis dispendio.*

Virginitas carnis et materialis, quae in integritate signaculi virginalis et inexperientia actus venerei consistit, amitti potest etiam irreparabiltter, quin tamen virtus virginitatis vel amittatur, vel minuatur. Ita docent SS. Augustinus et Thomas, ille lib. 1. de Civ. D. c. 18. iste vero hic q. 152. a. 1. ad 4. ubi ait: » Delectatio, quae est ex » seminis resolutione ...... potest provenire praeter propositum » mentis vel dormiendo, vel per violentiam illatam, cui mens non » consentit, quamvis caro delectationem experiatur, vel etiam ex » infirmitate naturae, ut patet in his, qui fluxum seminis patiuntur: » et sic non amittitur virginitas, quia talis pollutio non accidit per » impudicitiam, quam virginitas excludit ». Et in praecedenti resp. de claustro virginali dixerat: *quod si aliquo casu membri integritas corrumpatur, non magis praejudicat virginitati, quam si corrumpatur manus, vel pes.*

V. *Quando virginitas amittatur irreparabiliter.*

Virtus virginitatis irreparabiliter amittitur in foeminis ob voluntariam claustri violationem ex culpa inductam, in viro vero per carnalem voluntariam copulam, in utroque autem per solam voluntariam seminis effusionem. Nam in foemina tria sunt, quae virtutem virginitatis constituunt, nimirum integritas carnis, immunitas a venerea delectatione, et propositum ab ea perpetuo abstinendi; porro praefato modo haec tria tolluntur, ut patet. Quod vero seminis voluntaria et culpabilis effusio in utroque sexu virginitatis virtutem pessumdet, aperte docet D. Th. hic q. 152. a. 1. ad 4. *Delectatio, quae est ex seminis resolutione, dupliciter potest contingere. Uno modo, ut procedat ex mentis proposito: et sic tollit virginitatem, sive fiat per concubitum, sive absque concubitu.* Quod vero hoc modo deperdita virginitas sit irreparabilis, idem Angel. docet et probat ibi a. 3. ad 3. dicens: *Illud autem est, quod nec miraculose reparari potest, ut scilicet qui expertus est voluptatem veneream fiat non expertus. Non enim Deus potest facere, ut ea, quae facta sunt non sint facta.*

VI. *Quando reparabiliter amittatur Virginitatis virtus.*

Virtus virginitatis reparabiliter amittitur quocunque peccato lethali sive interno sive externo contra castitatem. Quum enim juxta S. Th. virginitas sit omnis contagionis expers integritas, haec profecto abrumpitur et maculatur cujuscunque contagionis luto, cujusmodi est quodlibet lethale peccatum contra castitatem. Recuperabiliter autem hisce actibus deperditur, quia quum in illis, ut supponimus, delectatio carnalis non adsit, sed solum quod in virginitate formale est, violetur, propositum scilicet abstinendi ab omni carnali delectatione, per poenitentiam poterit sarciri, docente S. Th. l. l. q. 152. a. 3. ad 3. *Ille, qui virginitatem peccando amisit, per poenitentiam non recuperat virginitatis materiam, sed recuperat virginitatis propositum.*

CAPUT II.

De luxuriae speciebus.

I. *De luxuriae speciebus; et primum de Fornicatione.*

De luxuria capitali vitio agentes varias ejus species indigitavimus tantum, ampliorem enim tractationem hoc loco reservavimus. Sex itaque inibi enumeravimus luxuriae species ex S. Th. nimirum fornicationem, adulterium, incestum, stuprum, raptum, et vitium contra naturam, quibus adjunximus et sacrilegium, quod S. Th. quoddam spirituale adulterium appellat. Discriminis specifici rationem ex formalis objecti diversitate desumpsimus. Recolantur quae ibi sunt dicta. Jam ad singulas species enucleandas progrediamur. Fornicationem definit S. Th. 2. 2. q. 53. a. 1. *Concubitus soluti cum soluta*, sive nunquam nupta fuerit, sive vidua, sive concubina, sive meretrix. Porro fornicationem peccatum lethale esse, luculentissima evincunt utriusque foederis testimonia, quorum pauca indicabimus. In Deuter. cap. 23. indicitur: *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel.* Quae verba expendens August. q. 37. in Deut. egregie infert: » Ecce ubi manifeste prohibuit fornicari et viros et foeminas » etiam cum non alienis conjugibus, quando et meretrices esse, et ad » meretrices accedere prohibet, quarum publica venalis est turpi- » tudo ». Et Apost. ad Rom. 1. et ad Gal. 5. de fornicariis scribit: *Qui talia agunt digni sunt morte .... Regnum Dei non consequentur.* Et ad Ephes. 5. *Omnis fornicator .... non habet haereditatem in regno Christi et Dei.* Nec solum mala reputanda est fornicatio, quia divino interdicta praecepto, sed quia veram contra naturalem legem invehit turpitudinem, ac proinde non ideo mala quia vetita, sed vetita quia mala. Quod probat S. Th. hic q. 154. a. 2. *Fornicatio enim importat inordinationem, quae vergit in detrimentum vitae ejus, qui est ex tali concubitu nasciturus .... Ad educationem enim prolis non solum requiritur cura matris, a qua nutritur, sed multo magis cura patris, a quo est instruendus et defendendus, et in bonis tam interioribus, quam exterioribus promovendus. Et ideo contra naturam est, quod utatur vago concubitu .... Et inde est, quod naturaliter inest maribus in specie humana sollicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis. Haec autem certitudo tolleretur, si esset vagus concubitus. Determinatio autem certae foeminae matrimonium vocatur: et ideo dicitur esse de jure naturali .... Unde, quum fornicatio sit concubitus vagus, utpote praeter matrimonium existens, est contra bonum prolis educandae, et ideo est peccatum mortale.* Nec vim hujus argumentationis infringit, si quis dicat, non semper fornicationem in detrimentum vergere prolis probiter gignendae et educandae, quum contingere possit prolem etiam fornicarie conceptam et provide nasci et educari, et fortasse etiam melius prole legitimo matrimonio progenita: nam ut optime subdit S. T. huic objectioni respondens: *Nec obstat, si aliquis fornicando aliquam cognoscens sufficienter provideat proli de educatione: quia id quod cadit sub legis determinatione, judicatur secundum id, quod communiter accidit, et non secundum id, quod in aliquo casu potest accidere.*

II. *Quid sit concubinatus; et quomodo se gerere debeat Confessarius cum Concubinariis.*

Concubinatus definitur jure Canonico *concubitus viri soluti cum foemina soluta, quam vel in proprio domo, vel foris retinet, ad quam frequenter vel cum consuetudine accedit.* Dicitur *concubitus soluti cum soluta*, ut concubinatus intra limites simplicis fornicationis sistatur, nam alioquin per alias species luxuriae divagari potest: si enim concubina vel concubinarius sint matrimonio ligati, malitia additur adulterii; si sint in aliquo gradu affines, vel consanguinei, adjungitur turpitudo incestus; si vero sint vel voto castitatis, vel sacra ordinatione ad continentiam adstricti, magis defoedatur culpa, qua sacrilegium superadditur fornicationi. Dicitur, *ad quam frequenter, vel ex consuetudine accedit*, ut propria malitia concubinatus exprimatur: quum enim fornicatio simplex solum importet concubitum indeterminatum modo cum uno, modo cum altera, concubinatus addit malitiam consuetudinis et perseverantiae in pravo affectu, et abominabili luxuria. Hinc concubinarius semper in statu lethalis peccati servatur. Quare nec absolvendus est nec semel, nec prima vice, nisi concubinam expellat si domi habeat, vel omnino deserat si extra domum retineat, nisi forte in ejus manu non sit eam abjicere. Nam in concubinatu non solum sunt consideranda peccata libidinis, sed ipsa concubinae detentio, quae de se peccatum lethale est, quod non deseritur nisi concubinae ejectione vel fuga; et proxima occasio peccandi, qua non sublata, non est Sacramentali absolutione donandus. Addidi, nisi forte in ejus manu non sit eam abjicere, per quae verba nonnisi illud designo impedimentum, quod omnino a voluntate poenitentis non pendet, puta quia in eodem carcere detinetur, vel quia concubina est matris famula, quam domo pellere non potest filius familias. Non vero quia ex depulsione aliquod gravissimum sibi proveniat temporale detrimentum. Sed hac de re legantur, quae de proxima occasione vitanda in Tract. de Officiis hominum dicta sunt.

III. *Meretrix quaenam sit habenda, et quomodo se gerere debeat Confessarius cum Meretricibus.*

Meretrix ea dicitur mulier, cujus venalis est turpitudo, multorumque patet libidini: si quae enim mulier uni tantum vel alteri sui copiam facit, fornicaria quidem evadit; at meretrix proprie dicenda non est. Meretricis peccatum gravissimum esse nemo non videt, quum tota scorti vita habituale peccatum sit nunquam cessans: semper enim paratae sunt ad peccandum; praeterea sunt petra scandali et rete diaboli, quo innumeri capiuntur et misere pereunt. Denique omnes fere luxuriae species, peccata, et crimina in se admittunt, quae plerumque omnibus etiam propudiosis libidinibus inserviunt; quare meretricium in nulla determinata specie peccati restringi potest, quum ad omnia dispositionem animumque supponat. Quum autem meretrices in actuali peccato sint, non sunt absolvendae, nisi omnino resipiscant, et non solum privata, et penes Confessarium poenitentiae signa dederint, sed et publica, praesertim a loco et domo meretricia recedendo, vel in locum hisce mulieribus ad poenitentiam destinatum se recipiendo. Ad sacram mensam non sunt admittendae, nisi post diuturnam poenitentiam, et nisi publice constet de earum

emendatione, et scandalum sit omnino sublatum. Si in peccato decedant, sunt etiam Ecclesiastica sepultura privandae; immo si in extremo vitae poenitentiam postulent, quae illis non est deneganda, expediet tamen adhuc eas ad aliorum terrorem Ecclesiastica sepultura privare, vel in loco quidem sacro ea cadavera humare, sed sine honore et Cleri associatione. Verum hoc Superiorum Ecclesiasticorum prudentiae relinquendum.

IV. *Num liceat summis Potestatibus, meretrices tolerare.*

Num supremis Potestatibus christianis licitum sit publicas meretrices in civitatibus tolerare, res est satis difficilis resolutionis, quum inter se digladientur Theologi. S. Th. 2. 2. q. 10. a. 11. docet licere supremis Potestatibus aliqua minora mala tolerare, ut majora vitentur, hinc scribit: *In reginine humano illi, qui praesunt, recte aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur, sicut August. dicit in lib. 2. de Ordine cap. 4.* Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus. Ad me quod attinet, non audeo lethalis peccati, immo gravissimi scandali reas pronunciare supremas potestates, quae scorta toleranda in suis Ditionibus censent. Me movet praesertim tot summorum Pontificum auctoritas, qui Romae et in aliis etiam Civitatibus suae Ditioni subjectis scorta permittunt et tolerant, et tamen plures fuerunt sanctitate, pietate, et religione celebres. Quid quod et ipse sanctissimus Pontifex Pius V., quem adeo laudat, et extollit Concina, quia ut refert Cornelius a Lapide, memorabili exemplo Roma intra quindecim dies excedere jussit, *tamen*, ut ipsi Cornelius et Concina fatentur, *paucas permisit*, *easque loco separato juxta Mausoleum reclusit.* Censuit igitur S. Pontifex, licere sibi, ac proinde et ceteris Principibus absolute scorta tolerare, quum pauca permiserit.

V. *Conditiones servandae in tali permissione.*

Addo tamen, Principes aeterna Dei lege teneri. 1. nonnisi necessitate urgente scorta permittere, et praesertim a minoribus Urbibus, ubi tanta non est populi frequentia, ea expellere. 2. Ubi vero permittenda censent, ut pauciori quo fieri potest sint numero statuant et decernant. 3. In viliori et remotiori civitatis angulo locent procul ab Ecclesiis et Monasteriis ob religionem, et procul a tabernis, ne adventantes ad peccandum alliciant. 4. Ne quempiam invitum ad ingrediendam domum compellere audeant, et haec agentes severissime puniant. 5. Tributum non exigant ob quaestum meretricium: hoc enim non esset scorta tolerare tantum, sed adprobare. Optandum etiam foret, ut Principes statuerent, ut meretrices peculiari utantur veste, vel aliquo patenti signo, ut ab honestis matronis et puellis discernantur, nec cum illis se commiscere possint, vel se pudicas simulare. Porro semel admisso non esse criminis et scandali reos Principes scorta tolerantes, nec sunt peccati redarguendi qui illis domos, in solis tamen locis a suprema potestate pro solis meretricibus constitutis, locant; et certe S. Pius V. paucis illis meretricibus, quas Romae retinuit, et juxta Mausoleum reclusit, vel ipse domos concessit, vel ab aliis concedi voluit.

VI. *Lenocinium gravissimum peccatum.*

Gravissimo scelere contaminantur, qui lenocinium exercent foeminas vel ad meretricium et fornicationem alliciendo, vel mares ad eas

pertrahendo: diaboli enim ministerium implent, quippe qui ad abominandas voluptates carnis alliciunt, dum ipsi omni carent voluptate. Nulla est istorum permissio Principum, quinimmo eos severe puniendos sanciunt, quum Reipublicae gravius noceant, quam fures et latrones. Non sunt itaque absolvendi, nisi a pravo opere desistant, et publica poenitentia allatum scandalum resarciant. At in immensum augetur hoc crimen, quando lenocinium ab ipsis puellarum parentibus, vel a maritis respectu uxorum exercetur: praeter enim charitatem, quam scandalo violant, castitatem, quam impudicitiis defoedant, pietatem etiam et justitiam turpissime pessumdant. Priores a civilibus legibus patria privantur potestate, et ad publica metalla damnantur; posteriores vero seu adulteri puniri debent poena mortis, vel saltem perpetua infamia, et exilio, vel carcere.

CONSECTARIA.

I. *Propositio damnata.*

Merito ab Innocentio XI. damnata fuit propositio in ord. 48. quae asserebat: ***Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam***, *et solum esse mala*, *quia interdicta*, *ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.* Quam doctrinam Clerus Gallicanus juste declaravit scandalosam, perniciosam, castarum et piarum aurium offensivam, et erroneam. Hinc patet quam sit damnanda junioris doctrina ausu plane temerario dicentis: *In propositione 48. damnata ab Innoc. XI. non damnatur dicere, fornicationem non esse de se malum*, *sed modus propositionis*, *tam clarum videtur.*

II. *Quid cum illis agendum*, *qui nequeunt concubinam expellere.*

Non est danda sed differenda absolutio iis, qui concubinam domi retinent, quam licet expellere libenter vellent, nequeunt tamen, donec vel separentur, vel a peccando cessent. Hujusmodi sunt filius familias, qui cum famula matris impudicum habet commercium: filia, quae cum famulo patris frequenter commiscetur: frater vel alius consanguineus, qui cum sorore, vel alia consanguinea peccat. Hos enim omnes supponimus absolute non posse concubinam expellere, quum nullam habeant in eam potestatem. Fugere autem filia a domo parentum non debet, tum quia nequit se parentum subtrahere potestati, tum quia magnum, inde oriretur scandalum. Filius quoque familias non est cogendus absolute ad paternam domum deserendam, nisi, ut mox dicemus, extrema fugiendae occasionis necessitas cogat. Primo itaque hujusmodi peccatores toto studio satagere debent, ut invicem separentur. Hinc, si opus sit et parentes prudentes sint et pii Deumque timeant, secreto vel ab ipso filio et filia, vel ab alio certiores faciendi de proxima occasione, in qua versantur, ut ipsi secreto et debita cautela delinquentes separent vel ancillam sive servum dimittendo, sive filium aut filiam in loco tuto extra domum collocando. 2. Si hoc remedium adhiberi nequeat, ad alia confugiendum est: injungenda itaque mutua disjunctio, quantum possibilis est, adeo ut nunquam soli inveniantur, mutuum fugiant colloquium, aspectum, familiaritatem omnem, juges ad Deum habeant preces, addenda jejunia, spiritualis lectio, mortis meditatio, et alia hujusmodi pia exercitia. Interim tamen differenda absolutio: duo enim

sunt vincendi hostes, nimirum et occasio proxima, quae semper urget, et prava inducta consuetudo, quae vires occasionis proximae summopere auget, et semel obtenta absolutione, jam se omnino sanos arbitrantur; quamobrem tepescunt, minus cavent, ac propterea facillime, et cum majori damno relabuntur. Solum ergo demum absolutione sunt dignandi, quum a peccato non solum cessaverint, sed prudens judicium efformari queat non amplius lapsuros; quod profecto judicium efformare nequeunt sacri Ministri quamdiu vident, hujusmodi poenitentes nondum a peccatis omnino cessasse, licet frequentiam minuerint. 3. Quod si tantae sint fragilitatis, ut omnibus etiam bis adhibitis remediis se a peccando cohibere nequeant, tunc quidem filius familias sub aliquo obtentu vel electionis status, vel officii assumendi, vel artis addiscendae, vel extraneae occupationis, vel saltem peregrinationis a domo patris recedere et concubinae conspectum omnium fugere tenetur. Si vero sit filia, docere non audeo ut fugiat, toto studio tamen satagere debet, ut vel in Monasterio ponatur, vel matrimonio jungatur, vel ad alterius consanguinei vel affinis domum transferatur. Quod si praefata disjunctio impossibilis reddatur, tamen nunquam sunt absolvendi, donec Dei providentia res ita disponantur, ut tandem necessariae segregationi pateat locus; et cessent criminosi incestus.

III. *Quid non concedendum concubinariis, etiam pulsa concubina.*

Non est permittendum a prudenti Ministro concubinariis jam a concubina sejunctis illam invisere honesti amoris caussa, vel ad filios ex ea habitos invisendos et alendos, vel eam in propriam domum revocare, ut infirmo concubinario assistat. Nam hujusmodi congressus manifestam secum afferunt spiritualis ruinae occasionem, et licet libidinis ignis extinctus omnino videatur, semper tamen scintillae latent, quae ut erumpant et conflagrent, etiam tenuissimus concupiscentiae ventus sufficit. His accedit scandalum, quod necessario consequitur ex hisce mutuis benevolentiae signis inter personas jam ob concubinatum infames, quod non solum vitare debent, sed datum scandalum omnimoda segregatione et pie vivendo sarcire tenentur.

IV. *Concubinarius etiam putativus, scandalum tenetur avertere.*

Optime animadvertunt, et docent Salmanticenses, denegandam absolutionem etiam concubinario, qui licet talis revera non sit, solum tamen communiter reputatur, quum quilibet jure naturae peccandi occasionem non solum veram, sed et apparentem, quum inde scandalum exoritur, averruncare teneatur, et hic locum habet Apostoli praeceptum, *ab omni specie mali abstinete vos.* Plura possent alia hic deduci consectaria de inservientibus concubinis, meretricibus, aliisque fornicatoribus, sed ea invenies in Tract. de scandalo, et cooperatione ad malum.

CAPUT III.

De stupro et adulterio.

I. *Quid sit stuprum.*

Stuprum ex D. Th. definiri potest: *Concubitus viri cum virgine, per quem ejus defloratur virginitas.* Speciale peccatum esse a fornica-

tione distinctum ostendit S. Th. hic 2. 2. q. 154. a. 6. ob duplicem, quam fornicationi superaddit, deformitatem, tum scilicet ex parte puellae, quae ex hoc quod violatur, *impeditur a legitimo matrimonio consequendo, et ponitur in via meretricandi, a quo retrahebatur, ne signaculum virginitatis amitteret; tum ex parte patris, qui de ejus custodia sollicitudinem gerit.* Ex qua doctrina evidenter colligitur, stuprum committi etiam quando puella suae consentit deflorationi: nam duplex deformitas, quam reperit S. D. in tali concubitu non tollitur per consensum virginis: nam adhuc et parentibus irrogatur injuria tum ab ipsa filia, quae est sub patria potestate, tum a stupratore, qui eorum honorem in filia laedit: et puella impeditur a legitimo matrimonio consequendo et in via meretricandi ponitur, quod damnum contingit etiam ipsa virgine consentiente, licet stuprator fortassis ad ejus reparationem non teneatur. Immo vero stuprum cognoscit S. Antoninus, licet virginis consensui et parentum scelestorum accedat consensus. Nam uterque, scilicet et virgo consentiens et stuprator naturalem ordinem violant, juxta quem virginitatis signaculum inviolatum, intactumque servari debet donec matrimonio jungatur: *Habet enim*, inquit S. Th. ad 1., *speciale impedimentum fornicarii concubitus virginitatis signum, quod non debet nisi per matrimonium auferri.*

II. *Stuprator ad quid teneatur.*

Duplici porro pacto quis potest consentientem virginem violare, nimirum vel illa petente, sive solis blanditis illecta, vel dolo, metu gravi, mendacio, falsisque pollicitationibus seducta. Si primum, nihil jam ipsi virgini debet stuprator sive pro injuria, sive pro damno, quum ipsa volens et lubens utrumque subierit, tenetur tamen parentibus pro injuria satisfacere. Si vero metu, dolo, falsa promissione seduxit, » tenetur ei satisfacere (verba sunt S. Th. laud. q. 154. » a. 6. ad 3.) unde dicitur Exod. 22. 16. *Si seduxerit quis virginem » nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, et habebit » uxorem. Si autem pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam » juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.* Aliam vero » injuriam facit patri puellae; unde et ei secundum legem tenetur ad » poenam ». S. Antoninus vero 2. p. c. 6. tit. 5. scribit: » Si autem » seduxit, puta promissionibus et mendaciis, non videtur fuisse vo» luntaria. Invitam ergo et seductam si constupraverit, injungendum » est illi quod satisfaciat ad arbitrium boni viri, vel cum ea com» ponat; et si promisisset eam ducere in uxorem ut copulam extor» queat, servet promissum, et multo magis juramento firmatum ». Sed de hoc iterum et accuratius, quum de sponsalibus agemus.

III. *Poenae in stupratores latae.*

Stupratores virginis seductae in Vet. Test. cogebantur eam dotare, et uxorem habere, vel si pater nollet eam dare jubebantur pecuniam in modum dotis persolvere. Licet autem hoc praeceptum judiciale fuerit, ac proinde cum lege cessaverit, adeo tamen est aequitati conforme, ut illud Ecclesia acceptaverit hac sola adjecta mitigatione, ut vel in uxorem accipiat, vel dotem conferat, non utrumque, ut habetur in jure canonico. Jure autem civili puniuntur stupratores privatione dimidiae partis bonorum, si honestae fuerint conditionis,

si vero abjectae fustigatione et exilio. Quod si vim adhibeant, morte plectendi sunt, praesertim si puellam immaturam construpaverint. Si vero stuprator Clericus sit, decem annorum poenitentia in interno foro puniendus. In externo vero juxta locorum diversitatem vel depositione vel suspensione, vel pecuniaria poena punitur ad Judicis arbitrium, qui si comperiat Clericum per vim virginem violasse, ad perpetuam agendam poenitentiam in carcerem vel Monasterium juste poterit detrudere.

IV. *Adulterium quot modis committi queat.*

Adulterium ex D. Th. q. 154. a. 8. triplici modo committi potest, nimirum 1. Si solutus cum conjugata peccet. 2. Si conjugatus cum soluta. 3. Si uterque sit matrimonio ligatus: est enim adulterium ex eodem S. D. *accessus ad alienum torum.* Plures in se complectitur turpitudines, injustitiam videlicet adversus conjugem, fidei in matrimonio datae violationem, ejusdem Sacramenti injuriam, prolis legitimae nocumentum, filiorum confusionem, dum legitimi cum adulterinis miscentur. Plurimorum etiam malorum in caussa esse solet, nimirum rixarum, dissidiorum, odii, scandalorum, et quandoque etiam caedium, et veneficiorum. Merito itaque istud scelus etiam barbarae gentes semper detestatae sunt, quod legi naturali, divinae, et humanae adversetur.

V. *Adulterium committitur etiam consentiente marito.*

Ab adulterii crimine immunis non est uxor, licet consentiente marito alteri viro commisceatur. Hanc propositionem olim plures benigniores Casuistae inficiati sunt; sed ejus veritatem in lucem posuit Innoc. XI. prop. 50. damnando, quae ajebat: *Copula cum conjugata consentiente marito non est adulterium; ideoque sufficit in Confessione dicere se esse fornicatum.* Et merito quidem quum Apostolo contradicat dicenti in Epist. ad Rom. cap. 7. *Mulier est adultera, si vivente viro fuerit cum alio.* Et quum absolute et indefinite loquatur, unumque excipiat casum, scilicet si vir mortuus fuerit, clare ostendit, Mariti consensum, adulterii malitiam non auferre.

VI. *Quibus modis committatur adulterii crimen.*

Adulteri sunt habendi conjuges. 1. Si vir propria fruens uxore vel uxor proprio viro de alio cogitet vel delectetur: tunc enim licet non opere, morosa tamen delectatione sunt adulteri. 2. Si vir celebrato matrimonio, sed nondum consummato, cum alia muliere rem habeat, quum matrimonium vere perfecteque consistat etiam ante consummationem, et per illud mutuo jus obtineant in alterius corpus. 3. Probabilius adulteri habendi sunt conjuges, qui sodomitico coitu se defoedant: quia matrimonii fides per hoc immane foedus violatur, quum fides in illo data sit de conjugali castitate servanda, et de prolis procreatione procuranda; at infamis illa copula, directa conjugalem violat castitatem, directe prolis generationi adversatur: fidem igitur matrimonii non servat: speciem igitur adulterii praefert. Immo merito dici potest, maritum tali pacto matrimonio abutentem accedere ad non suam, quum pars illa corporis uxoris non sua sit, nec ullam in eam habeat potestatem, utpote quae ad prolis generationem non est a natura destinata. Ita sentiunt Cajetanus, Sotus, Sanchezius, Salmanticenses, Concina, aliique.

VII. *Poenae in adulteros.*

Gravissimum scelus esse adulterium ostendit Scriptura, quae pluribus in locis illud execratur. Poenis etiam severissimis subjacuit semper. In Vet. Test. poena capitis plectebantur adulteri. In foro civili juxta varias Regiones et populos gravioribus puniuntur suppliciis, et Romani adhuc gentiles etiam morte plectebant adulteros. In jure canonico anathemati subjiciuntur. Adultera dote privatur, quae marito adjudicatur. Jus insuper petendi debitum amittunt adulteri. In Canonibus poenitentialibus apud S. Basilium 25. annorum poenitentia plectebantur. Haec diligenter attendant Confessarii, et moechos in Sacram. Poenitentiae non levioribus Poenis absolvant, sed diuturnae et severiori subjiciant poenitentiae.

Consectaria.

I. *Stupri species, in confessione aperienda.*

Foemina, quae stuprum passa est sicut et vir, qui intulit, in Confessione virginitatis deflorationem aperire debent, etiamsi consentientem, vel etiam provocantem virginem cognoverit; quia sic postulat Confessionis integritas, in qua sunt peccati species pandendae. Idem dicendum de pravo desiderio stupri, licet enim reipsa per illud virginitas non tollatur, tamen coram Deo et ex objecto totam stupri malitiam induit. Gravius vero peccat qui virginem dolo vel metu ad stuprum impellit, quam qui solis precibus et blanditiis, quum majorem tum ipsi puellae, tum ejus parentibus injuriam irroget.

II. *Num stuprum, locum habeat in viro a muliere corrupto.*

Tametsi stuprum proprie locum non babeat nisi in sequiori sexu, censeo tamen impudicam mulierem, quae innocentem puellum ad libidinem secum prima vice provocaret, scelus stupro affine perpetrare: licet enim in maribus nec materiale virginitatis extet sigillum, nec tantum dedecus coram hominibus illi sit fornicari sicut puellae: nihilo tamen secius verum est illum pudicitia et castitate spoliari, in coeno illicitae voluptatis mergi, a qua lue perquam difficile est ut emergat; injuriam inferri parentibus filii, quibus custodiendi pignoris cura incumbit. Denique disrepto verecundiae fraeno, laxatis concupiscentiae habenis audacior fit, et ardentior ad libidinem. Certe gravissimi scandali rea est habenda in confessione aperiendi.

III. *Adulterium, adulterio gravius esse potest.*

Adulterium esse valet alio adulterio gravius; et primo quidem si uterque moechus sit matrimonio copulatus: duplex enim est tunc crimen, et duplici matrimonio infertur injuria. 2. Deterius est adulterium soluti cum conjugata, quam mariti cum soluta: in priori enim facile adulterina copia generationi nocet, et sic maritus filiis privatur; vel si non nocet, periculum est prolis incertae: merito enim dubitari potest, num mariti sit, vel adulteri; unde et emergere potest legitimis filiis grava damnum, cum quibus et spuriis misceri possunt; haec vero incommoda minime suboriuntur quum uxoratus cum soluta moechatur. 3. Licet gravius sit adulterium in muliere propter prolis incertitudinem, nihilominus S. Augustinus lib. 2. de

adulter. conjug. cap. 8. deterius censent adulterium viri, quam mulieris, quippe qui tum virtute tum exemplo uxorem regere debet. 4. Tametsi adulterium inter fideles gravius sit, quam viri fidelis soluti cum infideli uxorata, quia non infertur Sacramento injuria, attamen, hujusmodi adulterina commixtio non est sine religionis injuria, et infidelem a conversione deterret. Quamobrem in quibusdam Dioecesibus ubi non est reservatum adulterium, ista copula reservatur.

CAPUT IV.

De Incestu, Raptu, et Sacrilegio.

I. *Incestus quid sit, et quomodo aperiendum in confessione.*

Incestus est copula cum consanguinea, vel affini, vel spiritualis cognatione conjuncta. Peccatum est specie sua ab aliis luxuriae vitiis distinctum, quia specialem includit deformitatem: quam S. Th. praesertim ex eo desumit, quod *naturaliter homo debet quamdam honorificentiam parentibus, et per consequens aliis consanguineis, qui ex iisdem parentibus de propinquo originem trahunt .... Manifestum est autem subdit, quod in actibus venereis maxime consistit quaedam turpitudo honorificentiae contraria: unde de his homines verecundantur. Et ideo incongruum est quod talis commixtio venerea fiat talium personarum ad invicem.* Quemadmodum autem plures sunt tum affinium, tum consanguineorum gradus, ita pariter plures sunt in incestu turpitudines, quae num peccata constituant specie diversa dissident Theologi; omnes tamen conveniunt, esse in confessione aperienda tum modum conjunctionis, videlicet num per consanguinitatem, vel affinitatem, tum gradus sive consanguinitatis sive affinitatis lineae rectae, sive transversalis. Gradus autem prohibiti sive a naturae lege, sive ab Ecclesiae legibus sunt omnes tum consanguinitatis, tum affinitatis ex matrimonio contractae usquae ad quartum gradum inclusive; affinitas vero ex illicita copula solum usque ad secundum gradum.

II. *Incestus locum habet in cognatione spirituali.*

Praeter naturalem cognationem aliae duae sunt, spiritualis scilicet, et legalis. Prima in duobus contrahitur Sacramentis, Baptismo scilicet et Confirmatione solemni ritu receptis juxta Ecclesiae leges in Trident. sancitas, quae et illins limites posuit jubens sess. 24. cap. 11. » Statuit S. Synodus, ut unus tantum sive vir, sive mulier juxta » sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus et una Baptizatum de Baptismate suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum » et illius patrem ac matrem, necnon inter baptizantem, et baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem spiritualis cognatio contrahatur ». Et paulo post de Confirmatione sic decernit: » Ea quoque » cognatio, quae ex Confirmatione contrahitur, confirmantem et confirmatum, illiusque patrem, ac matrem ac tenentem non egrediatur ». Legalis vero cognatio, quae habetur per adoptionem extraneae personae in filium, aut nepotem, vel deinceps, triplex est, nimirum 1. in linea recta iuter adoptantem et adoptatum; 2. in linea transversali inter adoptantem, et filios carnales adoptati; 3. est affinitas legalis ad similitudinem affinitatis carnalis, quae inducitur

inter adoptantem et uxorem adoptati, et vicissim inter ipsum adoptatum et uxorem adoptantis. Harum quaelibet matrimonium dirimit, et copulam constituit incestuosam. Sed de his iterum et enucleatius, quum de Matrimonio tractabimus.

III. *Quid dicendum, de incestu Patris spiritualis cum filia spirituali.*

Spiritualem incestum nonnulli cum S. Th. appellant immo sacrilegium, impudicitiam confessarii cum sua poenitente, quippe quia poenitens est *sub spiritualis Patris cura constituta* ut filia. Licet id analogice non proprie dictum sit; nihilominus quum commistio et luxuria cum filia spirituali foediorem et magis horrendam afferat deformitatem, quam cum alia muliere, est in confessione aperienda, praesertim quum Episcopi fere omnes hoc crimen sibi reservent. Quid adversus hosce Sacramenti Poenitentiae profanatores statuerint Pontifices, et praesertim Bened. XIV. suo loco explicabimus.

IV. *Quid sit raptus, et quomodo committatur.*

Raptus tripliciter spectari potest. 1. quatenus est violenta abductio personae in servitutem redigendae, et hoc modo raptus non luxuriae species est, sed furti, quod plagium dicitur, de quo suo loco. 2. Quatenus est Matrimoni impedimentum a Trid. constitutum, et de hoc sermonem babebimus in Tract. de Matrimonio. 3. Quatenus ad luxuriae speciem pertinet, et juxta S. Th. Doctrinam definiri potest *violenta foeminae abductio libidinis explendae gratia*; et de hoc hic disputabimus. Novam luxuriae speciem praesefert et constituit, quia ut animadvertit idem S. D. hic a. 7. ad 2. *Illatio violentiae videtur procedere ex magnitudine concupiscentiae, ex qua aliquis non refugit periculo se injicere violentiae inferendae.* Violentia itaque ad raptum requiritur sive ipsi mulieri, sive ejus parentibus aut tutoribus, sive utrisque. Ipsa quoque abductio ad raptum constituendum de loco ad locum sit oportet: si enim de uno ejusdem domus cubiculo in aliud secretius abducatur foemina etiam luxuriae caussa, raptus non erit, vel etiam si per aliquos passus ab aperto loco in secretiorem violenter trahatur. Crimen tamen raptus committit qui foeminam explendae libidinis caussa violenter de loco ad locum trahit, licet postea facti poenitens nullum cum illa luxuriae scelus admittat. Rapti crimen locum quoque habere potest respectu viri, si hic vel a muliere, vel ab alio viro rapiatur libidinis explendae causse, quum non minus et ipse violentiam patiatur, et juxta S. Th. Doctrinam etiam haec illatio violentiae ex magnitudine concupiscentiae proficiscatur. Ex eo tamen non subsequitur matrimonii impedimentum si a muliere vir rapiatur, ut suo loco dicemus. Raptores ab Ecclesiasticis Canonibus et a Tridentino Concilio excommunicationis poena plectuntur, sicut et omnes illi consilium, auxilium, et favorem praebentes; si vero Clerici sint, de proprio gradu decidunt.

V. *Sacrilegium quid sit, et quotuplici modo committatur.*

Tametsi sacrilegium de se et directe rei sacrae temerationem importet, ac proinde directe Religioni adversetur, quae Dei cultum respicit; optime tamen animadvertit S. Th. hic art. 10. et castitati opponi posse et speciem luxuriae constituere. Sacrilegium itaque prout castitati opponitur, et luxuriae speciem constituit, definitur *violatio personae sacrae per actum carnalem* .... Tripliciter committi

potest, nimirum si vir voto castitatis obstrictus cum soluta, seu nullo pacto sacra muliere luxuriose peccet. 2. Si mulier voto obligata cum viro soluto impudice conversetur. 3. Si uterque sit voto ligatus, et tunc non unum sed duplex concurrit sacrilegium, quum duplicis distinctae personae Deo dicatae habeatur impudica violatio. Quod si alteruter vel uterque peccans duplici sit vinculo obstrictus, puta quia et est in sacris constitutus, et solemni voto Deo dicatus, vel duplici peccato polluitur, vel saltem gravius sacrilegium committit, quum duplicem in se violet sanctitatem, nimirum et illam, quae ex consecratione in sacris Ordinibus consurgit, et quae ex voto solemni profluit. Quamobrem in confessione utrumque aperire debet. Similiter docet S. Thom. gravius peccare qui est solemni et publico voto Deo dicatus, quam qui simplici et privato: *Votum enim solemne* (inquit 2. 2. q. 68. a. 11.) *habet fortiorem obligationem, quam votum simplex, et gravius peccat qui illud transgreditur.*

VI. *Quando ratione loci, luxuriosum sacrilegium perpetretur.*

Contingit etiam sacrilegium in genere luxuriae, licet qui peccant nulla sint vel consecratione, vel voto Deo dicati, nimirum si in loco sacro impudicitia habeatur. Locus autem sacer ille est, qui est aliqua benedictione ad sacra Mysteria, vel ad fidelium sepulturam ab Ecclesia designatus. Hinc 1. loco Templa loco sacra sunt cum omnibus suis partibus, nimirum Coemeterio, Sacristia, Odeo, Choro, Turri quoque campanaria, si sit tamen cum Ecclesia vel coemeterio conjuncta, non vero si sit penitus sejuncta. Sicut et ea subterranea loca, ubi Sanctorum corpora et Reliquiae asservantur, Altare habetur, et Missae sacrificium offertur; non vero si cavae sint ad Ecclesiam minime pertinentes quoad usum. 2. Oratoria quoque publica ad Missam celebrandam constructa. De Oratoris vero privatis et domesticis, vel saltem de aliquibus, Theologi et Canonistae ambigunt. Fateor, hujusmodi Oratoria in Ecclesiastico externo foro non omnino sacra haberi, nec iis gaudere privilegiis, sicut alia publica Deo dicata loca. At in foro conscientiae et coram Deo quis non videt, ea esse, quantum satis est, sacra, ut sine sacrilegio nequeant libidinibus profanari? Nam 1. ut sacra, sunt a ceteris profanis domus cubiculis, aulis, et locis omnino sejuncta, et proinde ab ipsa familia pro sacris habentur. 2. Inibi incruentum offertur Sacrificium, et fideles de familia conveniunt ad Missam audiendam. Cur ergo sacra dicenda non erunt? Quid, quod nemo non horret audiens ad libidinem explendam delectum ab impudicis Oratorium, ut secretius, et liberius fornicentur? Quis non percipiat loco sacro illatam injuriam? Hosce igitur impudicos a sacrilegio excusare nequaquam auderem. Monasteria vero sicut et eorum dormitoria, cellae, officinae, licet benedictione donata, inter sacra loca non enumerant Canonistae, quum nec ad Sacrificium celebrandum, nec ad defunctorum corpora sepelienda sint destinata.

VII. *Quibus modis loca sacra, per luxuriam polluantur.*

Violant vero haec sacra loca qui in eis fornicatur, polluuntur, turpiter et impudice se tangunt; et alia exteriora libidinis opera exercent. Nec a sacrilegio excusantur, ut quidam Casuistae putant, qui haec occulte patrant, quum non minus publica quam arcana impudicitia coram Deo loco sacro irrogetur injuria, quod si palam

esset et publicum fornicationis crimen, sacrilegio adderetur scandalum, et publice profanatum templum juxta Ecclesiae ritus foret emundandum. Num autem per licitam et maritalem copulam loco sacro irrogetur injuria, digladientur Theologi. Censent aliqui, urgente saltem necessitate, eam excusari, nullamque injuriam loco sacro irrogari, quam urgere arbitrantur, quotiescunque conjugati diu in Ecclesia permanere coguntur, vel asyli gratia, vel urgente bello. Verum hanc necessitatem non video, et si quae a concupiscentia urgeat, reverentia loci sacri cohibenda, sicut cohibenda foret si conjugati vel absentes vel disjuncti forent. Quod ostendit et declarat Ecclesia, dum indicit Templum pollutum censendum per humani seminis effusionem, *sive effusio sit secundum naturam*, *sive contra*, *sive per copulam ALIAS licitam*, *sive per illicitam*. Cap. *Si Ecclesia* de Consecrat. Eccl. Porro si polluitur domus Dei, per quid indecens, et irreligiosum polluitur; quomodo igitur licita esse poterit actio indecens et irreligiosa, quae Ecclesiam defoedat, et polluit?

CONSECTARIA.

I. *Incestus gravior est ex majori conjunctione.*

Incestus eo gravior est, qua conjunctior est persona, cum qua committitur. Hinc gravior est inter consanguineos, quam inter affines, quia in prioribus conjunctio proficiscitur ex ipso intimo naturae nexu; in posteriori vero ex exteriori per matrimonium societate. Pari pacto incestus in primo gradu consanguinitatis lineae rectae et transversalis gravior est ceteris incestibus ejusdem lineae, quae gravitas augetur vel minuitur juxta majorem vel minorem inter consanguineos conjunctionem, quod est dicendum et de linea affinitatis. Gradus itaque conjunctionis sunt in confessione aperiendi. Incestus vero cum cognato vel cognata spirituali adnexam habet etiam sacrilegii foeditatem, quia praeter pietatem debitam spiritualibus cognatis quae violatur, injuria etiam irrogatur Sacramentis vel Baptismi, vel Confirmationis.

II. *Raptus gravior est, quo turpior est libido ad quam explendam adhibetur.*

Raptus crimen eo gravius est habendum, quo turpior est libido, ad quam explendam adhibetur. Gravissimum propterea crimen, si vir virum, et mulier mulierem raperet. Inter mulierum vero raptus gravitatis crimen hoc ordine progreditur, 1. si virginem solemni voto Deo consecratam rapiat, deinde si simplici voto Deo obstrictam, 3. Raptus consanguinearum vel affinium; 4. Virginum seu ingenuarum puellarum, 5. Demum Viduarum.

III. ***Raptus sponsae quando crimen sit, et poenis iisdem subjaceat.***

Sponsus, qui sibi desponsatam de futuro puellam, sive mulierem rapit; peccat quidem graviter, at rigorose raptor non est dicendus, nec poenas a Tridentino latas contrahit, tum quia libertati matrimonii consultum est per sponsalia, maxime si puella consentit matrimonio, tum quia, ut docet S. Thom. hic q. 154. a. 7. ad 4. *Sponsus ex desponsatione habet aliquod jus in sua sponsa; et ideo quamvis peccet violentiam inferendo, excusatur tamen a crimine raptus.* Si vero sponsus sponsam suam rapiat ad libidinem explendam, vel etiam

ad matrimonium extorquendum, quod sponsa justis de caussis vel absolute vel ad tempus detrectat, crimen raptus committit, et poenas a Tridentino latas incurrit. Sed de his accuratius quum de Matrimonio disputabimus.

IV. *Raptus mulieris sui juris, an sit verus raptus.*

Raptor non est habendus, qui mulierem sui juris et consentientem, de domo propria ad suam, vel alium locum transfert, licet fratres, et consanguinei reclament et conquerantur. Quandoquidem nulli fit injuria, non mulieri, quae sponte a proco se abduci de domo consentit, non fratribus et consanguineis, quorum custodiae mulier demandata est, quippe quam et sui juris supponimus, nec sub illis tanquam sub tutoribus vel curatoribus constitutam. Raptus itaque crimen non intervenit.

CAPUT V.

De Luxuriae peccatis contra naturam in communi, et de immunditia seu mollitie.

I. *Definitur peccatum gravissimum contra naturam.*

Vitium contra naturam generatim inspectum definiri potest ex S. Thom. hic a. 11. *Actus carnalis, ex quo non potest sequi generatio.* Pluribus modis hoc contingere posse ostendit S. Doct. subdens: » Uno » quidem modo, si absque omni concubitu caussa delectationis ve» nereae pollutio procuretur; quod pertinet ad peccatum *immunditiae,* » quam quidem *mollitiem* vocant. Alio modo si fiat per concubitum » ad rem non ejusdem speciei, quod vocatur *bestialitas.* Tertio si fiat » per concubitum ad non debitum sexum, puta masculi ad mascu» lum, vel foeminae ad foeminam, quod dicitur *sodomiticum vitium.* » Quarto si non servetur naturalis modus concumbendi aut quantum » ad instrumentum non debitum, aut quantum ad alios monstruosos » et bestiales concumbendi modos ». Hoc crimen esse in genere luxuriae gravissimum indicat ipsa Scriptura, quae ex *nefanda nec nominanda pessima* appellat. Ratione vero evincit D. Thom. hic a. 12. ajens: *In quolibet genere pessima est principii corruptio: principia autem sunt ea, quae sunt secundum naturam ... Et ideo sicut in speculativis error circa ea, quorum cognitio est homini naturaliter indita, est gravissimus et turpissimus; ita in agendis agere contra ea, quae sunt secundum naturam, est gravissimum, et turpissimum.*

II. *Peccata contra naturam, specie sunt diversa.*

Vitia contra naturam esse specie inter se distincta, modo nullus est qui ambigat, postquam Alexander VII. propositionem in ordine 24. damnavit asserentem: *Mollities, sodomia, bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimae; ideo sufficit dicere in Confessione procurasse pollutionem.* Quod et ipsa naturalis ratio ostendit: nam continent in se distinctam, specialemque deformitatem. Ex his porro flagitiis aliud alio turpius est et foedius, quanto magis ab ordine naturae recedit. Quamobrem optime docet S. Thom. hic a. 12. ad 4. *Gravitas in peccato magis attenditur ex abuso alicujus rei, quam ex omissione debiti usus. Et ideo inter vitia, quae sunt contra naturam, infimum locum tenet peccatum* immunditiae, *quod consistit in sola omissione*

concubitus ad alterum. Gravissimum autem est peccatum bestialitatis; *quia non servatur debita species . . . . . Post hoc autem vitium* sodomiticum, *quum ibi non servetur debitus sexus. Post hoc autem est peccatum ex eo, quod non servatur debitus modus concumbendi; magis autem si non sit debitum vas, quam si sit inordinatio secundum aliqua alia pertinentia ad modum concubitus.*

III. *Mollities voluntaria, semper est lethale peccatum.*

Mollities, sive pollutio est in humani seminis effusione sita, quod contingere dupliciter potest, nimirum a natura in somnis se exonerante, vel etiam in vigilia repugnante voluntate, sive ab ipsa hominis malitia se ob delectatione polluente. Prior omni culpa caret, quum nullus adsit nec directus, nec indirectus, nec explicitus, nec interpretativus voluntatis consensus. Altera vero semper est lethale peccatum, et quidem gravissimum, et contra naturam, nullo proinde casu permissum. Mollitiei insitam et naturalem turpitudinem et malitiam indicant sacrae Scripturae tum Gen. cap. 28., ubi dicitur de Onam, qui semen suum fundebat in terram, *percussit eum Dominus, quod rem detestabilem* (non mere positivo praecepto vetitam) *faceret.* Et Apostolus molles cum adulteris, immo et idolorum cultoribus jungit scribens ad Cor. 6. *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores regnum Dei possidebunt.* Quapropter sicut illa esse jure naturae vetita nemo inficiabitur, idem est dicendum et de immunditia. S. vero Thom. tum alibi, tum hic q. 154. art. 12. ad 1. hanc veritatem confirmat. *In peccatis*, inquit, *contra naturam, in quibus ipse ordo naturae violatur, fit injuria ipsi Deo ordinatori naturae: porro quod Deo injuriosum est, de se malum sit oportet.* Quum itaque pollutio de se mala sit, nunquam licita esse potest nec ad vitam servandam.

IV. *Quando alterius peccati, pollutio sibi malitiam consociet.*

Pollutio directe volita non solum semper est peccatum, ut diximus, sed quandoque malitiam induit alterius peccati ex objecto de quo delectatur. Hinc in adulterium transit, si sit cum complacentia de uxore alterius, in incestum, si sit de consanguinea vel affine: in stuprum denique, sacrilegium, aliasque luxuriae species juxta objectorum indolem atque naturam. In sua vero specie sistit, si ob solam delectationem omni secluso objecto perpetretur. Sunt itaque in confessione explicandae istae pollutionum concomitantes turpitudines, atque malitiae. Ipsa pollutio non directe volita, potest tamen esse vel lethale, vel veniale peccatum in caussa, et indirecte. Quod ut clarum fiat, caussarum in pollutionem confluentium genera sunt distinguenda. Siquidem aliae sunt caussae, quae directe et per se ad pollutionem inducendam aptae sunt et ordinatae, cujusmodi sunt inhonesti et turpes actus, obscoenae cogitationes, aspectus partium verendarum mulieris, et similia; aliae vero, quae non per se, sed per accidens pollutionem excitare possunt, et hae vel proxime disponunt, vel remote, vel sunt in linea luxuriae, ut aspectu mulieris pulcrae, tactus manu foeminae, et similia; vel in alia classe omnino disparata, ut equitatio, certus accumbendi modus, cibi et potus abundantia; et vel sunt graves, vel leves, idest multum vel parum in pollutionem influunt, et quidem sive absolute, sive respective ad personam, quae

est vel fortior vel fragilior. Ad dignoscendnm itaque quando criminosa sit pollutio vel graviter vel leviter in caussa, sequentes statuimus regulas.

REGULAE STATUUNTUR.

V. Reg. 1. Qui vult caussas directas pollutionis, et illam pollutionem, ut manifestum est, velle convincitur, adeoque reus est peccati mortalis. Qui vero caussam ponit ad bonum aliquem effectum consequendum, sed quem praevidet cum pollutione conjungendum, si gravis urgeat necessitas, nec ipse aut pollutionem intendat, aut illi consentiat, non peccat. Hinc potest Medicus urgente necessitate, vocatus mederi foeminae etiam in secretioribus partibus, ex quo praevidet secuturam pollutionem, eam detestando, seque opportune piis actibus et in divinae gratiae subsidio fidens muniendo. Urgente tamen duntaxat necessitate id licet, quia ea remota, jam ipsa pollutio evaderet voluntaria, quum ejus caussam non ponere libere possit, ac teneatur. Qui denique opus facit lethaliter malum, ex quo secuturam pollutionem praevidet, licet sit caussa per accidens illius, tamen mortaliter peccat. Ita S. Th. hic q. 154. a. 5. Ratio evidens est, quia effectus malus, quum in sua caussa praevidetur, quam quis omittere potest, immo tenetur, est in ipsa caussa implicite volitus: licet enim illa caussa per accidens se habeat ad effectum, revera tamen in effectum influit, eumque parit. Solum igitur hae caussae per accidens in effectum non influunt, quando non praevidetur effectus: tunc enim nulla est connexio inter utrumque; non physica, quia effectus per accidens sequitur; non moralis, quia quum praecognita non sit, nec praevisa, non potest esse volita.

VI. Reg. 2. Ut pollutio ex levibus caussis remote de se Influentibus, et venialibus dimanans non sit lethale peccatum, sed duntaxat veniale, duo puto esse necessaria, 1. quod certum non sit ex tali caussa, puta aspectu mulieris, pollutionem sequi; ut si quando ex infirmitate naturae contingat, procul sit omnis consensus. Nam si pollutio certo futura praevideatur ex illa, sub lethali omittere tenetur: licet enim in se levis, est tamen caussa lethalis inordinationis et criminis contra naturam, proinde sub lethali vitanda; nisi forte tanta sit imbecillitas patientis, ut ex quacunque vel levissima caussa, puta pedis vel manus aspectu levique attactu sequeretur mollities: tunc enim non concupiscentiae, sed infirmitati foret tribuendum; et difficillimum foret, immo impossibile ab omni levi peccato carere. Hinc libenter communi Theologorum etiam rigidiorum doctrinae et regulae subscribo, nimirum pollutionem ortam ex remotis et levibus caussis, etiam in materia luxuriae, non majorem culpam contrahere, quam sit ipsa caussa; dummodo tamen nec pollutio certo praevideatur secutura, nec id experientia constet: tunc enim illa caussa, quae alias remota et levis est, jam proxima fit et gravis; seclusa tamen magna illa imbecillitate patientis, de qua dictum est. Levitas porro vel gravitas caussae in pollutionem influentis non solum est spectanda secundum ejus naturam, et efficacitatem, sed etiam praesertim ex dispositione subjecti magis vel minus in luxuriam propensi.

VII. Reg. 3. Caussas vel licitas vel indifferentes, ex quibus per accidens sequitur pollutio, procul omni consensu, ponere, etiam volun-

tarie, non est illicitum, quando necessaria, justa, et honesta adsit caussa ponendi. Hujusmodi caussa esse queunt confessiones audire, foeminis mederi, medicinae studere et anatomiae, vel equitare, tali situ in lecto cubare, et similia. Quum enim hae actiones et honestum finem habeant, ad quem tendunt, et in quem collineant, jam et justa adest caussa eas ponendi, et pollutio inde nonnisi per accidens consequitur, et ab ipso operante nec quaesita nec volita antequam fiat, nec amata quum adest.

VIII. Reg. 4. Distillatio, quae sita est in quodam humore, qui ex virili vel muliebri sexu egredietur et stillat, dupliciter contingere potest, nimirum absque ulla carnis commotione, et turpi cogitatione, et vix cum sensu patientis, qui nonnisi ex madore in vestibus illam percipit; et ob hoc piae Deumque timentes personae turbari nequaquam debent, licet et ipsis vigilantibus contingat, et in aspectu vel alterius sexus, vel actionis turpis forte ante oculos occurrentis et similibus diffluat: tunc enim libidinosa actio non est, sed mera infirmitas, ac debilitas. Quandoque contingit cum delectatione, prurito, et commotione libidinosa, sed ex quacunque levi caussa, et tunc hae servandae sunt regulae: 1. non licet de eo voluptatis sensu, utpote libidinoso nec sibi complacere, nec gaudere, multoque minus illud promovere. 2. Cavere debet, ne illi caussam praebeat actionibus, ex quibus eam commotionem profluere expertus est. 3. Removere debet quantum potest caussas in eam influentes, quotiescunque justa de caussa vel honesta ad eas ponendas non impelletur. Quod si haec non praestet, licet fortassis ipsa distillatione lethaliter non peccet, magno tamen se exponit peccandi periculo, ac propterea sibi cavere debet quammaxime tum illius caussas removendo, tum, quando consurgit, detestando.

IX. Reg. 5. Pollutio, quae omnino vigilanti praeter voluntatem occurrit, est cohibenda pro viribus. Nam si quilibet tenetur obsistere motibus concupiscentiae insurgentibus eosque a se repellere, multo magis resistere et cohibere immunditiam debet. Praeterea qui pollutioni non resistit, nec eam pro viribus cohibet sed negative se habet, jam clarum est eam interpretative velle, et latenter pravae voluntati assentiri. Ulterius dum non resistit in proximo periculo est voluptati libidinosae consentiendi, immo jam consensisse convincitur, qui libidinosam voluptatem quum potuit, non cohibuit. A pollutione vero, quae in somnis expergiscenti contingit, cohibenda est delectatio, et, si fieri potest, ipsa seminis effusio: nam si perfecte vigilet a somno ante pollutionem, jam idem est ac si vigilanti praeter intentionem occurrat; si vero non perfecte vigilet, jam illi non imputatur ad culpam. Quod si expergiscat jam inchoata pollutione, quum difficile omnino sit abrumpere: non auderem lethalis peccati damnari illum, qui voluntate inferioris partis rebellionem detestaretur, omnemque a se delectationis consensum abjiceret, Dei vel Sanctorum auxilium invocando, licet ex pigritia e lecto etiam media hyeme non prosiliret ad eam impediendam: quod aere remedium tunc solum necessario adhibendum censerem, quum periculum vel experiretur, vel expertus jam fuisset consensus in libidinosam voluptatem.

X. Reg 6. Non licet nec pollutionem in somno habendam procurare, nec eam desiderare, nec de illa gaudere vel ad sanitatem pro-

curandam, vel ad sedandas carnis tentationes. Pollutio enim in somno contingens omni quidem culpa vacat si ab ipsa exoriatur natura, non autem si a voluntate procedat: porro qui pollutionem in somno procurat, jam ipsam pollutionem vult: non igitur amplius involuntaria est, sed voluntaria, adeoque lethale peccatum, qui tamen de desiderio non ita communiter sentiunt. Verum a tradita doctrina recedendum non puto, quae mihi nedum tutior, sed et probabilior habetur. Pollutio enim in somnis est semper de se mala saltem materialiter, quum sit effusio seminis extra conjugium et usum conjugii, et solum non imputatur ad culpam, quia omnino involuntaria: rem igitur de se malam desiderare et appetere non licet. Tertiam quoque partem oppugnant non inferioris notae doctores, qui etiam auctoritate se muniunt S. D. in 4. sent. dist. 9. a. 4. ad 5. dicentis: *Si autem placeat naturae exoneratio vel alleviatio peccatum non creditur.* Verum posita assertio confirmatur et auctoritate S. Gregorii, qui respondens ad interrogationes S. Augustini Interr. 11. de pollutione mere *naturali ex superfluitate naturae vel infirmitate* dicit: *Hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est, quam fecisse:* et argumentis mox recitatis, quae aequaliter urgent et contra desiderium pollutionis, et contra gaudium de secuta immunditia, quum semper utriusque objectum sit de re per se mala et abominabili. Verba autem S. Th. plures interpretantur de complacentia et gaudio effectus pollutionis, idest de ipsa exoneratione et alleviatione naturae, quae est res in se licita et honesta; et hoc modo explicant S. D. verba Nat. Alex. Balerinus, Concina, aliique. Quod si velis, S. Th. loqui de ipsa mollitiae jam secuta, attende verba S. Th. et perspicies, ipsum subdubitanter loqui, non assertive, et rem non tanquam certam tradere sed ut suspectam: ait enim, *peccatum non creditur*, quibus verbis potius qui alii sentiunt dicit, quam ipse affirmet et approbet.

CAPUT VI.

De Sodomia, et Bestialitate.

I. *Quid sit Sodomia, et quomodo committi potest.*

Sodomiae infandum scelus, quod ab urbe Sodoma ob hocce infame vitium flammis e caelo delapsis cum suis incolis consumpta nomen accepit, a D. Th. hic q. 154. a. 2. definitur, *Concubitus ad non debitum sexum*, scilicet masculi ad masculum, et foeminae ad foeminam. Per hoc igitur a coeteris distinguitur luxuriae speciebus, quae vel in sua turpitudine saltem sexus diversitatem servant, et in hoc naturae ordinem minime perturbant, vel pejus perturbant nedum sexum, sed et speciem permutando, ut in bestialitate. Tripliciter committi potest, nimirum si vir cum viro concumbat, si cum foemina foemina, vel vir cum foemina sed praepostero vase. Hinc Theologi sodomiam in perfectam et imperfectam distinguunt. Perfecta est, nemine refragante, quando concubitus est inter masculum et masculum, sive sequatur seminis effusio, sive non, quum haec ad sodomiae essentiam non pertineat: non enim ad generationem tendit, sed sat est vasis penetratio. Nec minus perfecta censenda est, si foemina cum foemina congrediatur, quum adhuc habeatur concubitus contra

debitum sexum: sive igitur coocubat in vase posteriori, sive anteriori, sive medio instrumento aliquo, vel si nullo, sodomiticum perpetrat scelus. Imperfecta vero est, si diversus adhibeatur sexus, scilicet si vir mulierem cognosceret in vase praepostero, qunm juxta S. Th. sodomia de sua specie concubitum importet ad non debitum sexum; negandum tamen non est, hujusmodi copulam et affectum sodomiticum importare, et quantum ad effectum illi aequiparari, quum aeque geoerationem impediat.

II. *Alia crimina, Sodomiae consociari queunt.*

Cum Sodomiae tam perfectae quam imperfectae scelere alia, sicut in fornicatione, commisceri peccata queuot juxta subjecti speciem: si enim perpetretur scelns cum consanguineis incestus gravitatem induit, licet impedimentum matrimonium dirimens non inducat; proinde in Confessione explicandi sunt gradus consanguinitatis et affinitatis, et si persona fuerit sacra vel voto castitatis ligata, si matrimonio juncta, immo et si virgo sit, quia licet virginitas materialis non auferatur, corpus tamen virginis polluitur, et foedius quid ipso stupro committitur. Similiter si conjux cum sua nxore sodomitice concumbat. Sacramento injuriam irrogat, fidemque conjugii frangit, quae est de copula maritali ad filiorum procreationem, non de sodomitica tali propagationi infesta. Circumstantia quoque agentis et patientis est in confessione aperienda, quia agens ex se mollitiem habet adnexam, quae nec est de se, succubo intenta, et si etiam in patiente contingat, ageoti adhuc imputatur, qui eam excitat sua iniqua actione. Quum ferme in omnibus Dioecesibus sodomiae scelus reservatum sit, reservatio est intelligenda de sodomia perfecta, nisi aliter Legislator disponat; ut tamen reservationi subsit, sufficit si vas peoetretur, licet non sequatur pollutio.

III. *Sceleris Sodomiae gravitas, et poenae latae in sodomitas.*

Qunm horrendum sit hoc crimen, quam infame, quam execrandum dicere vix possumus. Hinc severissimae poenae immani crimini a divinis, civilibus, ecclesiasticisque legibus suot constitutae. In Vet. Testam. mortis poena lata fuit in masculorum concubitores. Levit. c. 20. v. 13. indicitur: *Qui dormierit cum masculo coitu foemineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur; sit sanguis eorum super eos.* Leges civiles non quamcumque mortem, sed vivicomburium his scelestis indicunt. Antiquiores Ecclesiae canones stupratoribus puerorum nec in fine dandam esse communionem decreveruot. Si vero Pius V. in Clericos sodomitas sua Constitutiooe has poenas statuit. 1. Omni privilegio clericali, omnique officio, dignitate et beneficio ecclesiastico privat. 2. Degradatos per Judicem Ecclesiasticum potestati saeculari tradendos mandat. 3. Ab istis puniendos eodem supplicio in laicos hoc in vitium devolutos legitimis sanctionibus constituto.

IV. *Quid sit Bestialitas.*

Bestialitas crimeo ex S. Thom. defioiri potest, *Coitus cum individuo alterius speciei.* Parum interest ad hujusce flagitii gravitatem speciei diversitas in animali, quo abutitur. Inordinationem importat, per quam omnia alia crimina contra naturam excedit, ut docet S. Thom. hic a. 11. ad 4. scribens: *Gravissimum autem est peccatum bestialitatis,*

quia non servatur debita species. Ad hoc sceleris genus revocatur etiam coitus cum daemone, sive hoc reapse contingat, sive in sola spurcissima Magorum et Sagarum phantasia locum habeat; in quo tamen duae circumstantiae sunt, quae malitiam augent, nimirum 1. quia commercium initur cum infami et infensissimo hoste tum Dei, tum hominum, quamobrem etiam Religionem ipsam violat. 2. Quod malitiam induit ejusdem speciei, quam exhibet spectrum, quod phantasiae agentis objicitur; nimirum incestus si consanguineam, adulterii si conjugatam, sacrilegii si personam Deo dicatam repraesentet, et sic de coeteris. Poena labentibus in hoc crimen a lege divina in Vet. Testamento inflicta erat poena mortis, etiam ipsius bestiae. Levit. 20. *Qui cum jumento, et pecore coierit, morte moriatur, pecus quoque occidite. Mulier, quae succubuerit cuilibet jumento, simul interficietur cum eo, sanguis eorum sit super eos.* Pari poena quoque et nunc a judicibus puniri debent, ut statuunt utrumque jus et Canonicum et Civile.

. V. *Quid sit inordinatus concubitus.*

Inordinatus concubitus ille dicitur, qui vel ad prolem impediendam adhibetur, vel ad explendam libidinem. Quare, ut docet S. Th. in IV. Sent. dist. 31. *Vel debitum vas praetermittitur, vel debitus modus a natura institutus quoad situm; et in primo semper est mortale peccatum, quia proles sequi non potest, unde totaliter intentio naturae frustatur; sed in secundo modo non semper est peccatum mortale, ut quidam dicunt, sed potest esse signum mortalis concupiscentiae.* Ad quod autem genus libidinis propudiosum illud facinus revocem, quod fellationem appellant Latini, et exercentes fellatores, profecto ignoro. Hos merito etiam prophanus Poeta *lingua maritos, ore moechos* appellavit, De his vero, quae imperfectae libidinis actus sunt, nimirum oscula, tactus, obscoena verba, cantiones turpes, et similia, jam diximus in Tract. de peccatis capitalibus, ibi proinde repetendum.

DISSERTATIO VII.

De septimo, decimoque Praecepto.

Non furtum facies. Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quae illius sunt.

Quum de posteriore hujus praecepti parte satis disputaverimus tum in Dissert. de vitiis Capitalibus, tum de actibus exterioribus charitatis totum conatum ad primam explicandam partem convertimus, quae amplissimam nobis disserendi materiam suppeditat: quandoquidem res et bona proximi spectari queunt 1. ut ab ipso injuste ablata, quod constituit crimen furti; 2. quatenus sunt in ejus dominio, usu, et possessione conservandae; 3. quatenus legitimis mediis de uno ad alterum transire possunt per pacta, conventiones, et contractus; 4. denique quatenus injuste ablata sunt domino restituenda. Quamobrem ne tanta rerum copia obruamur, et singula accurate et recta methodo tradantur, in hac septima Dissertatione solum de furto disputavimus. Deinde

ne Decalogi explanationem nimium abrumpamus, octavi praecepti subjiciemus explanationem.

CAPUT I.

De furto, cujus traditur definitio, ejusque genus et modi explicantur.

I. *Definitio furti.*

Teologi cum S. Thoma 2. 2. q. 66. art. 3. furtum definiunt *occultam acceptionem rei alienae invito domino.* Et 1. quidem dicitur *acceptio*, ut distinguatur furtum ab aliis actionibus, quibus damnum infertur proximo, ut quum quis vicini domum incendit, qui justitiam laedit, nec tamen furtum committit. 2. In acceptione rei alienae continetur et injusta occulta detentio, ut explicat idem S. Thom. l. l. ad 2. Secundo loco dicitur *occulta*, ut furtum a rapina distinguatur, qua quis non occulte et fraudolenter, sed aperte et per vim rem alienam sibi usurpat, ut infra dicemus. 3. Dicitur *rei alienae* ad discrimen furti ab aliis injuriis in proximum: furtum enim est proprie de rebus, quae sunt in alterius possessione, ut explicat S. Thom. l. l. Denique dicitur *invito domino*: quae verba licet non legantur in praefata quaest. S. Thom. tamen et continentur in verbo *occulta*, et ipse alibi exprimit. Rei autem alienae nomine ea omnia designantur, quae ad alium quocunque nomine pertinent sive dominii, sive usus, sive usufructus, sive commodati, sive depositi, sive merae custodiae titulo.

II. *Quot modis furtum committatur.*

Furtum multipliciter committi potest. 1. Quum res aliena occulte aufertur, et simplex furtum dicitur. 2. Quum res furto ablata homo est, tunc enim furtum *plagium* dicitur, et committitur hoc crimen quotiescunque homo liber vel servus alienus in servitutem adducitur, venditur, donatur vel permutatur. 3. Si res ablata sit publica pecunia, furtum proprio nomine *peculatus* dicitur. 4. Si res ablatae sint oves, boves, equi, aliaque genera animalium *abigeatus* vocatur. Porro haec furta non specie distinguuntur, sed solum ratione materiae furto ablatae, et ratione legum, quae haec furta qualificata vocant, et graviori poena plectunt. Specie tamen distinguitur sacrilegium, per quod res sacrae eripiuntur, quia praeter malitiam furti justitiae adversam etiam Religio violatur. Triplici modo hoc crimen committitur. 1. Si res sacra, puta calix vel vestis sacra de loco non sacro auferatur. 2. Si eadem res sacra etiam de sacro tollatur. 3. Si quis rem non sacram in loco tamen sacro furetur, ut crumenam in Templo.

III. *Rapina a furto specie discernitur: Furtum ex se est lethale peccatum.*

Rapina quoque quae ex D. Thom. hic quaest. 164. art. 4. definiri potest *injusta et violenta ablatio rei invito domino*, specie ab ipso furto distinguitur, quia furtum contingit absque ulla violentia, immo domino ignorante, rapina vero non absque violentia domino illata patratur, adeoque *vergit*, ut ait S. Th. hic q. 164. a. 9., in *quamdam personae ignominiam, sive injuriam.* Porro furtum ex specie sua esse

lethale peccatum, quippe quod humanam societatem labefactat, ostendit S. Thom. hic art. 6. *Per furtum homo infert nocumentum proximo in rebus suis: et si passim homines sibi invicem furarentur, periret humana societas. Unde furtum tanquam contrarium charitati est peccatum mortale.* Immo docet idem S. Doct. a. 5. omne furtum licet levius semper tamen peccati foeditatem secum afferre, a qua expoliari nequit. Quamobrem in levioribus furtis lethalem quidem culpam excludit, at venialem agnoscit, quam et lethalem evadere posse docet, si cum pravo conjungatur graviter nocendi animo.

IV. *Quanta esse debeat materia furti ad lethale peccatum.*

Quanta autem esse debeat rei ablatae quantitas, ut furtum sit lethale peccatum, non facile est definire. Theologi ut id statuant plura observant, classes personarum distinguunt, damnum illatum perpendendum volunt, quantitatem quoque materiae ablatae in lance ponunt. Nonnulli materiae gravitatem etiam in levi summa pecuniae constituunt, putantes binas aut ternas libellas venetas furtum grave constituere; alii duos vel tres nummos aureos postulant: nonnulli quod ad quotidianum victum sufficere respective potest. Inter tam dissitas opiniones quid mihi probabilius videatur libere proferam, sapientum tamen judicium ea submittendo. 1. itaque distinguendam puto a furto damnificationem: nam fieri potest, ut quis levem surripiat materiam et grave inferat damnum, ut si quis furetur artis instrumentum pauperi, cujus carentia ille victum sibi nequit comparare; et rursum magnum aliquid auferatur, ex quo tamen nonnisi leve oriatur damnum. Quare damni quidem gravitatem arbitror respectivam esse, et ex ipso gravitatem criminis deducendam, at furtum non solum ex damno illato, sed etiam ex ipsa rei ablatae quantitate esse pensandum; alioquin qui a Principe, vel viro praedivite decem aut viginti aureos nummos furaretur, nequaquam graviter peccaret. Quamobrem si furtum relative spectetur, scilicet damnum et detrimentum ex furto proveniens, puto illud constituere grave peccatum, quod dominum privat pecunia ad unius diei sustentationem juxta sui conditionem requisita: nam quum res exteriores et bona fortunae ordinentur ad vitae conservationem, pro qua quotidianus cibus est necessarius, censetur proximo graviter nocere, qui illum tali privat subsidio; ideoque qui nobili et diviti quatuor julios sive libellas venetas auferret, mercatori tres, artifici duas, pauperi unum, a lethali peccato non excusarem. Si vero absolute et in se materiam ablatam spectare velimus, censeo unum aureum etiam ditissimo, etiam Principi surripere grave peccatum esse, quum talis quantitas communi omnium sensu magna existimetur et notabilis.

V. *Quomodo parva furta in grave peccatum coalescant.*

Quandoque vero etiam minutiora furta in lethale peccatum crescere queunt, si ex pravo graviter nocendi animo procedunt, vel si gravem proximo afferant molestiam, qui impatienter fert etiam rei levis sed sibi admodum clarae privationem; multoque magis si praevideantur inde oriturae inter domesticos rixae, gravis molestia et damnum, vel blasphemiae, jurgia et similia. Minutiora furta immo quandoque et minima ita augeri valent, ut lethale peccatum constituant, quoties- cunque ad notabilem et gravem summam ascendant, quod tribus

modis contingere potest, 1 si quis successive uni plures nummos etiam minimos surripiat. 2. Si a pluribus furetur bona, quae singulis quidem leve damnum pariunt, sed furi magnam afferunt utilitatem. 3. Denique si plures ab uno singuli quidem nonnisi levem auferant materiam, sed quae in grave damnum cedit domini. Pro quibus bene dignoscendis sequentes statuuntur Regulae.

Regulae.

VI. Reg. 1. Qui ab uno pauca furatur, sed animo pedetentim ad magnum quid perveniendi, ipso primo etiam levi furto peccat lethaliter ob pravam, quam animo concipit, voluntatem gravem surripiendi materiam, ut docet S. Thom. hic q. 66. art. 6. ad 3. Qui vero ab uno modicum quid furatur, sed non animo progrediendi postea repetit haec leviora furta, tunc lethaliter peccat, quando notabilem et gravem summam surripuit. Quia licet pedetentim rem alienam accipiat, vere tamen repetitis furtulis et grave intulit damnum, et gravem surripuit materiam. Hunc autem peccare arbitror ratione injustae ablationis, quia postremum furtum moraliter cum praecedentibus conjungitur. Tunc vero solum titulo injustae detentionis, quando detestans in Confessione modica furta emendationem proposuisset, at postea furta multiplicasset usque ad gravem conflandam materiam: videtur enim tunc abrupta moralis conjunctio; sed quum jam detineat rem alienam in gravi quantitate reus est lethalis peccati, nisi statim quum potest restituat. Qui vero tenuioribus furtis ad gravem jam pervenit materiam, si postea iterum nova prosequatur furtula, lethaliter peccabit non ratione rei ablatae, sed pravi animi et dispositionis, quam retinet et servat inferendi grave damnum proximo. Solum igitur tunc a peccato gravi excusaretur, quando deposito animo furandi, et facta rei ablatae restitutione, novam exordiretur furtulorum seriem.

VII. Reg. 2. Qui modicis furtis magnam rei quantitatem pluribus surripit, licet singulis nonnisi leve inferat damnum, gravis tamen criminis reus efficitur, quando ad notabilem rei summam pervenit. Id patet ex propositione 38. ab Innocentio XI. damnata asserente. *Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis.* Patet etiam ex ipsa rei ablatae quantitate et existimatione, per quam et communi bono detrimentum infertur, et rectus ordo violatur. Accedit detentio rei alienae in gravi quantitate, quae urget ad restitutionem quantocius faciendam; quae detentio quum sit rei in se notabilis et gravis lethale constituit peccatum. Quando vero plures uni eidemque personae modica quidem singuli furantur, quae tamen collective accepta vel grave inferunt damnum, vel gravem constituunt materiam, si simul in furto conveniant et conspirent, singuli peccant lethaliter, et singuli in solidum ad restitutionem tenentur, ut suo loco ostendemus: singuli enim ad grave damnum cooperantur et in illud conspirant. At si modica ab uno furentur absque nulla vel notitia vel conspiratione, vel consensu, licet magnam omnes abstulerint rei quantitatem, nullus tamen lethaliter peccabit. Nam nec singuli quid magnum aut abstulerunt, aut retinent, nec moraliter alter in alterius furtum consentit, conspirat, aut cooperatur.

VIII. Reg. 3. Qui, licet non conspiret, non consentiat, non conveniat, advertit tamen a pluribus aliis modica surripi, vel fuisse surrepta, quae jam in gravem exurgunt materiam, peccat lethaliter, si et ipse leve furtum adjungat. Quum dico tamen, aliquem advertere modica furta ab aliis patrata grave intulisse damnum, non de quacunque advertentia et observatione loquor mere speculativa, remota, confusa, sed de advertentia practica, actuali, manifesta, qua quis videt v. g. vineam recenter per plures racemis depopulatam; de hac advertentia loquor in constituta regula quam sic invicte contra non paucos Theologos ostendo. Dominus, qui rebus suis per leviora furta expoliatur, grave revera subit damnum, et quilibet fur rei levioris lubens et volens ad hoc grave damnum est cooperatus, quippe qui advertit, notavit, vel facile advertere poterat et observare ab aliis jam tot fuisse patrata furtula, ut grave emerserit domino detrimentum: cum illis igitur non verbis, non pacto, sed facto conjungitur ad grave damnum inferendum. 2. Tunc qui leve aliquid furatur, non peccat lethaliter, quotiescunque grave non inferat proximo detrimentum; at in casu nostro haec leviora furta grave inferunt damnum: ergo saltem per accidens grave evadit peccatum. 3. Si haec regula vera non esset, sequeretur, ut quis multa pecunia pluribusque rebus expoliari posset, et ad paupertatem redigi, quin aliquis furto peccaret, nec sub lethali ad restitutionem teneretur: nam fingamus, plures, nulla inita conventione, nullo pacto, sed occasione vel viciniae vel vineae secus viam positae, eam omnibus pene racemis expoliare, jam patet grave illatum domino damnum, quin ullus vel peccaverit graviter racemos aliquot surripiendo, vel ad restitutionem teneatur: quod profecto absurdum esse nemo non videt.

Consectaria.

I. *Eadem quantitas, quae simul sumpta gravem efficit materiam, sufficit ad lethale peccatum, etsi paulatim surripiatur.*

Eadem rei sublatae quantitas, quae gravem constituit furti materiam, peccati mortalis reum constituit furem, sive totam simul surripiat, sive pluribus vicibus. Adversantur huic doctrinae non pauci Theologi, qui putant majorem requiri quantitatem rei ablatae ad constituendam gravem materiam, quando haec paulatim tenuioribus furtis surripitur, quam quum tota simul aufertur, praesertim si longum decurrat temporis spatium. Ratio nostrae regulae est: nam 1. gravitas furti, ut alias diximus, non solum ex damno illato est pensanda, sed ex ipso valore et quantitate rei ablatae: quando igitur materia est de se gravis et justi valoris, sive parvulis furtis, sive unico furto ablata sit, peccati lethalis reum efficit furem, quum modus ablationis rei valorem non minuat. 2. Licet ablatio fiat pedetentim, detentio tamen rei alienae justi valoris in materia gravi tota simul habetur, et statim urget restitutionis praeceptum et quidem sub gravi: peccabit ergo saltem lethaliter injuste retinendo, et rem justi valoris statim quum potest domino non restituendo. Fateor tamen necesse esse, ut haec furtula ad lethalem materiam constituendam simul moraliter conjungantur sin intentione (nam tunc etiam in primo furtulo lethale peccatum haberetur, ut diximus), saltem executione

et rerum morali conjunctione: quamobrem qui singulis annis racemum uvae vel binos e vinea surripiens ederet, non esset reus lethalis peccati post viginti vel triginta annos, quum haec minutiora furta nimis dissita sint, ut unum morale constituant.

II. *Rei sunt, qui mutuum accipiunt, scientes se non esse solvendos.*

Furti rei sunt, qui mutuum petunt, vel aes alienum contrahunt optime scientes, se non esse solvendos; sicut qui dolo fingunt se totum aes alienum solvere non posse, soluturos autem partem si totum remittatur, quum hi revera invito domino sibi surripiant, et furto dolum et fraudem addant. Secus vero de iis dicendum, qui necessitate urgente vel mutuum petunt vel aes alienum contrahunt scientes se posse reddere, et bona fide pollicentes statuto tempore solutionem, licet postea aliquo superveniente impedimento datam fidem liberare non valeant, partem debiti solvunt, integram parati reddere, nisi vel sponte vel rogatus creditor remittat.

III. *Furti rei esse possunt, qui rem propriam ab alio detentam surripiunt.*

Contingere potest, ut quis furti vel injustitiae reus sit, licet rem propriam ex alterius manu eripiat. Ita docet S. Thomas hic q. 66. art. 3. ad 3. ubi animadvertit, » quod nihil prohibet id quod est » simpliciter unius, secundum quid esse alterius; sicut res deposita » est simpliciter quidem deponentis, sed est ejus, apud quem depo» nitur quantum ad custodiam ». Hinc qui rem suam apud aliquem deposuit, nequit sine injustitia eam a depositario surripere ipso ignorante, ut optime docet idem S. Doct. a. 4. ad 3. Quod si res furto sublata sit penes ipsum furem, nemo occulte eam surripere potest, nam, ut subdit S. Doct. a. 3. ad 3. *Quod est per rapinam ablatum, est rapientis non quidem simpliciter, sed quantum ad detentionem;* nisi forte sine violentia auferat, ut domino reddat, ut docet ipse a. 5. ad 3. Quamobrem vulgare illud effatum quod dicitur, Domino licere rem suam ubicunque repertam sibi accipere est ita temperandum, ut nullum inde sequatur scandalum, et justitiae ordo minime perturbetur.

CAPUT II.

De aliquibus peculiaribus furtis.

I. *Quando filii-familias rei sint furti: et quando graviter peccent res domesticas furando.*

Criminis furti rei sunt filii-familias, qui res domesticas furantur, vel quovis modo contra parentum voluntatem dilapidant, et insumunt. Ratio est manifesta: nam rerum domesticarum dominium non habent filii, sed parentes, et quamvis filius familias sit haeres, non tamen adhuc est dominus rerum. Ad grave tamen furtum communiter Theologi majorem postulant sive pecuniae sive rerum quantitatem surripi a filio, quam ab extraneo, et quidem hoc evincunt duplici ratione; 1. quia parentes vel minus inviti, vel omnino inviti non sunt, si quae a filiis sibi surripi sciant, quam si nossent ab extraneis: 2. Quum plerumque inviti sint non quoad substantiam, sed quoad modum, quia nimirum clanculum accipiunt, quod ab ipsis petitum

non denegassent. Verum haec rationum momenta si quid evincunt, hoc unum meo videri probant, filiosfamilias a furto quandoque excusari, quippe qui rem surripiunt domino non absolute, nec omnino invito et reluctante; quod et ipse verum puto, quotiescunque de minutioribus furtis agatur, quae familiae non nocent, et pecuniae sive res ablatae a filiis non dissipantur, sed in usus sibi opportunos et convenientes insumuntur. At posito quod furtum filii tale sit, ut inspectis familiae divitiis, filiorum numero, expensis in familia alenda, coeterisque adjunctis, sit tantae quantitatis, quam sibi surripi juste parentes sint inviti, non video cur major requiratur quantitas in furto filii, quam in extraneo, quum pater bujusmodi furtum aegrae et invitus patiatur, et res in se sit absolute gravis, quippe quae in extraneo lethale peccatum foret. Quod multo magis verum puto, si filius pecuniam vel res domesticas clam sublatas dissiparet in luxu, in comessationibus, ludis, aliisque turpioribus vitiis: tunc enim pater esset quammaxime invitus, et quidem non solum ratione rei ablatae, sed perversi etiam finis, ob quem furatur, et juste filio indignaretur, qui tunc suo furto non solum justitiam laederet, sed et pietatem.

II. *Uxores quando reae sint furti; et quibus in casibus a furto excusentur.*

Uxores, si bona habeant propria, quae paraphernalia dicuntur, nec dominio aut administrationi mariti subsunt, libere ac licite de da illis disponere queunt, licet illorum curam et administrationem marito relinquant, censentur enim eo uti tanquam ministro, non tanquam domino, et administrationem non juridicam esse sed precariam. De bonis vero communibus et dotalibus disponere non possunt. Peccant proinde lethaliter, et furti reaè sunt uxores, quae de communibus et dotalibus bonis invito marito disponunt in magna quantitate, quae juxta ea, quae superius diximus de filiis-familias est dimetienda. Furti tamen non sunt arguendae uxores, quae quibusdam in casibus de bonis communibus et dotalibus, etiam inscio marito, disponunt. Nimirum 1. ad eleemosynas elargiendas, juxta tamen ea quae diximus Tract. 4. de Virt. Theolog. 2. Ad grave damnum familiae vitandum. 3. Ad familiae sustentationem, si forte maritus vel necessarios et consuetos ad alimoniam, victum, et vestitum sumptus ob avaritiam deneget, vel in ludis, compotationibus, scortationibus bona dilapidet et insumat. 4. Ad suppeditanda necessaria et congrua filiis ad militiam vel ad studia, sive ad artes addiscendas procul a paterna domo missis, quando haec praebere recuset, vel deneget Pater. Dixi tamen necessaria tantum et congrua, non vero quae ad luxum et ostentationem a filiis petuntur. 5. Ad alendos etiam proprios filios ex alio marito progenitos, si bona parapbernalia non habet, et illi vere indigentes sint, et necessaria suo statui non babeant, quamobrem vel mendicare cogerentur, vel a suo statu notabiliter decidere. 6. Permittunt etiam nonnulli Casuistae, ut de bonis mariti in eleemosynas et sacrificia disponere possit ad ipsius conjugis spirituale bonum, nimirum ut a via perditionis convertatur, et a pravo statu resipiscat.

III. *Quando opifices rei sint furti; et quando rustici.*

Furti rei sunt opifices, qui de re et materia sibi ad opus perficiendum a domino suppeditata aliquid occulte surripiunt, ut sartores,

textores, molitores, aliique similes, nisi forte quae sibi retinent nullius sint usus, uti sunt minutissima fragmenta. Rem enim alienam et occulte accipiunt, et invito domino sibi retinent. Rustici rei sunt furti, qui biemali tempore ligna vires sustinentia surripiunt, qui arborum ramos in alienis agris caedunt, qui fructus ab arboribus ventorum vi, vel alia de caussa in terram lapsos sibi attribuunt: nam res alienas furantur, et quidem invito domino, cui damnum infertur.

IV. *Furtum non committunt, qui spicas relictas colligunt.*

Licet absque furti piaculo pauperibus spicas metentis manus effugientes, et racemos sive olivas in arboribus post vindemiam remanentes colligere. Ita enim fert totius pene christiani orbis consuetudo, quae legem adoptasse videtur a Deo latam Deuteron. 24. Duo tamen puto bic adnotanda. 1. advenas pupillos et viduas vere non indigentes non posse illa sibi usurpare. 2. Posse dominum agrorum et vinearum alicui determinato pauperi racemationem et collectionem illam velle reservatam, quia licet illa sint universim pauperibus concessa, non tamen huic vel illi determinato pauperi, quamobrem a fundi domino potest cui sibi libuerit pauperi elargiri. De herba vero, quae in proprio alicujus agro collectis frugibus restat, vel postea enascitur, optime advertit Sylvius 2. 2. q. 66. art. 2. » num sit communis » omnibus illius territorii civibus, ex locorum legibus et consuetu- » dine pendere; plerumque tamen communem censeri ».

V. *De furtis Religiosorum.*

Regulares rei sunt sacrilegi furti, si res communitatis sibi clam, inscio Superiore, usurpent: neque enim earum dominium habent aut proprietatem, sed meri usu sunt capaces ad nutum Superioris vel concedendi vel interdicendi. Quoad quantitatem vero ad lethale peccatum constituendum in religioso fure non conveniunt Theologi. Ad me quod attinet censeo 1. non esse Regulares filiis-familias aequiparandos in eo, quod superius diximus, nimirum posse aliquando praefatos a furti crimine excusari, licet clam aliquid surripiant, quia parentes non censentur inviti; quandoquidem quum parentes sint suarum rerum domini, consentire possunt, ut filii ex rebus domesticis aliquid sibi usurpent; at Praelati regulares, quum non sint rerum communitatis domini, sed solum administratores, concedere non possunt subditis, ut aliquid sibi usurpent, ipso nesciente, contra votum paupertatis. 2. Licet aequiparandi essent filiis-familias, quum tamen superius dixerimus et istos lethaliter peccare, quotiescunque rem in se gravem respectu extranei surripiunt, manifestum est, hoc idem fortius in Religioso urgere. 3. Quum ad res communitatis non sibi accipiendas teneantur Religiosi nedum virtute justitiae et praecepto Decalogi, sed et solemni paupertatis voto, contingere quandoque potest, ut quod justitiae non graviter adversatur et praeceptum non letbaliter violat, graviter tamen voto paupertatis repugnet, et amorem ac spiritum ejusdem paupertatis minuat et labefactet.

CAPUT III.

De necessitate a furto excusante, et de occulta compensatione.

I. *Triplex necessitas distinguenda.*

Triplicem Theologi necessitatem distinguunt, extremam, gravem, et communem. Priorem sic describit S. Thom. hic q. 66. art. 7. *Si tamen adeo sit evidens et urgens necessitas, ut manifestum sit instanti necessitati de rebus occurrentibus esse subveniendum (puta quum imminet personae periculum, et aliter subveniri non potest).* In quibus verbis tria ad extremam necessitatem exigit S. Doct. 1. ut sit *evidens*, non probabilis, non dubia, non incerta. 2. Ut sit *urgens*, nimirum actu premat, et vitae periculum inferat, *quum imminet personae periculum.* 3. Ut alio modo averti non possit, nisi rem alienam occupando, *et aliter subveniri non potest.* Altera vero in iis reperitur, qui licet rebus non careant ad vitam sustentandam necessariis, quamobrem nec fame ac siti nec miseria de vita periclitantur, coguntur tam miseram traducere vitam cum egestate conflictando, et licet nobiles sint, vel divites fuerint, ex proprio statu tamen ita sunt dilapsi, ut ad eleemosynam petendam cogantur. Tertio vero in illis pauperibus reperitur, qui ostiatim mendicando vitam alunt, vel tenui labore sibi victum comparant.

II. *In communi necessitate, non licet rem alienam surripere; nec in gravi necessitate: bene vero in extrema.*

In communi necessitate non licere alienam rem occupare ad unum omnes docent Theologi: nam quum paupertas communis innumeros pene premat, si in tali necessitate liceret furari, jam humana respublica tota perturbaretur, et nemo in bonorum suorum possessione tutus esset, innumerisque furtis latissimum pateret campus. Nec in gravi necessitate licitum esse rem alienam surripere, definivit Innocent. XI. proscribendo prop. 36. asserentem: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Si enim id liceret, jam aeque ac in necessitate communi aditus furtis aperiretur latissimus: nam quis gravem suam non existimat necessitatem, quotiescunque ex abundantia in inopiam incidit, et ex nobiliore vel commodiore statu ad humiliorem se vergere sentit, et experitur? Extrema autem necessitate laborantibus res alienas ad eam avertendam occupare licitum est. Ita docent Theologi praeunte S. Th., qui eamdem tradit doctrinam, et hac ratione confirmat l. l. art. 7. » Ea, quae sunt » juris humani non possunt derogare juri naturali, vel juri divino. » Secundum autem naturalem ordinem ex divina providentia insti- » tutum res inferiores sunt ordinatae ad hoc, quod ex his subveniatur » hominum necessitati. Et ideo per rerum divisionem, et appropria- » tionem ex jure humano procedentem non impeditur, quin hominis » necessitati sit subveniendum hujusmodi rebus ». Quomodo autem rem alienam occulte surripere furtum non sit, explicat S. Doct. in resp. ad 2. dicens: » Uti re aliena occulte accepta in casu necessi- » tatis extremae non habet rationem furti proprie loquendo, quia » per talem necessitatem efficitur suum id, quod quis accipit ad su- » stentandam propriam vitam ».

III. *Quinam, dicendi non sint in extrema necessitate constituti.*

In extrema necessitate constituti dicendi non sunt, qui aliquo modo, puta mendicando et eleemosynas petendo suae possunt necessitati consulere. Hinc nobili viro vel foeminae non licet ob pudorem vel verecundiam, quam experirentur mendicando rem alienam surripere, hoc enim ex philautia oritur, et soi inordinato amore, qui vitiosus est et mundanus. Fateor tamen, quod si quis in discrimine vitae constitutus rem alienam clam surriperet, quam obtinuisset si petiisset, peccaret quidem, quia rectum ordinem inverteret; at haec inversio non esset censenda lethale peccatum: quum enim in extrema necessitate omnia fiant communia, jus habet necessitate pressus quod ad vitam conservandam necessarium est, surripiendi; quapropter absolute justitiam non violaret, licet rectum ordinem non petendo non custodiret. Nec sunt audiendi illi Theologi qui talem comminiscuntur necessitatem gravem, quae licet extrema non sit, extremae tamen proximam dicunt, qua proinde premente licitum censent aliena clam surripere. Licet enim quaelibet necessitas sive extrema sive gravis sive communis in indivisibili constituta non sit sed latitudinem admittat; quamdiu tamen necessitas intra gradum necessitatis gravis consistit, non est concessum alienam rem surripere, alioquin vera foret damnata propositio, quae dicebat, *licere nedum in extrema, sed et in gravi necessitate furari*, qua damnatione non distinguitur gradus necessitatis valde gravis vel non tam gravis, sed absolute declaratur, necessitatem quamcuoque, quamdiu gravis necessitatis metas non transilit et in extremam non transit, jus non praebere ad alienas res usurpandas. Sicut autem licitum est extrema indigentia presso rem alienam sibi accipere, ita licet alteri idem praestare ad subveniendum alicui in extrema necessitate constituto, ut docet S. Thom. loc. l. ad 3. Non semper tamen rei in tali necessitate surrepta dominium conceditur, sed quandoque solus usus. Nam si res accepta talis sit, quae ipso usu consumatur, profecto et dominium translatum est; proinde qui abstulit, ad restitutionem non tenetur, licet ad meliorem statum transeat; at si res post usum supersit, cessante extrema necessitate, est domino restituenda. Equum e. g. accepisti, ut fuga vitae tuae periclitanti prospiceres, teneris in tuto constitutus domino restituere; quod si in fuga equum amisisti sine tua culpa, vel ipse periit, non teneris reddere, quum res tua fuerit pro eo tempore, quo extrema premebaris necessitate.

De occulta compensatione.

IV. *Quid sit occulta compensatio; et quaenam conditiones requirantur ut licita sit.*

Occulta compensatio ita communiter definiri a Theologis solet: *Occulta acceptio, vel detentio rei alienae sibi debitae, inscio debitore, quantum satis est ad recuperandum totum id quod ille tibi debet.* Hanc latentem compensationem non absolute licitam pronuntiant etiam benigniores Casuistae, sed quibusdam coarctatam conditionibus, quas nonnulli ad paucas coarctant, alii ad plures extendunt. Probabilioristae vero et nobiliores Theologi tot addunt, quae si in praxi servarentur, nedum difficilem, sed ferme impossibilem redderent occul-

tam compensationem licitam. Hae conditiones sic a recentiori Theologo Probabiliorista constituuntur. 1. Si debitum sit omnino certum, liquidumque. 2. Non alius pateat modus creditori ad recuperandum quod suum est, vel sine gravi damno manifesto adhiberi non possit. 3. Ne compensatio fiat ex bonis debitoris vel creditori commodatis, vel penes ipsum depositis a creditore, ne fidelitas violetur. 4. Compensatio fiat in bonis ejusdem speciei, puta pecuniam pro pecunia, et triticum pro tritico occulte accipiendo, quando tamen moraliter haec identitas servari potest, et permittat indigentia creditoris: monet tamen curandum semper, ut compensatio fiat in bonis debitoris, de quibus ille minus sollicitus creditur. 5. Non adsit periculum vel scandali, vel alienae infamiae, quando scilicet innocens in suspicionem veniret rei ablatae. 6. Non fiat compensatio cum detrimento vel damno alterius, rem scilicet occupando alteri jam concessam titulo vel commodati, vel locationis vel depositi etc. vel alteri debitam sive potiori titulo, vel suo aequali. 7. Ut caute moneatur debitor de facta compensatione, ne bis idem reddat, et ab erronea liberetur conscientia gravis obligationis. 8. Ut fiat consilio docti probique Confessarii. Ut in quaestione magni momenti ea, quae mihi non solum probabiliora, sed omnino certa videntur, promam, nonnullas statuo propositiones.

V. *Doctrina, licitam statuens occultam compensationem, recens est.*

Dico itaque 1. Doctrina, quae licitam affirmat occultam compensationem, etiam quibuscunque coarctatam conditionibus, omnino nova est, et recenter in doctrina morum invecta, ignota proinde veteribus Ecclesiae Patribus, Doctoribus, Juristis, Theologis, qui ante saeculum XV. scripsere. Rimati sunt quidem antiquiores Doctores et Magistri, num contingere aliquo modo possit, ut quis rem alienam sibi surripiat absque furti crimine, nec alium adinvenere vel protulere titulum praeter extremam necessitatem, ut videre est in S. Thoma, S. Raymundo, S. Bonaventura, Scoto, aliisque; compensationis vero titulum non invenere, vel docuere. Antiquior, quem vidi, Theologus est S. Antoninus, qui occultam compensationem aliquando licitam dicit, at tot coarctat conditionibus, ut in praxi vix ac ne vix quidem in praxi locum valeat obtinere, ut optime adnotarunt Editores Summae S. Antonini, praelect. 3. T. 2. §. 4. Porro prioribus quatuordecim seculis nemo unquam vel excogitavit vel docuit licere artificibus, famulis, operariis deceptis, injuste vexatis occulta compensatione suae indemnitati consulere. Nova est igitur haec doctrina; et novitas ipsa suspicionem inducit erroris in rebus praesertim tum ad fidem, tum christianos mores pertinentibus.

VI. *Occulta compensatio, est fere semper justitiae commutativae adversa.*

Dico 2. Occulta compensatio saepissime immo fere semper commutativae adversatur justitiae. Nam 1. occulta compensatio tota pendet a creditoris judicio, existimatione et voluntate. At *amor sui*, ait S. Isidorus Pelusiota lib. 5. epist. 234. *rectum labefactat, corrumpitque judicium, atque iisdem oculis nostra, alienaque considerare non sinit.* 2. Compensatio illi naturali principio adversatur, non alteri facias quod tibi nolles fieri. Porro quis est, qui velit occultae compensa-

tionis obtentu re sua privari? 3. Conditiones quidem plures assignant Theologi, quibus compensationem velut aggeribus et vallis muniunt, ne justitiae commutativae terminos transiliat; verum in praxi hae negliguntur, vel vanis interpretationibus eluduntur. 5. Denique Sedis Apostolicae judicio occulta compensatio in famulis et servis damnata est in prop. 37. ab Innoc. XI. proscripta, quae ajebat: *Famuli et famulae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod acceperunt.* Nec dicant adversarii, in famulis adesse periculum ne recte judicent; nam hoc de omnibus suspicari et timere merito possumus.

VII. *Occulta compensatio, adversatur justitiae legali.*

Dico 3. Occulta compensatio semper justitiae legali sive communi adversatur. Ita aperte docet et probat S. Thom. laud. q. 66. art. 5. ubi in resp. ad 3. ait: » Dicendum, quod ille, qui furtim accipit rem » suam apud alium depositam, gravat depositarium, qui tenetur ad » restituendum eam, vel ad ostendendum se innoxium; unde mani- » festum est, quod peccat, et tenetur ad relevandum gravamen de- » positarii. Qui vero furtim accipit rem suam apud alium injuste » detentam, peccat quidem, non quia gravet eum, qui detinet, et » ideo non tenetur ad restituendum aliquid vel ad recompensandum; » sed peccat contra communem justitiam, dum ipse sibi usurpat » suae rei judicium, juris ordine praetermisso. Et ideo tenetur Deo » satisfacere et dare operam, ut scandalum proximorum, si inde » exortum fuerit, sedetur ». Porro qui occulta utitur compensatione, etiam omnibus vallata conditionibus, semper accipit privata auctoritate rem suam apud alium injuste detentam: ergo semper peccat contra communem justitiam. Hinc nobiliores Theologi, qui compensationem licitam, saltem in aliquo casu, arbitrantur, tamen monent Confessarios, ut consulenti an licita sit, respondeant, » Theologos » communiter affirmare, sed hanc boni sui recuperandi rationem » esse periculi plenam, ideoque se eam consulere non posse ». Haec argumenta fusius exposita vide in Op. M.

VIII. *Quid pro generali regula statuendum.*

Denique posito etiam in aliquo raro admodum, immo, ut Ballarini loquuntur, *rarissimo* eventu contingere, occultam compensationem omni culpa vacare, et nec commutativae nec communi adversari justitiae, licebit ne per hoc generalem statuere regulam, occultam scilicet compensationem licitam esse? Num universales regulae statuendae sunt pro rarioribus eventibus, an non potius, juxta id, quod frequentius communiusque contingit? Cum itaque frequentius eveniat, occulta compensatione vel commutativam vel communem justitiam violari, ex opposito statuendum est, generatim non licere occulta compensatione suae indemnitati consulere, et solum appendicis loco docere, fieri quidem posse, sed *rarissime*, ut aliquando occulta compensatio omni careat crimine, sicut contingere potest, ut quis alium occidat, quin reus sit homicidi.

DISERTATIO VIII.

De octavo Decalogi Praecepto.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

Hoc mandato non illud Deus solum vetuit, quod verba sonant proximi nocumentum, sed omnes etiam locutiones, immo et mentis cogitationes, quae honori, famae, et aestimationi nocere quocunque modo possunt. Immo, ut optime animadvertit Trid. Concil. Catechismus, huic negativo praecepto et aliud positivum adjungitur, quo jubemur semper absque fuco et fallaciis veritatem pandere, proinde omne mendacium vitare. Porro pluribus, immo infinitis propemodum modis hocce praeceptum violare possumus 1. actibus interioribus, mala scilicet suspicione et temerario judicio. 2. Exterioribus actibus, videlicet falso testimonio tum intra tum extra judicium, contumelia, murmuratione, detractione, susurratione, convicio, imprecatione, seu maledictione, fraude, dolo et fallacia. De nonnullis his vitiis plura diximus, de nonnullis aliqua attigimus, de aliis vero hic tractare polliciti sumus. Quae igitur ad hujus praecepti explanationem supersunt hic exponemus.

CAPUT I.

De interioribus actibus famam proximi laedentibus, scilicet mala suspicione, et temerario judicio.

I. *Quid sit suspicio, et quale peccatum.*

Suspicio a D. Thom. 2. 2. q. 60. a. 3. definitur: *Opinio incerta de aliquo malo, qua homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipit.* Ex qua definitione patet, suspicionem sitam esse in inclinatione quadam mentis ad assentiendum potius uni parti, quam oppositae, absque tamen absoluto judicio et positivo assensu. Hanc itaque suspicionem, quae si sit de malo proximi, ut subdit S. Doct., *Vitium quoddam importat*, de se spectatam nonnisi veniale esse peccatum docet, 2. 2. l. l. ubi triplicem distinguens suspicionis gradum sic subdit: » Primus quidem gradus est, ut homo ex levibus indiciis de » bonitate alicujus dubitare incipiat et hoc est veniale et leve pec» catum: pertinet enim ad tentationem humanam, *sine qua vita ista » non ducitur*, ut habetur in Glossa ». Additur tamen fieri posse lethale peccatum, quando nimirum *provenit*, verba sunt S. Th. art. 3. *ex hoc quod aliquis male afficitur ad alterum quum enim aliquis contemnit, vel odit aliquem, aut irascitur vel invidet ei, ex levibus signis opinatur mala de ipso: quia unusquisque faciliter credit quod appetit.*

II. *Judicium temerarium, quale peccatum sit.*

Si suspicio mala limites transeat merae opinionis, et intellectus firmetur in malo credendo, jam in temerarium vergit judicium, et tunc, si sit de gravi aliquo proximi malo, *peccatum est mortale*, ut docet l. l. S. Th., *in quantum*, inquit, *non est sine contemptu proximi.* Multoque magis si ex tali temerario judicio etiam ad pro-

ximo malum aliquod inferendum progrediamur, ut statim subdit S. Doct. Et merito quidem, nam binas continet perversitates et inordinationes. Nam 1. sibi de proximo judicium arrogat, quod a lege naturae et divina vetatur. Illa siquidem indicit, ne quis in sibi aequales, multoque minus in superiores munus judicis attribuat: manifestum est enim (inquit S. Thom. q. 67. art. 1.) » quod nullus potest » judicare aliquem, nisi sit aliquo modo subditus ejus, vel per commissionem, vel per potestatem ordinariam ». Et Doctor Gentium hanc iniquitatem temere judicantibus merito exprobat ad Roman. 14. *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit.* Et Matth. 1. *Nolite judicare, ut non judicemini* etc. 2. Affert contemptum proximi, et illi injuriam irrogat, ut ex D. Th. vidimus; quilibet enim jus habet, ut bonus habeatur usquedum ejus iniquitas vel malitia manifestis deprehendatur testimoniis et argumentis.

III. *Quando judicium sit vere temerarium.*

Ad hoc judicium temerarium requiritur, ut argumenta, quae ad judicandum movent, levia sint, imbecilia, nec apta ad virum cordatum movendum: nam si firma sint, manifesta et urgentia, jam temeritatem a judicio auferunt, et licet malum, quod de proximo mente firma concipitur, falsum fortasse sit, a peccato excusatur, qui malum judicat, ut docet S. Thom. Quaenam autem firma et solida sint dicenda argumenta, quaenam vero infirma et imbecilia, facile non est definire; sed attendendae sunt circumstantiae 1. tum judicantis tum judicati; quod enim grave est argumentum respectu unius, infirmum est respectu alterius. Nam si quis judicat hostis est, animo aversus, male affectus erga proximum de quo judicat, facile est, ut ex levioribus argumentis ad temerarie judicandum progrediatur, quod locum non habet in eo, qui nullo pravo animo affectus de re judicat prout est, vel sibi prudenter videtur. Pari pacto si ille, de quo judicatur, jam sit tali vitio addictus, etiam leve argumentum ansam praebere potest judicium efformandi de illius malitia; ut si quis videat meretricem elam juvenem alloquentem, illique blandientem, non temere judicabit, eam honestati adolescentis insidiari; secus dicendum de honesta muliere juvenem alloquentem, vel etiam illi arridentem. Tempus etiam est attendendum: si enim qui scalam secrete muro apponere nocturno tempore videatur, temerarium non erit judicium putare et credare illum vel furtum vel fornicationem moliri: secus vero si ista interdiu et palam fiant. 3. Loci quoque circumstantia temeritatem vel aequitatem judicii comprobare potest: qui enim ea loca frequentat, ubi nonnisi male agitur, criminis ab ipso vel patrati vel patrandi validum praebet argumentum. Uno verbo, ea sunt habenda firma et idonea ad judicandum argumenta, quae virum cordatum, prudentem, omni prava affectione carentem movere queunt, secus vero quae nonnisi suspicíosum, imbellem, et animo male affectum valent pertrahere.

IV. *Quaenam sint gravia mala, quae de proximo judicare lethale peccatum sit.*

Gravia mala, quae de proximo judicare ex levibus conjecturis lethale peccatum efficiunt, sunt 1. omnia illa lethalia peccata; quae hominis famam, honorem, justamque existimationem laederent, si de

illo dicerentur. Hinc si qua sunt lethalia peccata, quae licet Deo hominem inimicum efficiunt, tamen nullam apud homines afferunt infamiam et dedecus, de illis judicare etiam ex levibus indiciis lethale peccatum non erit, ut si quis meribibulum ebrium judicet, militem ad duellum provocasse pro certo teneat, a lenone adolescentem ad lupanar adductum fuisse censeat, grave peccatum non erit, quum in hujuscemodi personis inebriari, ad duellum provocare, et ad meretricem accedere dedecus et infamiam apud homines non afferant. 2. Aliquando judicium temerarium de habitudine peccandi etiam venialiter juxta conditionem personae lethale esse potest peccatum, quando haec habitudo manifestata illius personae bonum nomen et existimationem corrumperet; ut si quis diceret vel animo ex levibus indiciis judicaret, Episcopum, Presbyterum, Religiosum esse mendaces, lusores, vanos; quia haec vitia, licet in se levia, hujusmodi tamen personas contemptibiles reddunt, et non leviter dehonestant.

Consectaria.

I. *Quando temeraria suspicio sit lethale peccatum, quando solum veniale.*

Ipsa suspicio et dubitatio temeraria de re gravi et proximo noxia, si sit cum plena advertentia, est lethale peccatum: nam licet ad judicium usque non perveniat, adhuc tamen gravem proximo irrogat injuriam de ejus bonitate vel solum dubitando. Et revera quis non graviter doleret et conquereretur, si sciret alterum de ipso malum grave suspicari, de ejus fidelitate v. g., probitate, justitia dubitare? Contingere tamen potest, ut quis nonnisi venialiter peccet, si id suspicetur ex solo intellectus errore, quia suae suspicionis argumenta ex errore intellectus putat satis firma ad suspicionem juste inducendam, animo tamen paratus ad omnem deponendam suspicionem, quum melius adverterit, nec ullo odio vel malo animo movetur ad talem suspicionem: tunc enim, ut patet, non ex malitia, sed ex errore suspicatur.

II. *Rumor de aliquo delicto, non semper a temerario judicio excusat.*

Non semper excusatur a temerario judicio, qui ex rumore et fama de gravi crimine proximi judicium efformat. Si enim rumor ab aliquo teste prodierit certo, designabili, et fide digno, poterit esse sufficiens argumentum ad suspicandum vel dubitandum, vel etiam, si testis sit de visu, judicandum; at si rumoris et famae ignotum sit initium, aut ex levi ortum fundamento, vel a teste minime fide digno, non est sufficians motivum, non dicam judicandi, sed nec ambigendi. Quapropter a crimine temerarii judicii non excusatur qui ex tali rumore judicaret; et hoc est diligenter notandum: frequentissime enim nihil magis falsum, quam quod ex hujusmodi incertis rumoribus pervulgatur.

III. *Dubia indicia, sunt in meliorem partem interpretanda.*

Dubia indicia de alterius malitia semper sunt in meliorem partem interpretanda. Ita docet S. Thom. q. 50. art. 4. in corp. » Ex hoc » quod aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti

» caussa, injuriatur ei, et contemnit ipsum. Nullus autem debet alium » contemnere, vel nocumentum quodcunque inferre absque caussa » cogente. Et ideo ubi non apparent manifesta indicia de malitia al- » terius, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem in- » terpretando quod dubium est ». Idem confirmant et ipsae juris Canonici regulae: nam Innoc. III. C. ex parte *de scrutimo*, statuit; *Illum, quem indignum esse non nosti, debet dignum existimare.* Immo et ipsum jus naturale confirmat, dum jubet, ut alteri faciamus quod nobis fieri vellemus; quilibet autem jure vellet, ne in sui detrimentum quod dubium est, sed potius in sui favorem accipiatur: est ergo et idem erga proximos faciendum.

IV. *Quando liceat dubia, in deteriorem partem interpretari.*

Non est illicitum, quum de proprio agitur damno vel de proximi bono procurando, dubia in deteriorem partem interpretari, non quidem judicando, vel suspicando, sed cautionem adhibendo, et rebus nostris ac bono proprio consulendo, ac si malum, quod veremur, posset contingere. Ita docet S. Thom. laud. art. 4. ad 3. Quamobrem licet proprias res custodire, arcas claudere, etiam in proprio domo, quin ulla sit suspicio vel judicium de domesticorum et familiarium justitia et honestate. Pari pacto licet ab homine nobis ignoto res nostras ita caute costudire ac si fur esset, quin tamen ullam de illo efformemus vel suspicionem vel judicium. Superioribus pariter licet ita caute se gerere et subditos suos ita regere, ut ab omni peccandi periculo avertant. Discretione tamen opus est et prudentia, ne vel subditos vexent, ne se suspiciosos ostendant, et ne fortassis malum ipsum, quod avertere curant imprudentia sua accersant.

V. *Quomodo cum meticulosis agendum, circa suspiciones, et temeraria judicia.*

Cum personis meticulosis, scrupulisque laborantibus, ac praecipue Sanctimonialibus non nimium sint morosi sacri Ministri, quum eas audiunt confiteri suspiciones malas, judicia temeraria de proximis: credibile enim est et probabilissimum meras esse tentationes et involuntarios motus in earum infirma mente insurgentes, quin ipsis ullum praestent assensum: illas ergo consolentur, pusillanimem earum animum erigant, ista aspernari et contemnere doceant, praesertim quum prospiciant, hujusmodi personas vere Deum timentes omnia fugere peccata etiam venialia, Dei et proximi charitatem in corde tenere, erga proximos, de quibus prave judicant vel suspicantur, nedum male non esse affectos, sed eos sincero corde diligere.

CAPUT II.

De calumnia, falso testimonio, et detractione.

I. *Quid sit calumnia.*

Calumnia definitur a S. Thom. q. 68. a. 3. *Falsis criminis impositio.* Quamobrem calumnia fere semper est mendacio conjuncta: requiritur enim, ut ille, qui proximum calumniatur, sciat se falsa dicere, si enim putat verum dicere, temerarius quidem accusator erit, non vero calumniator. Ita S. Thom. loc. l. ad 1. Fieri tamen potest, ut quis calumniator audiat, licet se verum dicere putet, nimirum quando

ex praeconcepto pravo affectu levibus fundamentis innixus de crimine temerarium jam concipit judicium, quod postea aliis communicat: tunc enim hocce temerarium judicium per exteriorem manifestationem in calumniam transit, licet qui calumniatur se verum dicere putet: nam sicut illud temerarium judicium peccatum est lethale, quia levioribus innixum argumentis, quorum imbecillitatem advertere tenebatur, ita dum illud pandit, calumniatur, quia sui dicti falsitatem agnoscere debebat et vitare.

II. *Calumnia quale peccatum sit.*

Calumnia de se grave peccatum est, quum adversetur charitati, veritati, et justitiae, ut de mendacio pernicioso docet S. Th. et inferius ostendemus; solum vero veniale esse potest, si vel leve sit crimen, quod proximo imponitur, vel leve damnum inferatur. Calumnia in se spectata gravius peccatum est, detractione, quia illa semper mendacium involvit; haec autem, ut mox dicemus, quod verum est sed occultum pandit. Fieri tamen quandoque potest, ut detractionis malitia nequitiam calumniae superet, nimirum quotiescunque ex detractione majus, quam ex calumnià damnum proximo proveniat. Inter calumnias tamen eae atrociores sunt reputandae, quibus doctrinae, vel honori, vel pietati detrahitur illorum, qui in vinea domini laborant, et praesertim si a viris prodeant, qui magna gaudeant apud audientes calumnias fama et existimatione.

III. *Falsum dicere testimonium, quale sit peccatum.*

Lege charitatis et justitiae homines aliquando teneri testimonium dicere sive in judicio, sive extra late ostendimus in Tract. de Offic. hominum, ubi omnia, quae ad judiciale spectant testimonium, exposuimus. Unum igitur hic superest explicandum, gravitatem scilicet criminis in falso testimonio. Et quidem S. Thom. docet, falsum dicere testimonium in judicio semper esse peccatum mortale: extra vero non semper esse mortale. Sed qualitas mendacii est tunc in falso testimonio expendenda. Itaque ex doctrina S. Doct. quam habet q. 70. a. 4 colligitur 1. falsum testimonium in judicio dicentem semper peccare mortaliter, quoties juramentum de veritate dicenda praestatur. 2. Licet nullum praestet juramentum, adhuc lethalis criminis reum esse, qui in damnum proximi falsum testatur, peccat enim contra justitiam; et hoc est, quod per se in hoc octavo vexatur praecepto, *non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Si vero nec jusjurandum adhibeatur, nec justitia violetur, non erit ex se lethale crimen, sed mendacii sola inquinabitur malitia. Observat etiam Sanctus Thomas loc. laud. ad 1. non solum falsum testimonium dicere, qui falsum pro vero testatur, sed etiam qui certum pro dubio, sicut et ille, qui sine debita sollicitudine in veritate quaerenda putat se verum dicere quum, falsum deponat: nam ipsa falsitas jam est ipsi in sua negligentia veritatem inquirendi voluntaria; quod si debitam adhibuerit ad cognoscendam veritatem diligentiam, et tamen adhuc fallatur, a culpa excusabitur. Falsi quoque testimonii reus est, qui in favorem rei, ut eum a morte vel a poena liberet, in judicio mentitur, et quidem 1. Peccat ratione violati juramenti. 2. Licet nullum intersit juramentum, adhuc tamen lethaliter peccat quia legalem justitiam violat, judicem decipit, et a recta ferenda

sententia impedit, et Reipublicae damnum infert. Quod si judex judicium pervertat, et iniqua pervesitate innocentem perire, vel damnare velit, adhuc peccat qui falsum testimonium dicit caussa juramenti praestiti; quod si nullum praestetur juramentum, a peccato lethali excusatur, quia illud nec est judicium, nec judex munus suum legitime exercet. Nihil dictum, quod a S. Th. non sit desumptum q. 68. a 3. et 70, a. 4 ad 2.

IV. *Detractio quid sit, et quale peccatum.*

Detractio definitur a S. Th. q. 73. a 1. *Denigratio alienae famae per verba.* Distinguit autem S. D. eodem loco famam ab honore dum docet per contumelia derogari honori, per detractionem vero famae. Et revera licet communiter honor et fama sive bonum nomen confundi soleant, et pro eadem re accipi, nihilominus tamen optime distinguuntur: nam honor, ut docet S. D. 2. 2. q. 103. a 2. *nihil aliud est, quam quaedam protestatio de excellentia bonitatis alicujus.* Praesupponit itaque verus honor in honorato aliquam excellentiam, ratione cujus honore dignetur, quin tamen necesse sit, ut hæc sit major in honorato, quam in honorante; sed sufficit si absolute respectu aliquorum qui sit tali praerogativa ornatus, per quam honorari possit ac debeat, ut docet idem S. D. Fama vero proprie non in aliqua ipsius, qui bono vel malo gaudet nomine, dote, et praerogativa consistit, sed in judicio exteriore, quod homines habent de probitate vel nequitia alicujus. Hinc fama in bonam et malam distinguitur, et utroque, licet in aliorum judicio consistat, ut diximus, basim tamen, radicem, et fundamentum habet in ipso, qui bona gaudet, vel mala laborat fama et nomine nimirum quia vel vitiis foedatur, vel virtutibus ornatur. Detractione itaque bonum nomen et fama laeditur, quae non solum inter bona enumerant Philosophi et Christiani Doctores, sed inter praecipua et nobiliora bona ipsis divitiis et dignitatibus potiora. Immo et ipsa Scriptura confirmat, dum Prov. 22. dicitur: *Melius est nomen bonum, quam divitiae multae.* Merito itaque S. Th. laud. q. 73. a. 2. docet detractionem esse de se et ex genere suo lethale peccatum, quia detractor injuste alterum laedit in bono maxime pretioso, cujusmodi est bonum nomen et fama.

V. *Detrahendi modi.*

Pluribus modis alterius famam bonumque nomen laedi posse et auferri docet S. Th. a. 1. ad 3. *Et quidem directe et indirecte* (verba sunt S. D.) *Directe quidem quadrupliciter: uno modo quando falsum imponit alteri; 2. quando peccatum adauget suis verbis; 3. quando occultum revelat; 4. quando id quod est bonum dicit mala intentione factum. Indirecte autem vel negando bonum alterius, vel malitiose reticendo, vel minuendo.* Quos modos omnes juvandae memoriae caussa duobus versiculis complexi sunt Theologi, nimirum

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatque remisse.

et licet de laudatione remissa verbum non habeat S. Th., non inepte tamen addita est ad uberiorem explicationem illius modi, quo minuendo alienae famae detrhaitur. Primus itaque detrahendi modus omnium pessimus fit per calumniam, falsum crimen alicui tribuendo, de quo superius dictum est. 2. Proximi facinus augendo, sive ex parte

materiae criminis dicendo, plura furatum esse, quum nonnisi pauca surripuerit; vel ex parte subjecti addendo, furtum ex vitio et pravo animo prodiisse, quum nonnisi accidentaliter et ex occasione oblata prodierit. 3. Quum quis alterius crimen occultum manifestat, unde proximi bonum nomen vel deperditur, vel minuitur, ut quum quis virginis in communi opinione honnestae fornicationem manifestat. 4. Quando quis alterius opus vel indiferens, vel bonum pessime interpretatur, et pravo fine factum praedicat; ut si quis de divite eleemosynis pauperi familiae succurrente diceret, ad seducendam filiam, vel ob impudicum cum matre commercium eam liberalitatem exercere. 5. Quum quis alterius bonum facinus, quod ab aliis laudatur, et praedicatur, negat; ut si quis de proximo diceret, a vitio, quo inquinabatur, resipuisse, alter vero hoc negaret, praecipue si resipiscentia vera foret. 6. Silentio veritatem injuste detinendo, quum ejus manifestatio ad bonum nomen proximi conduceret; ut in exemplo allato de illo, qui resipiscentiam et conversionem proximi praedicaret, alter vero, qui rei veritatem nosset, vel taceret, vel se nihil de hoc affirmare velle vel negare responderet. 7. Alterius bona opera minuendo, ut si de aliquo Praelato diceretur, liberalem esse, vigilem, alius vero responderet, tenues duntaxat ab eo eleemosynas fieri, vigilantiam in rebus minoris momenti ostentare. 8. Denique frigida laudatione, quum res, quae de proximo praedicantur, dignae sunt justo encomio, ut contingit, quando dum praedicantur alicujus Clerici, optimi Religiosi facta vel in commune bonum, vel in proximorum utilitatem, qui audit frigide respondet, illum esse quidem bonum virum, probum Religiosum, at nihil ultra.

VI. *Quando detractio vel nullum, vel leve peccatum sit.*

Crimen detractionis, quod de se lethale peccatum est, fieri potest quandoque, ut nonnisi venialem inferat noxam, vel etiam nullam, ut docet S. Th. laud. q. 73. a. 2. Difficile quidem fateor statuere, quando detractio intra venialis peccati limites sistat, quando vero ultra progrediatur, quum hoc ex singularibus circumstantiis pendent sive personae dicentis, sive illius, de qua dicitur, sive temporis, loci, aliisque. Nonnullas tamen regulas ad clariorem rei notitiam statuere placet.

Regulæ ad detractionis gravitatem dignoscendam.

VII Reg. 1. Levia crimina proximi propalare de se veniale peccatum est, sicut lethale gravia scelera manifestare, ut patet ex dictis. Fieri tamen quandoque potest, ut etiam leviora crimina de quopiam praedicata lethale peccatum constituant, si is, de quo praedicantur, sit in magna existimatione, vel speciali reverentia dignus, quia tunc laederetur ejus fama. Quamobrem de Episcopo vel Religioso probo dicere esse mendacem, astutum versipellem et similia, quae multum eorum existimationem minuere valent, mortale peccatum erit; sicut a mortali exscusantur, qui lethalia etiam crimina de aliquo manifestant, quae tamen non solent dedecus afferre, ut superius dictum est.

VIII. Reg. 2. Licet fortasis gravis detractio non sit affirmare de aliquibus; quod ambitiosi sint, iracundi, contentiosi, intractabiles,

vani, elati etc. quia haec vitia ita generatim accepta potius naturae communem depravationem denotant et inclinationem, quam peculiaria crimina et peccata, nisi fortassis de aliquo eximiae probitatis viro dicantur, cujus propterea denigretur fama; tamen certum est, eos graviter peccare, qui generali quadam locutione dicunt, *se plura scire de aliquo, quae si proferrentur in lucem, ipsum valde puderet; multa se nosse, quae praestat silentio obvolvere*, et hujusmodi dicendi formulae, quas humana nequitia ut simul virus suum effundat, et detractoris infamiam effugiat, adinvenit. At hujusmodi detractores Dei judicium non effugient.

IX. Reg. 3. Occulta crimina, quae famam denigrant, revelare etiam uni et secreto sine justa caussa, de se lethale peccatum est. Favet meo videri huic sententiae S. Th. qui q. 73. a. 1. ad 2. scribit: *Etiamsi uni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam ejus non in toto sed in parte.* Et revera in fama et existimatione, quae bonum maximum est pretiosius omni auro, quaelibet subtractio gravis censenda est: sicut enim qui ab aerario divitis satis opulento surriperet centum aureos letaliter peccaret, licet totum aerarium non exhauriat, immo plura adhuc in illo supersint; ita qui penes unum praesertim vero virum gravem, cordatum alienam famam pessundaret occulti criminis manifestatione injusta, non tota quidem eripit famam, sed graviter tamen labefactat, quum pluris sit faciendum judicium viri gravis, pii, cordatique, quam imperitae multitudinis. Nec excusat onus secreti auditori a detractore impositum: si enim ille sine peccato, ut supponunt, secretum non laedit naturale alterius crimen occultum detegendo, ita nec iste graviter peccabit secretum sibi a detractore impositum violando, et alteri sub pari onere revelando, et ita sensim sine sensu tota funditus diruitur aliena fama.

X. Reg. 4. injuste occulta crimina revelantur, et peccatum detractionis committitur quotiescunque 1. vel ex animo nocendi, 2. vel ex ira, odio et invidia, 3. vel loquacitate et libidine fandi de absentibus male dicitur. Primum quidem certum est: tunc enim tota adest malitia detractionis nimisque est aperta, ut non statim appareat. 2. Quando vero quis ex odio vel invidia aliena crimina occulta prodit, licet directe ipsi nocere non intendat, nihilominus non excusatur a lethali culpa, quum per ipsam detractionem, etiamsi ipse nolit, revera alteri noceat, ejusque famam proscindat, bonumque nomen pessumdet, vel laedit, ideo in utroque casu semper est lethale peccatum. Si vero profluat detractio ex loquacitate et levitate, esse potest quandoque solum veniale, nisi ea, quae de proximo dicuntur, graviter proximi famam, laedant, et bonum nomen corrumpant, ut sunt ea omnia, quae proximi honestatem et aequitatem denigrant; quamobrem honesti alicujus viri occultum furtum, honestae virginis occultum stuprum, bene morati Religiosi occultum lapsum in fornicationem, etiam ex levitate et loquendi libidine narrare a lethali crimine non excusarem. Ita docet S. Th laud. q. 73. a. 2.

XI. Reg. 5. Aliena occulta crimina ob aliquam necessitatem vel justam caussam narrare vel nullum peccatum est, vel venialem culpam non excedit. Ita S. Th. l. l. Coeterum ipsa publica proximi delicta evulgare nescientibus quandoque lethale peccatum est. Et 1. qui-

dem si ex odio fiat et invidia, tunc enim fit animo nocendi proximo. 2. Si qui publice peccavit, publicam etiam egerit poenitentiam, et famam ac bonum nomen recuperavit: tunc enim non solum contra charitatem peccas, sed et contra justitiam. 3. Si crimen de illo vulgatum et communiter creditum falsum fuisset et calumniosum: oam tum adhuc jus retinet ad propriam famam, qua nonnisi injuste expoliatus fuit; qui igitur illud evulgat, nonnisi calumniam et falsitatem evulgat. Immo etsi verum esset crimen, sed injuste publicatum, adhuc puto sine lethali crimine apud alios vel aliis in locis vulgari non posse; quia injusta fuit illa fama et boni nominis per diffamationem illicitam ablatio. 4. Peccant etiam lethaliter, qui peccatum publicum in aliqua tantum Communitate, Coenobio, vel Religione extra ipsam et apud laicos, vel alterius Religionis, Coenobiique Religiosos penitus ignorantes vulgarent: nam tunc ea delicta non censentur usquequaque publica, nec reus publice diffamatus; sed solum in tali loco et apud aliquos tantum: qui proinde vulgaret et Communitati et ipsi reo injuriam inferet, quippe qui utriusque bonum nomen et famam graviter laederet.

XII. Reg. 6. Non peccant saltem lethaliter, qui crimina notoria sive jure sive fama, sive ipso facto narrant. Notorium jure dicitur illud crimen, quod judicis sententia, vel ipsius rei confessione, et testium depositione compertum est; et hoc vulgare de se non est peccatum mortale, quum per sententiam judicis, qui illum publica poena vel mortis, vel exilii, vel carceris multavit, omne jus ad suam famam reus amiserit. Aliqui tamen Theologi, et non immerito, limitant solum post sententiam judicis, non ante illam, licet crimen constet in judicio rei confessione, et testium comprobatione; nam adhuc reus suo bono nomine et fama per legitimam sententiam non est privatus. Notorium vero factum illud aestimatur, quod publice patratum est, puta in foro, platea, publica via, coram multitudine, et utrumque tunc dicitur crimen publicum, quotiescunque in aliorum notitiam facile pervenire potest: quod dijudicandum est et ex loci frequentia et ex personarum, in quorum notitiam devenit, conditione et praestantia. Quando itaque crimen notum est sive facto sive fama, non peccant 1. qui cum scientibus de eo loquuntur ob aliquam utilitatem, venialiter vero si ex levitate et loquacitate. 2. Similiter lethale peccatum non est crimen notorium in loco illis manifestare, ad quorum notitiam nondum devenit: nam per accidens est, quod illud ignorent. 3. Publica crimina notoria facti publicitate in aliqua Urbe, Provincia, et Regno litteris ad alias etiam dissitas regiones referre, licet fortassis difficile illuc perventura, peccatum lethale non est contra justitiam; quippe quia publice peccans jam suam famam prodegit.

XIII. Reg. 7. Naturales defectus proximi pandere, nisi grave inde detrimentum et damnum illi obveniat, communiter peccatum lethale non est. Nam quum hujusmodi defectus non ex voluntate et malitia profluant, sed ex natura, famam non minuunt, et bonum nomen penes cordatos, graves, prudentesque viros non corrumpunt. Hinc dicere aliquem esse caecum, surdum, gibbosum, deformem peccatum non est lethale, sicut nec grave peccatum detractionis existimarem dicere aliquem nothum, filium Clerici, Antenatos habuisse abje-

ctae stirpis, vilis, ignobilis; nisi forte haec patefacere proximum ab honore, dignitate, officio sive civili sive Ecclesiastico arceret: nam tunc hoc foret contra justitiam et charitatem. Quod si bi etiam naturales defectus sint vera impedimenta ad statum aliquem amplectendum, nulla erit culpa eos manifestare quibus interest: sic licet ea pandere impedimenta quae ineptum reddunt ad statum Religiosum, vel Clericalem amplectendum. Pari pacto lethale crimen non est imperitiam, ignorantiam Medici, Advocati, Artificis pandere, quando occultatio in proximorum damnum cederet; cavendum tamen diligenter, ne haec imperitiae et ignorantiae criminatio non ex recto judicio, sed ex prava animi affectione, ex odio et invidia prodeat, nec nimium exageretur, et supra veritatem augeatur: tunc enim esset lethale detractionis peccatum, a quo quammaxime cavere sibi debent ejusdem artis vel scientiae comprofessores, qui sicut ex una parte sunt magis idonei cognitores, ita ex alia facile est, ut ex invidia, odio, et aemulatione perversum de proximo efforment judicium, et injuste de illo obloquantur.

XIV. Reg. 8. Non licet iniqua compensatione infamantem infamare. Ad omnem tollendam ambiguitatem puto animadvertendum, duplici modo quempiam posse suam famam tueri cum alterius famae imminuitione, nimirum 1. quum quis per calumniam falso crimine infamatus suam innocentiam ostendit patefaciendo, detractorem esse calumniatorem; et hoc licitum esse non ambigo: tunc enim non per se intenditur diminutio famae proximi, sed per accidens, et solum propriae innocentiae tuitio quaeritur; unde hic locum habet paritas ex illo desumpta, qui ut suam vitam tueatur, injustum aggressorem occidit; quippe quia non alterius necem intendit, sed sui defensionem, et mors alterius praeter intentionem sequitur, et solum ex culpa iniqui aggressoris. Alio modo quis potest suam famam tueri detractoris occulta crimina manifestando, puta homicidium, vel aliud crimen ab ipso occulte perpetratum, et omnibus ignotum, et sic suam tueri famam curant: et hoc est, quod affirmo minime licere: tunc enim directe alterius intenditur infamia, et propriae famae tuitio solum indirecte resultat, si tamen resultat, atrocioris enim criminis accusatio tui criminis veritatem non infringit, et ille quidem homicida esse potest, at tu simul vere vel fur vel adultera. Quamobrem sicut ille peccat: qui occultum crimen tuum revelando te diffamat, pari pacto tu alterius occultum scelus pandendo proximum infamas; nec excusaris, quod in tui defensionem illud promas, quum illicito uteris medio, et ex Apostolo, non sunt facienda mala, ut veniant bona.

XV. Reg. 9. Tametsi quilibet licite aliquando possit suae famae dispendium pati, seipsum tamen infamare non licet. Et primum quidem licere aperte docet S. Th. q. 73. a. 4. ad 1. *Sui arbitrii est detrimentum suae famae pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum... Et ideo in hoc potest commendari ejus patientia, quod patienter proprias detractiones sustineat.* Tribus quippe modis potest quis seipsum infamare, nimirum 1. negligendo et prodigendo propriam famam, dicendo sibi sufficere coram Deo conscientiam; et hoc improbat S. Augustinus lib. de bonis viduitatis: *Quisquis enim*, inquit, *a cri-*

minibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit, sibi bene facit, quisquis autem etiam famam; et in alios misericors est. Praesertim autem in viris sive Ecclesiasticis, sive laicis, qui aliis praeesse debent, et bono exemplo praelucere. 2. Humilitatis caussa graviora et etiam turpiora admissa scelera occulta manifestando, quod licet absolute improbandum non videatur propter exempla plurium Sanctorum, qui propria crimina omnibus voluere comperta; nihilo tamen secius prudentia in hoc opus est, et cavenda proximi offensio, et pusillorum scandalum avertendum. 3. Denique falsum sibi crimen imponendo, vel perversos mores simulando: et quidem primum sine peccato fieri non potest, quum mendacium complectatur, quod nunquam licitum est. Nec pariter crimine vacat perversos mores simulare, quum quilibet juxta Apostoli monitum providere debeat bonum *non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus.*

XVI. Reg. 10. Gravissime peccant, qui libellos famosos, satyras, cantica conficiunt, vulgant, transcribunt, adprobant, et comendant, quibus proximi famam maledictis, falsis criminationibus proscindunt; eoque gravius peccant, quo nobiliores sunt et venerabiliores personae, contra quas debacchantur. Hujus regulae veritatem nullus est, qui non agnoscat et fateatur, quum hoc sit famam proximi quo majori fieri potest modo corrumpere et labefactare, nam infamia et undequaque diffunditur, et perenniter subsistit. Hinc Concilia, et SS. Pontifices hujusmodi scelestos Scriptores anathemate feriunt, et S. Pius V. in Const. an. 1571, quae incipit *Rom. Pontificis Providentia* omnes scribentes, dictantes, retinentes, transmittentes, et non lacerantes libellos famosos continentes laesionem famae proximorum. Libelli vero famosi nomine intelligitur *Scriptura vel calumniosa facta, vel vera sed secreta, aut certe non publica ut publica fiant, et in plurimorum notitiam deveniant:* Sunt etiam, quae nihil omnino narrant, sed mera continent convitia, maledicta, probra, contumelias, dehonestationes, et infamias ad nomen, famam, et existimationem proximi proculcandam.

XVII. Reg. 11. Detrahentes libenter audire peccatum est, et quandoque lethale. Ita docet S. Th. hic q. 73. a 4. » Dicendum, quod » si aliquis detractiones audiat absque resistentia, videtur detractori » consentire; unde fit particeps peccati ejus. Et si quidem inducat eum » ad detrahendum, vel saltem placeat ei detractio propter odium ejus, » cui detrahitur, non minus peccat quam detrahens, et quandoque » magis.... Si vero non placeat ei peccatum, sed ex timore, vel » negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrhaentem; peccat quidem, sed multo minus quam detrhaens, et plerum» que venialiter. Quandoque etiam hoc potest esse peccatum mor» tale vel propter hoc quod alicui ex officio incumbit detrhaentem » corrigere: vel propter aliquod periculum consequens; vel propter » radicem, qua timor humanus quandoque potest esse peccatum » mortale ». Ex hac doctrina sponte sequitur illos lethaliter peccare et quidem contra justitiam et charitatem, qui alterum ad detrahendum incitant vel movent, etiam ex sola curiositate aliena facta sciendi. 2. Lethaliter peccat contra charitatem, qui ex odio et malevolentia erga proximum libenter ejus vituperationes audit; *Si placeat ei*

detractio (verba sunt S. Th.) *propter odium ejus, cui detrhaitur.* 3. Peccat lethaliter contra charitatem, qui quum facile possit, et ex officio teneatur, quia Superior est, detrhaentem vel a detractione compescere vel reprehendere, hoc cristianae charitatis officium negligit; non peccat tamen contra justitiam quum non sit detractionis caussa. 4. Qui detrahentem audit, sed invitus et nolens, nec audet ex timore vel verecundia illum vel compescere vel corrigere, peccat plerumque solum venialiter. 5. Qui audit detrahentem, nec potest eum de falsitate redarguere, quia scit verum esse quod dicit, vel non audet reprehendere, *tenetur*, inquit S. Th. ad 2., *saltem ostendere, quod ei detractio displiceat per tristitiam faciei; quia ut dicitur Prov.* 25. Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem. Quandoque prudentia dictat, ut qui vel ex officio debent vel facile possunt detrahentem reprehendere hoc officium omittant. 1. si vereantur, ne detractor magis confirmet detractionem: tunc enim correctio magis noceret et detractori et cui ille detrahit. 2. Si noverit, correctionem minime profuturam, et detrationem spretam posse obsolescere, et ab audientium mente deleri. 3. Si majus sibi timeat damnum, quam illud, quod proximo ex detractione redundat. Praeterea aliquando expedit detractionem impedire, quando nimirum quis advertit, alium paratum esse ad detrahendum; et hoc qui superior est praestare debet jubendo detractori silentium: aequalis vero vel inferior sive sermonem abrumpendo, sive ad alia detorquendo, sive recidendo: aliquando jam inceptam abrumpere, quum nondum nomen personae de quo maledicit enunciavit; aliquando detractionem integre absolvi sinendum est, quum suspicio oritur, ne auditores majus suspicientur malum illo, quo de proximo dicitur.

XVIII. *Quaenam circumstantiae a dectratore, sint in confessione aperiendae.*

A detractore in confessione aperiendae sunt circumstantiae et audientium, num scilicet unus fuerit vel plures, et detractionis genus, idest criminis qualitatem vel speciem, quam detrahendo manifestavit. Nam sine hujusmodi circumstantiarum manifestatione nec integritas consistit confessionis, nec rectum efformari potest a judice confessario de criminis gravitate judicium. Tenetur itaque detractor manifestare, num repetitis vicibus, modo apud unum, modo apud alterum, vel una tantum vice apud septem, octo vel plures de proximo sit oblocutus: nam utroque modo gravius laeditur proximi fama, quam si apud unum tantum de proximo detraxisset, hoc ad summum discrimine, quod primo modo tot sunt numero peccata, quot habuit detractiones, in altero vero unum duntaxat committit peccatum pluribus tamen aequivalens: pari pacto est in confessione aperiendus numerus personarum, quarum famam laesisti, vel proscidisti. Alteram partem nonnulli inficiantur Theologi, censentes famam et bonum nomen esse semper ejusdem speciei in genere moris: quamobrem parum interesse, si uno vel alio crimine vel impacto vel detecto pessumdetur. At hoc non est adeo exploratum, ut tanquam certum habendum sit; immo quum fama et bonum nomen sit bonorum operum accessorium, sicut infamia malorum, sicut diversae sunt bonae operationes, quibus fama fulcitur, et variis criminibus infa-

mia incurritur, ita fama et infamia diversa speciei esse potest. Praeterea ipsa, quae affinguntur vel deteguntur, scelera modo gravius, modo levius proximi bonum nomen defoedant. Grave siquidem peccatum erit de docto et pio Ministro dicere esse impudicum, indoctum, ebriosum; et longe gravius erit dicere esse sodomitam, haereticum, blasphemum, et similia. Est igitur et genus criminis, quo alterius fama denigrata est, ad integritatem confessionis aperiendum.

CAPUT III.

De contumelia, convicio, et Irrisione.

I. *Quid sit contumelia.*

Contumelia juxta S. Th. 2. 2. q. 72. a. 1. importat *dehonorationem proximi*: quod quidem, ut idem S. D. animadvertit, fieri potest et factis et verbis; factis quidem, quum proximus ea privatur excellentia, propter quam habet honorem: nam si quis alterum vita, membris, libertate privet, hoc non est contumelia, sed injustitia; verbis vero, quando quis quod est contra honorem proximi, vel deducit in notitiam aliorum ad eum dehonestandum, vel etiam ipsi soli dicit, reverentiam proximo debitam violando; et haec proprie est contumelia, quae proinde, ut docet S. D., in solis verbis consistit, et si quando ad facta extenditur, est quum ipsa facta verborum locum tenent.

II. *Quid sit convicium.*

Convicium et improperium sunt pariter peccata linguae proximi honorem laedentia, illud quidem vitia corporis vel spiritus exprobando, istud vero defectum aliquem status vel conditionis. Haec itaque tria peccata seu vitia, contumelia, convicium, et improperium in aliquo conveniunt, et in aliquo discrepant. Conveniunt, quia sunt peccata oris, et omnia proximi dehonestationem respiciunt. Discrepant vero, quia contumelia spectat defectus culpae convicium tum culpae tum poenae, et naturales etiam, qui adhuc existunt in proximo; improperium vero respicit praeteritam vel indigentiam, vel status quo modo gaudet, minorationem. Ita S. Th. loc. laud. ad 3. Tribus potissimum modis contumelia proximo infertur; 1 quum quis alteri in faciem crimen vel vitium exprobat animo dehonestandi, sive coram aliis, sive etiam seorsum ab aliis, ut quum quis alteri dicit, tu es fur, adulter, simoniacus etc. 2. Si haec exprobret scripto et libello, quem in notitiam venire velit illius, cujus dehonestationem cupit. 3. Denique si haec vitia proximi aliis narret eadem intentione et voluntate: si enim vel scripta et libellos vulget, vel vitia narret sine animo ut proximo innotescant, non ad contumeliam spectabunt, sed ad detractionem, quum contumelia praesentiam postulet dehonestati saltem moralem.

III. *Contumelia, convicium, et improperium lethalia sunt peccata.*

Contumelia, convicium, et improperium, quum ad alterius dehonestationem injuste proferuntur, sunt de se et ex genere suo peccata lethalia. Id patet ex Evangelio Matt. 5. *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennae ignis.* Et ex S. Paulo ad Rom. 1. *Detractores Deo odibiles, contumeliosos.... qui talia agunt digni sunt morte.* Quod pro-

bat S. Th. hic a. 2. scribens: *non enim*, inquit, *homo minus amat sui honorem, quam rem possessam.* Tunc autem ex eodem S. D. contumelia, convicium, et improperium peccatum lethale constituunt 1. quum a mente et voluntate prodeunt dehonestandi proximum. 2. Quando licet non expressa intentione et voluntate dehonorandi proximum proferantur, si tamen in se convicia et contumeliae graves sint, aptae ad dedecus grave inferendum, adhuc peccatum mortale constituunt, quia licet non expresse, interpretative tamen et virtualiter a prava dehonestandi voluntate progrediuntur. 3. Immo si ex inadvertentia, ira, inconsideratione ex ore erumpant, si tamen grave inferant dedecus, a peccato gravi non excusantur, ut docet idem S. D. l. l. Intra limites tamen peccati venialis consistunt 1. quando non ex prava intentione dehonorandi, nec ex ira, vel furore profluunt contumeliae et convicia, et alias de se apta non sunt ad grave dedecus inferendum. 2. Si convicia et contumeliosa verba in se levia sint, nec gravem inferant dehonorationem, ut si quis puero dicat, mendax es, vel foeminam vocet curiosam vel loquacem. 3. Si verba praefacta ex inadvertentia ex ore erumpant, vel ex imperfecta deliberatione (non illa sane, quae non ad malitiam peccati animadvertat, alioquin contumeliosi ex habitu et consuetudine excusarentur a peccato) sed ad ipsa non attendat verba et facta contumeliosa, quippe quae repente erumpunt et praeveniunt perfectam mentis et voluntatis cognitionem et deliberationem, et nonnisi levem culpam valent inducere.

IV. *Num aliquando, contumelia omni culpa vacet.*

Quandoque verba contumeliosa et convicia omni culpa carere queunt, quando nimirum a superiore prodeunt ad inferiores redarguendos et a peccatis revocandos, quaeque proinde non ab ira, indignatione, vel prava animi affectione proficiscuntur, sed a charitate et studio servandae disciplinae. Ita S. Th. i. l. a. 2. ad 2. Prudentia tamen magna opus est Parentibus, Praelatis, aliis Superioribus in adhibendis ad correctionem subditorum contumeliis et conviciis, et qualitatem subditorum inspicere debent, quos emendare student, ne dum aliorum saluti consulunt, suae obsint. Hinc regulam ab Apost. Timotheo ep. 1. cap. 5. semper prae oculis habeant: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem, juvenes ut fratres, anus ut matres, juvenculas ut sorores.* Animadvertant vero animarum Curatores, contingere quandoque posse, ut convicium, contumelia, improperium, quod vel in se, vel spectata persona, in quam profertur, leve sit, fiat tamen grave respectu alterius; sic puero dicere, mentiris, levis erit contumelia; at hoc in faciem regerere viri gravis, Praelati, Superioris, lethale peccatum evadet. Et e contra quaedam contumeliae, quae in se graves sunt, fortasse ex conditione personae, quae eas profert, vel in quam proferuntur, leves evadunt, quia animo corrigendi a Superiori erga subditos, a patre adversus filium, ab Episcopo contra Clericum.

V. *Quid sit irrisio, et quale peccatum.*

Irrisio peccatum est oris, quo verbis proximus offenditur, et rubore suffunditur ob timorem dehonorationis. Ita S. Th. q. 75. a. 1. ubi irrisionis naturam, ejusque ab aliis oris peccatis discrimen sa-

pienter more suo exponit scribens: » Sicut aliquis conviciando intendit conviciati honorem deprimere, et detraendo diminuere famam, » et sussurrando tollere amicitiam; ita etiam irridendo aliquis intendit, quod ille, qui irridetur, erubescat. Et quia hic finis est distinctus ab aliis, ideo etiam peccatum derisionis distinguitur a praemissis peccati ». Et in resp. ad 1. materiale tantum agnoscit inter subsannationem et derisionem discrimen, et simul explicat caussam ruboris in illo, qui irridetur, subdens: » Subsannatio et irrisio » conveniunt in fine, sed differunt in modo; quia irrisio fit ore, » idest verbo et cachinnis; subsannatio autem naso rugato . . . . Talis autem differentia non diversificat speciem. Utrumque tamen differt a contumelia, sicut erubescentia a dehonoratione: est enim » erubescentia *timor dehonorationis* ». Deinde n. 2. hujus peccati gravitatem expendens animadvertit, irrisionem proximi non esse nisi de malo vel defectu, quod vel leve est, vel leve existimatur, quum lusus et risus materia esse non possint graviora mala et defectus, qui potius vel misericordiam provocant, vel si proximo exprobentur, convicium et contumeliam constituunt. Hinc irrisio de se nonnisi veniale peccatum constituit. Fieri tamen potest, ut ibidem docet S. D. ut in lethale peccatum crescat ratione personae, cui illuditur, vel quae irridetur, cui si magna debeatur reverentia, procul dubio per irrisionem graviter contemnitur. Ex qua doctrina colligit S. D. irrisiones eo graviora esse peccata, quanto major est reverentia, quae personae debetur. Quamobrem 1. gravissimum scelus erit Deum et sacra irridere. 2. Parentes. 3. Justos et pietatis cultores, qui per hujusmodi irrisores a studio virtutis abstrahuntur.

CAPUT IV.

De susurratione, secreti revelatione, maledictione, seu malorum imprecatione, de murmure et mendacio.

I. *Susurratio quid sit, et quale peccatum.*

Susurratio ex S. Th. q. 74. art. 1. definiri potest *detractio, vel oblocutio mala et secreta de proximo ad malum inducendum.* Dixi *detractio* vel *oblocutio*, quia, ut optime animadvertit S. Th. in resp. ad 1., quum susurro non aliud quaerat, quam unius erga alium animum commovere, quandoque etiam bonum de proximo praedicat, si suspicetur displicitura audienti, ut si quis marito avaro, vel zelotypo uxoris eleemosynas, vel frequentationem Ecclesiae depraedicet, ex quibus mariti animum erga uxorem turbandum praevideat. Susurrationem gravius esse peccatum detractione et contumelia ostendit S. D. art. 2. *Quia amicus est melior, quam honor, et amari, quam honorari, ut in* 8. *Ethic. c.* 8. *Philosophus dicit.* Susurratio autem amicitiam dissolvit. Hinc inferendum, susurrationem esse de se et genere suo lethale peccatum, quum sit gravius detractione et contumelia, quae ex specie sua lethalia crimina constituunt. Solum vero peccatum esse potest veniale, quando susurro non dissolutionem omnimodam amicitiae, vel discordiam inter amicos inducere intendit, sed solum minuere affectionem et amicitiam, quam fortassis sibi incommodam experitur. Quod si non tendat ad dissolutionem amicitiae, detractor erit, non susurro; vel si in id tendat, sed effectum et fi-

nem suum, vel minus quam cupit obtineat, vel omnino non obtineat, adhuc a mortali non excusabitur, quum non ex effectu tantummodo, sed ex fine praecipue et pravo animo sit pensanda peccatorum gravitas et turpitudo.

II. *De secreti revelatione.*

Inter peccata oris locum obtinet etiam secreti revelatio, et quidem non illius arcani, quod ex Sacramentali confessione habetur, hoc enim suo loco reservamus; sed illius secreti, quod naturale est, et sola naturae lege indicitur. Multipliciter aliquid esse valet secretum vel arcanum, nimirum 1. quia publicum non est, ut sunt plura crimina, quae secreto committuntur. 2. Quia aliquid tuae fidei committitur, et hoc dicitur secretum commissum. 3. Quia pollicitus est corde tegere, et arcanum habere quod audisti, et hoc dicitur secretum promissum: quod si alter rem tibi sub secreto patefacit, et tu silentium pollicitus sis, tunc secretum dicitur et commissum et promissum. 4. Quia quod arcanum erat, sed non tibi commissum cum injuria proximi rescivisti, ut quum arcana amicorum per epistolae aperitionem innotescunt. 5. Quum illud forte fortuna sine alterius injuria comperisti. Arcani porro custodia ad eam virtutem pertinet, quae Fides dicitur, non tamen quae virtus est intellectualis et Theologica, qua a Deo revelata credimus, sed quae est virtus moralis in voluntate residens, et alio nomine *fidelitas* dicitur. Porro haec et pertinet ad justitiam, quum versatur in iis, in quibus rigorosum intervenit debitum; et est pars potentialis justitiae, quatenus non rigorosum respicit debitum, sed solum ex quadam honestate morali. Quando itaque secretum, quod promissum est, legale et rigorosum respicit debitum, qui illud violat, contra justitiam peccat; quando vero solum morale debitum et ex honestate inducit, fidelitatem violat.

III. *Variae servandae sunt Regulae, in secreto custodiendo.*

Ad rectam statuendam hac de re doctrinam has ponimus regulas. 1. Qui secretum revelat, ex quo proximo damnum sequitur sive in bonis fortunae, sive in vita, fama et honore, quocumque modo secreti notitiam sit adeptus, peccat lethaliter contra justitiam, et ad damna reparanda tenetur. Veritas hujus propositionis de se manifesta est. 2. Qui alterius secreti notitiam non illicito modo obtinuit, non tenetur illud cum vitae suae dispendio, nec cum suo majori damno, quam est illud, quod ex revelatione sequeretur, custodire, nisi in boni communis detrimentum vergat: nam nemo tenetur magis proximum amare, quam seipsum, et alterius bono cum suo majori detrimento consulere. 3. Qui secretum sibi commissum, et ab ipso promissum revelat, graviter peccat, licet nullum sequatur proximo detrimentum, sed sola injuria vel dedecus. Immo fere omnes Theologi ad injustitiam revocant hoc peccatum, quippe ex oneroso contractu oritur obligatio secreti, quo alter sua arcana sub conditione secreti pandit, alter ad illud servandum se obstringit. Secretum autem non solum tunc commissum et promissum dicitur, quando alter secreti custodiam postulat, alter expresse pollicetur, sed etiam quum tacite quis ex officio suo aliorum secreta novit, uti sunt Medici, Advocati, Chirurgi, Theologi, Obstetrices.

4. Qui secreti custodiam sponte pollicitus est, ad illud servandum non ex justitia tenetur, sed ex fidelitate, quae modo sub gravi obligat, modo sub levi spectatis circumstantiis. Hinc si negotium sit gravioris momenti, profecto arctius ad secreti custodiem, quam si sit levioris, adstringit; quae enim levia in se sunt, materia esse non valent gravis obligationis. 5. Qui secretum injuste rescivit, ejus e. c. literas aperiendo, si grave inde consequatur proximo damnum, tenetur etiam cum periculo vitae secretum custodire: nam ipse se in hanc necessitatem sponte conjecit, quippe qui et praevidere et praecavere hujusmodi periculum et poterat et debebat. 6. Qui secretum, quod sub gravi custodire tenetur vel uni revelat graviter peccat; quia non parvi, ut ajunt Theologi contra sentientes, sed immo maximi refert, ne quis uni vel alteri secretum sibi commissum revelet: nam hoc pacto quodlibet arcanum jam facillime in publicum prodiret. 7. Secreti custodia non obligat 1. quando in detrimentum boni communis, vel innocentis cedit, ut docet S. Th. q. 70. a 1. ad 2. secundo vel postulat utilitas et bonum ipsius, qui secretum commisit, ut si quis mihi secreto fornicationem cum muliere commissam revelet, qui postea velit matrimonium cum fornicariae sorore inire, si secreto admonitus ab ineundo matrimonio abstinere renuat, licita erit revelatio secretis, immo et debita denunciatio tum ad reverentiam Sacramenti, tum ad ipsius peccatum vitandum.

IV. *Non licet, ab alio secreti manifestationem extorquere.*

Non licet ab alio secreti commissi manifestationem vel blanditiis vel promissis, vel subdolis interrogationibus et suggestionibus extorquere: nam si ille, qui secretum sibi commissum revelat, graviter peccat, profecto ejusdem culpae particeps est, qui illum ad secreti manifestationem inducit; quum pertrahat ad peccandum. Tunc vero solum licebit aliena secreta expiscari, quotiescunque id postulet vel bonum commune vel etiam privatum, sed gravioris momenti, puta quando eligendi sunt Praepositi, Pastores, Parochi, vel quando quis postulet ingredi Religionem, vel ineundum est matrimonium; tunc enim his, quorum interest, licitum est inquirere si quae sint etiam occulta impedimenta.

V. *Non licet, alienas epistolas aperire et legere.*

Non licet alienas literas obsignatas aperire et legere, nisi qui eas aperit vel polleat potestate, vel legitima moveatur caussa. Et primo quidem non licere, immo esse ex se lethale peccatum alienas epistolas aperire et legere communiter docent Theologi: nam ipsum, quo obsignatae sunt litterae, sigillum ostendit, secreta esse debere, quae ibi continentur, et quilibet jus habet, ne suum secretum detegatur. Addidi, nisi qui aperit epistolam potestate polleat, cujusmodi sunt omnes Regulerium Superiores, sive id in constitutionibus praecipiatur, sive non, quum Superiores omnes jus habeant ea resciendi, quae ad bonum commune, sive privatum suorum Religiosorum pertinent. Non pussunt tamen legere literas a subditis ad Superiores, vel ab istis ad ipsos missas. Item Parentes valent filiorum et filiarum, quae sub patria potestate adhuc detinentur, secreta cognoscere, et literas aperire. Idem possunt et supremi Principes et belli Duces quotiescunque id ob publicum bonum expedire existimaverint. Subdidi: et nisi

legitima adsit caussa legendi, quae hujusmodi sunt 1. consensus illius, qui vel epistolam mittit, vel recipit, qui consensus licet expressus non sit, sufficit, si sit prudenter praesumptus, puta quia maxima intercedit cum scribente vel recipiente epistolam necesssitudo et amicitia, vel postulat necessitas vel convenientia, vel tales occurrunt circumstantiae, ut prudenter existimetur cui interest, praebiturum consensum. 2. Justa defensio, si nimirum quis prudenter et urgentioribus motus argumentis suspicatur in espistola ea contineri vel renunciari, quae sibi magno damno esse possint. Cavere tamen debet, ne justae defensionis limites transiliat, ea solum legendo, quae ad finem sunt necessaria, et quae lecta sunt et cognita, si ita postulent, secreto custodienda. 3. A gravi culpa etiam excusant plures Theologi, inter quos et Concina, illos, qui alienas aperiunt literas, in quibus nihil contineri, quod sit alicujus momenti, prudenter certo arbitrantur, solius curiositatis vel risus caussa ob rudem vel lepidum scriptionis modum. Cavendum tamen et a veniali peccato, quod certe committitur, et forsitan a graviore, si forte ille, cui interest, hujusmodi curiositas vel risus acriter displiceat.

VI. *Quid sit maledictio, et quale peccatum.*

Maledictionis vocabulo designatur desiderium alterius mali per exteriora verba explicatum, ut quum quis proximo dicit, possis mori, suspendio pereas, collum tibi frangas et similia, quae juxta morum diversitatem variis phrasibus ab iratis hominibus, et praesertim foemellis heu nimium frequenter eructantur. Hoc maledictionis genus esse de se peccatum mortale et docet S. Thomas q. 76. a. 3. et omnes fatentur, quia charitati repugnat, qua velle proximo bonum debemus. Fieri tamen potest, ut aliquando maledictio non sit nisi veniale, ut docet ibidem S. Doct. Hinc merito Theologi tria necessaria censent ut maledicens letbaliter peccet, nimirum 1. ut grave malum sit, quod proximo adprecatur. 2. Ut sit ex animo et intentione ut eveniat. 3. Ex deliberatione procedat. Hinc ex primo capite a gravi culpa excusantur, qui nonnisi leve malum proximo imprecantur. Ex 2. qui orctenus, et quasi ludendo maledictum aliquem appellant, vel malum optant. Ex 3. qui ex subito irae impetu rationem praeveniente et lapsu linguae in maledicta erumpunt. Duo tamen sunt hic accurate a sacris Ministris adnotanda. 1. Ne putent prolatas sine intentione maledictiones, quia statim eum, qui evomuit, poeniteat, nam hoc proprium est malarum affectionum et passionum, quae quo sunt violentiores, eo citius defervescant, et poenitentiam pariant: nam imprecationes illae vel voluntariae sunt saltem indirecte in sua caussa, vel etiam in se ipsis directe: raro enim vel nunquam adeo effervescit ira, ut omne rationis lumen obumbret, quin videre possint et advertere se in maledicta prorumpere, et Deum ac proximum graviter laedere. 2. A letbali non excusantur peccato, qui ex abitu et consuetudine quotiescunque irascantur maledicta evomunt, nam ipsa consuetudo et habitus voluntarius omnino est, et ex animo totis viribus evellendus, quod quum praestare negligant, voluntarie retinent, ac proinde rei sunt maledictionum et imprecationum, quae ex ipso habitu proficiscuntur.

VII. ***Maledictiones**, etiam non ex animo prolatae, esse possunt lethale peccatum: item graviter peccant, qui sibi ipsis grave malum adprecantur.*

Maledictiones prolatae, etiam sine animo quod malum eveniat, esse queunt lethale peccatum ratione contumeliae, quam secum adjunctam habent, quando maledictio in os praesentis jacitur: gravem enim affert dehonestationem, *et tanto gravius*, ut scribit S. Th. a. 3. *quanto personam, cui maledicimus, amare et revereri debemus.* Sic filii graviter peccant parentibus coram maledicentes, laici Episcopis, et Sacerdotibus, subditi Principibus. Ratione etiam scandali, quia cum audiuntur maledictiones, interior autem animus auditoribus lateat, scandalum auditoribus pariunt, et caussa sunt spritualis ruinae. Quamobrem a gravi culpa non excusantur parentes, qui licet oretenus filii maledicant et non ex animo, tamen perverso exemplo eos et irae indulgere, et proximum maledictionibus insectari docent. Graviter etiam peccant, qui sibi ipsis ex ira et impatientia grave imprecantur malum eo animo ut eveniat: peccant enim contra charitatem, qua seipsos magis, quam proximum diligere tenentur. Verum ut plurimum arbitror, hujusmodi imprecationes non ex animo prodire: nemo enim carnem suam odio habet. Quapropter ipsa ira pensanda est, ex qua hujusmodi maledictiones erumpunt, quae frequenter impotens est et immoderata. Quommodo autem, et qualiter peccent, qui irrationabilibus creaturis maledicunt, explicat S. Th. q. 76. art. 2. scribens: *Maledicere autem rebus irrationalibus, inquantum sunt creaturae Dei, est peccatum blasphemiae; maledicere autem eis secundum se consideratis est otiosum et vanum, et per consequens illicitum.*

VIII. *Licet, aliquando alicui malum desiderare.*

Fieri quandoque potest, ut alicui malum optemus, quin tamen ullo maledictionis crimine polluamur, quando nimirum ex intentione in Deum ferimur, ut explicat S. Thom. a. 1. scribens: *Si aliquis imperet vel optet malum alterius sub ratione boni, sic est licitum .... Contingit autem malum aliquod dici imperando vel optando sub ratione duplicis boni. Quandoque quidem sub ratione justi: et sic judex licite maledicit illum, cui praecipit justam poenam inferi ..... Quandoque vero dicitur aliquod malum sub ratione utilis; puta quum aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam aegritudinem, aut, aliquod impedimentum, vel ut ipse melior efficiatur, vel ut saltem ab aliorum nocumento cesset.* Sic licet pueris innocentibus, in quibus tamen quaedam vitiorum semina deteguntur, sub divino tamen beneplacito optare ut moriantur antequam malitia mutet intellectum eorum. Absit tamen, ut quis alteri optet lapsum in peccatum, etiam ea intentione, ut cautior resurgat: nam peccatum adeo est intrinsece malum, ut justi desiderii objectum esse nequeat.

IX. *Quid sit murmur.*

Murmur, sive murmuratio non inepte definitur a Sylvio hic q. 76. a. 4. *Clancularia seu submissa oblocutio injuste querulantis.* Proibetur expresse in scripturis: nam S. Paulus 1. ad Cor. jubet: *Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore.* Et ad Philip. 3. *Omnia facite sine murmurationibus.* Distinguitur a clamore, nam hic fit elata voce, illa vero submissa; ille

ab ira procedit, haec ab inobedientia, impatientia, et praesumptione. Quum autem murmuratio (ut optime animadvertit laud. auctor) » potius consistat in sono vocis, quam in verbis articulatis, manifeste significat aliquid imperfectum; hinc ad illam speciem peccati » est revocanda, quae verbis contra proximum committitur: si enim » ordinetur ad minuendum proximi honorem, reducitur ad contumeliam; si ad erubescentiam in ipso excitandam, ad derisionem; » si ad famam et bonum nomen minuendum, ad detractionem; si » denique ad discordiam excitandam, ad susurrationem ». Plerumque nonnisi peccatum veniale est, ejus tamen gravitas ex fine, intentione, et effectu est dimetienda.

X. *Quid sit mendacium.*

Quum de mendacio, aequivocationibus, restrictionibus mentalibus abunde dixerimus in secundo Decalogi praecepto, pauca duntaxat bic dicenda supersunt. Mendacium itaque hic definitur a S. Th. q. 110. a. 1. ex S. Augustino: *Enunciatio falsa cum voluntate ad fallendum prolata.* In resp. vero ad 2. observat, mendacium non in solis verbis consistere, sed in omni signo exteriore ad interiorem animi sensum indigitandum ordinato; hinc mentiri quis potest nutu, scriptura verbis, imo et factis. Animum tamen falsum dicendi adeo ad mendacium censet necessarium, ut si desit, erratum quidem sit non mendacium, si vero adsit, licet verum sit quod dicitur, mendacii tamen culpa non tollatur. At non ita sentit S. D. de animo et voluntate fallendi, quia haec, sive adsit, sive absit, a mendacio nunquam excusat. Hinc q. 110. a. 1. ait: *Quod autem aliquis intendat falsitatem in opinione alterius constituere, fallendo ipsum, non pertinet ad speciem mendacii, sed ad quamdam perfectionem ipsius.* Omne autem mendacium esse peccatum ostendimus agentes de secundo Decalogi praecepto.

XI. *Mendacium est triplex.*

Mendacium trifariam partitur S. Th. a. 2 scilicet in perniciosum, jocosum, et officiosum. Primum illud est, quo intenditur alterius nocumentum. 2. Quod ordinatur ad bonum delectabile. 3. Ad bonum utile vel sibi, vel alteri. Mendacium omne, quod vel Deo injuriosum est, vel proximo graviter perniciosum, semper lethale peccatum est. Si vero leviter tantum proximo noceat, venialem culpam non excedit. Porro mendacium esse aliquando lethale peccatum, dubitare non sinunt sacrae Scripturae testimonia, quae mendacio mortem animae attribuunt, et mendacibus sempiternam minantur damnationem, ut Sap. 1. *Os, quod mentitur, occidit animam.* Et Ps. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Mendacium officiosum vel jocosum de se non est lethale peccatum, tamen per accidens tale fieri potest, nimirum vel ratione scandali, vel damni consequentis: *Per accidens*, ait S. Th. q. 110. a 4., *potest contrariari charitati ratione scandali, vel cujuscunque damni consequentis: et sic erit etiam peccatum mortale, dum scilicet aliquis non veretur propter scandalum publice mentiri.*

Consectaria.

I. *Quid dicendum de quibusdam verbis, et phrasibus apud nos Longobardos usitatis.*

I. Sunt quaedam putida verba at phrases in Longobardia praesertim usitata, quae licet in sua institutione quid turpe, inhonestum,

graviterque contumeliosum regerant in proximum, nihilominus quum ex consuetudine pravam vetrem amiserint significationem, nec dedecus inurunt, nec ignominiam saltem gravem inferunt, propterea otiosi verbi, et leviter contumeliosi loco habentur. Tria tamen sunt animadvertenda a sacris Poenitentiae ministris. 1. Ea putida verba, quae vilissimum scortum significant, si in faciem honestae mulieris, vel virginis regerantur, gravem contumeliam inferre, immo et detractionem includere; quapropter a lethali peccato non excusari. 2. Praefata verba in ore Ecclesiasticorum, et praecipue Regularium adhuc suam turpitudinem servare, et saeculares scandalo affici, quum ea ex eorum ore resonare audiunt, multoque magis si Ecclesiasticos et Regulares audiant illis turpibus verbis sese mutuo impetere et dehonestare; adeoque gravioris criminis rei fiunt Ecclesiastici, dum ea non minus quam viliores e seculo homines usurpant. 3. Haec eadem verba, si a Laico in os Ecclesiastici vel regularis praesertim probi et venerabilis regerantur, gravis convicii et contumeliae malitiam induunt, nec a peccato lethali excusantur. Pari pacto est et alia contumeliosa phrasis (heu quam nimis frequens in ore praesertim plebis et vilioris popelli), qua uxoris impudicitia et adulterium alteri exprobatur, quae profecto si in os regeratur pueri vel adolescentis, vel hominis connubio non juncti, levem contumeliam infert, quum jam a sua significatione detorqueatur; at si in os proferatur uxorati viri, additis praesertim verbis illis, *scio quod dico*, *serio et ex animo dico*, profecto nedum atrocioris convicii, contumeliae, et improperii malitiam induit, sed et gravissimae detractionis, proinde a peccato gravi numquam aut quam rarissime excusanda est, et severissime increpandi, qui eam usurpant, ac ad damna sarcienda compellendi, nec impertienda absolutio, nisi laesis satisfecerint, et ab ea abstinere imposterum polliceantur.

II. *Quando epistolas, etiam apertas, legere non liceat.*

Alienas Epistolas in proprio cubiculo relictas etiam apertas, vel fortuito amisas, vel in ignem projectas et inde extractas, seu laceratas, et collectis fragmentis unitas legere culpa non vacat: nam omnes hujusmodi epistolae adhuc naturale secum secretum afferunt, quod violare nefas est. Num vero culpa gravis vel levis sit, puto ex circumstantiis, motivo et fine colligendum: si enim qui legit suspicetur in illis aliqua contineri, quae occulta esse debent, et scribens vel recipiens nulli comperta esse vellet, et ipse expiscari velit, absque gravi culpa legere non potest. Si vero sola levitate vel curiositate legeret, nec quid arcani in epistola contineri suspicaretur, fortassis solum levis culpae reus esset; si quid tamen reperiret, quod esset tegendum, ad secretum custodiendum teneretur. Epistolas vero sponte in pubblicum locum, vel ad communem usum relictas legere, nullum erit peccatum, quum manifeste appareat, illos, ad quos pertinent, vel cedere juri suo, vel nihil in illis contineri, quod secretum mereatur.

III. *Unde maledictiones, peccati speciem sortiantur.*

Maledictionis peccatum speciem suam nanciscitur ex mali specie, quod proximo imprecamur. Eruitur haec propositio ex doctrina S. Thom qui hic q. 76. a. 4. ad 2. docet, quod *maledictio uno modo includit*

desiderium mali : unde si ille, qui maledicit, velit malum occisionis alterius, desiderio non differt ab homicida. Sicut igitur mortem optans proximo quantum ad desiderium reus est homicidii, pari pacto qui bonorum expoliationem alteri imprecatur, ad speciem furti pertinebit ejus peccatum; qui vero plura agglomerat mala super caput proximi, in suo crimine plures peccatorum species adunat. Qui vero absolute Dei maledictionem adprecatus eructans, *sis a Deo et Sanctis ejus maledictus*, proculdubio gravissimo scelere polluitur, omnium que malorum maximum proximo adprecatur, cujusmodi est divina maledictio, quae sempiternam includere maledictionem videtur. Sunt et aperiendae circumstantiae personae in quam maledicta jactantur, quum ex hoc vel nova peccati exurgat malitia, vel notabiliter aggravetur. Hinc qui Deo maledicit, blasphemiae reus est, qui parentibus, contra pietatem peccat, qui Principibus vel Superioribus, observantiam violat, qui benefactoribus, contra gratitudinem delinquit. Immo gravior est maledictio in faciem praesentis, quam in absentem pronunciata, quum praeter malum, quod illi concupiscit, etiam proximum inhonoret sua maledictione, rationemque induit convicii et contumeliae. Quod si plures sint, quibus maledixerit, eorum numerum exprimere debet in confessione, vel quia tot sunt numero peccata quot personae; vel si unum tantum reputetur peccatum, malitia tamen sua plures adaequat, pluribusque aequiparatur. Hinc contingere quoque potest, ut maledictiones in irrationales creaturas peccatum mortale sint, quatenus illarum malum redundat in damnum proximi, quem bono suo maledicens privare tentat, ut si quis grandinem super agros vicini optet, si animalium mortem, et similia.

IV. *Ad mendacium pertinent simulatio, adulatio, jactantia; et hypocrisis*

Ad mendacium pertinent simulatio, adulatio, jactantia, et hypocrisis. Verum quum de duobus postremis abunde dixerimus in Tract. de Vitiis Capitalibus, ubi de filiabus superbiae disseruimus, nonnulla hic sunt solum de prioribus subjicienda. Simulatio itaque definitur a S. Thom. q. 111. a. 1. Mendacium quoddam *in exteriorum signis factorum consistens.* Non refert autem, utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocunque alio modo : nam *ad virtutem veritatis* (scribit l. l.) *pertinet, ut quis talem se exibeat exterius per signa exteriora qualis est. Signa autem exteriora non solum sunt verba, sed etiam facta. Sicut ergo veritati opponitur, quod aliquis per verba exteriora aliud significet, quam quod habet apud se, quod ad mendacium pertinet; ita etiam opponitur veritati, ut aliquis per aliqua signa factorum vel rerum aliquid significet contrarium ejus, quod in eo est, quod proprie simulatio dicitur.* Ex qua doctrina optime postea infert, omnem simulationem esse peccatum. Et quidem quantum ad culpae gravitatem vel levitatem pari passu progrediuntur simulatio et mendacium; adeoque esse valet simulatio peccatum lethale aut veniale, sicut mendacium. Immo sapientissime animadvertit D. Th. aliquando simulationem omni culpa vacare, quotiescunque non ad aliquid falsum adhibetur, sed ad aliquod verum occultandum. Scribit enim laud. art. 1. ad 4. » Sicut aliquis verbo mentitur quando » significat quod non est, non autem quando tacet quod est; quod » aliquando licet; ita etiam simulatio est, quando aliquis per exte- » riora signa factorum, vel rerum significat aliquid, quod non

» est, non autem si aliquis praetermittat significare quod est; unde » aliquis potest peccatum suum occultare absque simulatione ». Quamobrem licita sunt stratagemata et simulationes in bello justo, quibus hostes falluntur, ut docet idem S. D. 2. 2, q. 40. art. 3.

V. *Adulatio quid sit.*

Adulationem constituit S. D. in vitio, quo quis supra debitum virtutis modum alium laudando delectare studet; hinc definiri potest *Injusta proximi laudatio vel ad audientis delectationem, vel ad utilitatem adulantis.* Sed audiatur D. Th., qui totam de adulatione doctrinam sic breviter complectitur q. 115. a. 1. ad 1. » Si aliquis » aliquem velit delectare laudando, ut ex hoc eum consoletur, ne » in tribulationibus deficiat, vel etiam ut in bono proficere studeat, » aliis debitis circumstantiis observatis, pertinebit hoc ad virtutem » amicitiae. Pertinet autem ad adulationem, si quis velit aliquem lau- » dare in quibus non est laudandus; quia forte mala sunt... Simi- » liter etiam velle placere hominibus propter charitatem nutriendam, » ut in ea homo spiritualiter proficere possit, laudabile est. Quod » autem aliquis velit placere hominibus propter inanem gloriam, vel » propter lucrum, vel etiam in malo, hoc esset peccatum ». Quando vero adulatio intra limites sistat levioris peccati, et quando usque ad lethale crimen excrescat, exponit idem S. D. a. 2. scribens: » Pec- » catum mortale est, quod charitati contrariatur. Adulatio autem » quandoque quidem charitati contrariatur; quandoque autem non. » Contrariatur siquidem charitati tripliciter. Uno modo ratione ipsius » materiae, puta quum aliquis laudat alicujus peccatum: hoc enim » contrariatur dilectioni Dei, contra cujus justitiam homo loquitur, » et contra dilectionem proximi, quem in peccato fovet. Unde est » peccatum mortale. Alio modo ratione intentionis, puta quum quis » alicui adulatur ad hoc quod fraudolenter ei noceat vel corporali- » ter, vel spiritualiter: et hoc etiam est peccatum mortale. Tertio » modo per occasionem, sicut quum laus adulatoris fit alteri occa- » sio peccandi, etiam praeter adulatoris intentionem. Et in hoc con- » siderare oportet, utrum sit occasio data, vel accepta, et qualis » ruina subsequatur; sicut potest patere ex his, quae supra de scan- » dalo dicta sunt.... Si autem aliquis ex sola aviditate delectandi » alios, vel etiam ad evitandum aliquod malum, vel consequendum » aliquid in necessitate, alicui adulatus fuerit, non est contra chari » tatem. Unde non est peccatum mortale, sed veniale ». Hujus criminis rei sunt praesertim illi Sacramenti poenitentiae ministri, qui poenitentes, non reprehendunt, qui suorum criminum gravitatem non ostendunt, et qui benigniores sectantur doctrinas, de quibus dicit Propheta: *Vae qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universae aetatis ad capiendas animas.*

CAPUT V.

De restitutione ob laesionem famae et honoris.

I. *Qui proximi famam laesit, ad restitutionem tenetur: Quot modis fama proximi laedatur.*

Qui proximi famam, bonum nomen et honorem vel laesit, vel pessumdedit, ad restitutionem teneri, nullus est, qui ambigat, quum

ipso jure naturae compertum sit, illatum damnun esse resarcendum sicut in bonis temporalibus ita et in honore et fama, et in his multo magis, quum *melius sit nomen bonum, quam divitiae multae;* Triplici vero modo fama proximi, borumque nomem minui, auferri, corrumpique potest, nimirum vel verum dicendo, sed juste, puta in judicio, quum testis interrogatur de Rei crimine. 2. Injuste falsum criminen imponendo. 3. Injuste pariter, sed verum dicendo, quod celare oportebat et tenebatur, qui illud vulgavit. Qui primo modo proximi crimen patefacit, nullo restituendi onere adstringitur, quippe qui nullam proximo injuriam irrogavit; qui vero 2. vel 3. modo ad restitutionem tenentur : *Aliquis potest* (ait S. Th. hic q. 62. a. 2. in resp. ad 2.) *alicui famam tripliciter auferre. Uno modo verum dicendo et juste; puta quum aliquis crimen alicujus prodit ordine debito servato; et tunc non tenetur ad restitutionem famae. Alio modo falsum dicendo et injuste: et tunc tenetur restituere famam, confitendo, se falsum dixisse. Tertio modo verum dicendo, sed injuste; puta quum aliquis prodit criminem alterius contra ordinem debitum; et tunc tenetur ad restitutionem famae, quantum potest, sine mendacio tamen; utpote quod dicat se male dixisse, vel quod injuste eum diffamaverit.*

II. *Qui famam proximi laesit, et temporalia damna resarcire debet.*

Qui proximi famae detrimentum intulit, non solum famam sarcire tenetur, sed etiam damna omnia et detrimenta, quae ex injusta famae ablatione sponte consecuta sunt: fiunt enim injusta eorum caussa. Hinc qui calumniis, vel detractionibus impedivit, ne puella honestum consequeretur matrimonium, vel ne proximus officium, vel munus aliquod lucrosum consequeretur, tenetur nedum calumniam retractare et abolere, sed ad prudentis arbitrium illatum damnum sarcire. Immo ad id tenetur non solum qui per calumniam et falsum crimen alteri nocuit, sed etiam qui per detractionem, verum crimen sed injuste manifestando, quotiescunque detractio in caussa fuerit nocumenti. Ratio est manifesta : nam occulti criminis injusta revelatio in caussa est detrimenti, quod proximo obvenit, et qui revelat, injuriam proximo irrogat. Et licet gravior sit detractione calumnia in se spectata, respectu tamen nocumenti, quod infamato obvenit, pari passu progrediuntur, et aeque nocet falsum crimen ac verum sed injuste revelatum. Addidi tamen, si detractio in caussa fuerit nocumenti: si enim hoc non ex ipsa detractione ortum habuit, sed ex alia caussa, vel qui detraxit damnum praevidere non poterat, a restitutione excusatur, juxta regulam a S. Th. traditam 1. 2. q. 20. a 5. quam dedimus in Tract. de voluntario indirecto.

III. *In restituenda fama, aliter se gerere debet calumniator a diffamatore.*

Qui falso crimine imposito, vel occulto injuste detecto alterum infamiae labe aspersit, tenetur retractatione laesam famam sarcire, sed diverso modo. Nam calumniator, inquit S. Th., tenetur famam restituere confitendo se falsum dixisse. Nec ab hoc onere liberatur, vel quia hac confessione se calumniatorem profitetur, atque ita famae suae jacturam subit, vel quia ipse excellentior sit infamato, ejusque fama pretiosior : nam alterum infamando jus amisit ad propriam famam, et sponte se in periculum ammittendae famae conjecit, et in-

nocens reo est praeferendus. Qui vero non calumnia sed detractione alienam famam maculavit, tenetur, ait S. D., *ad restitutionem famae quantum potest, sine mendacio tamen, utpote quod dicat, se male dixisse, vel quod injuste infamaverit.* In qua S. Th. doctrina sunt 1. expendenda illa verba *quantum potest*, scilicet omni meliori modo, itaut nullum omittat medium opportunum et congruum ad proximi famam sarciendam. 2. Ut omne tamen mendacium vitet, quamobrem affirmare quidem potest se injuste esse de proximo oblocutum, non autem falso, vel mendaciter esse locutum: nam hoc esset apertum mendacium. Quod si forte ob auditorum vafritiem credatur inutilis futura tali pacto concepta retractatio, immo obfutura, quia in veritate manifestati criminis confirmabuntur auditores, tum differri poterit retractatio, et oblata opportunitate diffamatum laudare, illius virtutes, prerogativas, bona opera dextre extollere, et se de illo optime sentire, illum plurimi facere detractor ostendat, ut hoc modo in priorem bonae famae gradum studeat restituere.

IV. *Num, et coram mediatis auditoribus retractare se debeat.*

Qui proximi famam sive calumnia sive detratione pessumdedit, se retractare tenetur non solum apud illos, qui ab ipso audierunt, sed et apud caeteros, qui ab ipsis primis auditoribus crimen proximi cognoverunt, si priores hoc justitiae officium subire detrectent. Nam calumniator et detractor est principalis caussa injustitiae in proximum; et quum de restitutione agitur, semper principalis caussa ad omnimodam restitutionem tenetur, quotiescunque compartes eam praestare negligant vel recusent. Praeterea juxta S. Th. qui alienae famae detraxit, *quantum potest*, idest omni meliori modo tenetur laesam famam sarcire: porro non quantum potest, nec omni meliori modo id praestat, qui proximi infamiam sui caussa inductam omnino non abstergit. At, ajunt, hoc est impossibile. Tunc fatemur non teneri, quum ad impossibile nemo teneatur; debet tamen quod potest, et quantum potest quod in se est praestare.

V. *Nemo tenetur alienam famam, cum majori dispendio sarcire.*

Nemo tenetur laesam etiam injuste proximi famam cum dispendio superioris boni sarcire. Bona superioris ordinis respectu famae sunt. 1. bona spiritualia, 2. temporalia potiora, ut sunt vita, libertas, corporis integritas. Fama vero et honor sunt aequalia tam in infamante, quam in infamato. Pecunia vero inter bona inferioris ordinis computatur. Quamobrem 1. certum est, neminem teneri jacturam facere bonorum spiritualium ob sarciendum bonum temporale proximi, quum illa sint superioris ordinis, nec cum istis comparanda. Nec teneri cum jactura bonorum temporalium, etiam naturalium, sed ordinis superioris, quare nemo tenetur cum periculo vitae vel servitutis, vel longioris carceris, vel mutilationis famam restituere, quippe quia etiam haec bona praestantiora sunt fama, nisi forte diffamatus foret ob injustam infamiam in aequali periculo constitutus: tunc enim calumniator vel detractor teneretur etiam cum vitae periculo sive libertatis infamiam reparare, quum innocentia sit culpae praeferenda, et qui alteri periculum creavit injuste, illum cum aequali periculo liberare tenetur. Quum vero pecunia sit inferioris ordinis respectu famae, si forte hujus jactura necessaria sit ad proximi infamiam reparandam,

tenetur etiam cum aliquo dispendio, e. g. puellam injuste diffamasti, quae honestum matrimonium inire non potest, nisi aucta dote, hoc incrementum praestare debes, si non sufficiat calumniae revocatio: hoc est enim non tam famam pecunia compensare, quam illatum damnum resarcire. Quod etiam dicendum est quotiescunque necessaria sit pecunia, ut proximus amissam famam recuperet, et in pristinum boni nominis statum reducatur.

VI. *Quinam a famae restitutione excusentur.*

Excusantur, seu ab onere restitutionis famae liberantur calumniatores et detratores 1. si detractio justitiam non laesit, sed solum charitatem, quum ex illa, non ex ista onus consurgat restitutionis. 2. Si calumnia, vel detractione nullo modo laesa sit calumniati vel diffamati fama, sive quia audientes falsitatis et improbitatis calumniatorem vel detractorem arguerunt, sive quia adeo obfirmatum et compertum est meritum et bonum nomen diffamati, ut nulla fuerit diffamationi praestita fides: nullum enim in hoc casu est damnum illatum. 3. Si in diffamatione sola interveniat venialis culpa, quum ex sola letbali culpa grave consurgat restitutionis onus; nisi forte qui alterum infamavit, fortassis venialiter peccando vel ex subreptione, vel ex alio capite, comperiat, infamiam ab eo inductam grave damnum proximo afferre: tunc enim sub gravi tenetur eam removere, alioquin gravioris damni sua omissione caussa fiet. 4. Si crimen patefactum vel publicum erat et compertum, vel saltem brevi et certo mox publicandum. 5. Denique si qui infamiam passus est, alia via bonum nomen et famam recuperavit, vel sponte injuriam condonet: dummodo tamen infamia in solum dedecus et damnum redundet diffamati: quod si praeterea diffamatio in aliorum vergeret detrimentum, condonatione infamati ab onere restitutionis non liberatur infamans, ut optime docet S. Th. hic q. 73. a. 4. ad 1.

VII. *Quomodo, qui famam restituere nequit, debeat satisfacere.*

Qui alienam famam injuste laesam vel diminutam retractatione sarcire non valet, quia vel locus non est retractationi, vel si locus esset, effectum suum minime consequeretur, reus diffamationis adhuc teneretur diffamato satisfacere vel petendo per se vel per interpositos amicos veniam pro illata injuria, et restitutionis condonationem, vel aliquo temporali beneficio, puta pecuniae largitione. Primum nullus puto inficiabitur: quum enim juxta S. Thom. Doctrinam qui alterum infamavit, illi, *quantum potest*, satisfacere teneatur, inter satisfactionis modos et veniae petitio, et condonationis impetratio locum habet, proinde nullo pacto omittenda, praesertim si spes sit obtinendi. Quoad alteram vero partem res mihi omnino certa videtur; et traditur a D. Thom. hic q. 62. a. 2. ad 2. *Si non possit famam restituere, debet ei aliter recompensare, sicut in aliis dictum est.* Et revera nonne hujusmodi damna compensari et reparari queunt non solum ad aequalitatem, sed etiam aliquando abundantius, ut si pauperem puellam infamasti, collata copiosa dote nobili viro matrimonio jungas? Cur igitur ad id praestandum ex justitia non teneberis?

VIII. *Honor proximi laesus est sarciendus.*

Honor laesus contumeliis, conviciis et irrisionibus, aliisque modis proximum dehonestantibus est sarciendus. Hoc ipsum lumen na-

turae dictat: qui enim proximum injuste offendit, illique tristitiae caussam dedit, debet et offensam reparare, et meliori quod potest modo fratris animum mulcere, sibique reconciliare; et hoc est, quod praecipit Dominus in Evangelio, dum jubet: *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid adversus te, relinque ibi munus tuum, et vade prius reconciliari fratri tuo.* Hoc compensationis officium nonnulli Theologi restitutionis nomine designant, alii nonnisi satisfactionem appellant, quaestio est solum de nomine: qui enim restitutionem dicunt, vocem hanc late sumunt pro reparatione cujuscunque offensae; qui vero restitutionem appellare detrectant, nomen restitutionis arctius sumunt, nimirum pro sola reparatione damnorum, quae extrinsece proximum afficiunt. Verum honoris reparatio sive restitutio sit, sive satisfactio, hoc modo est exhibenda. Si honor laesus fuerit sola omissione cultus et reverentiae debitae, satis erit, si reus omissa reverentiae officia reddat, et imposterum exhibeat: tunc enim non justitiam violavit, sed solam observantiam. Quod si haec omissio cum contumelia fuerit conjuncta, quia cultum et reverentiam debitam omisit coram aliis, et in circumstantiis, in quibus reverenter se habere debebat, non satis erit omissa officia repetere, sed aliqua addenda satisfactio. Si vero honor laesus fuerit positive verbis vel factis contumeliosis sed ex ignorantia personae, satis erit, si qui laesit et suam fateatur ignorantiam, et debitam exhibeat reverentiam. Si vero nota fuerit persona, juxta ejus dignitatem est illi exhibenda satisfactio. Ita generaliter docet S. Thom. hic q. 62. a. 2. ad 3. scribens: » Actio contumeliam inferentis non potest fieri, ut non fue» rit; potest tamen fieri, ut ejus effectus, scilicet diminutio digni» tatis personae in opinione hominum reparetur per exhibitionem re» verentiae «. Porro haec reverentiae exhibitio debet esse proportionata tum qualitati personae offensae, et offendentis, et contumeliae seu dehonestationi irrogatae. Est itaque praestanda per veniae petitionem et humiliorem, quo vilior est persona offendens, nobilior offensa, et quo gravior est contumelia illata. Illud certe curare debet contumeliosus, ut laesam personam omnino placet, dolorem omnem et molestiam ab ejus animo evellat, sibi ejus benevolentiam conciliet, atque ita fraterna charitas reparetur. A tanta tamen demissione, et etiam veniae petitione S. Augustinus Superiores liberat, qui forte duris et contumeliosis verbis inferiores et subditos contristaverint: sic enim scribit Epist. 211. al. 109. » Quando necessitas disciplinae in » moribus coercendis dicere vos dura verba compellit, si etiam in » ipsis modum vos excessisse sentitis, non a vobis exigitur, ut ab » eis veniam postuletis, ne apud eas, quas oportet esse subjectas (sanctimoniales alloquitur) » dum nimium servatur humilitas, regendi » frangatur auctoritas «. Quamobrem satis erit, si Superior inferiorem laesum placare studeat peculiaribus benevolentiae signis illum blande alloquendo, honestis ejus petitionibus hilariter et prompte anniendo, argumenta honoris et juste existimationis coram aliis exhibendo. Ita quidem communiter. At si Superior in contumeliis excesserit et graviter se subditi animum exulcerasse cognoverit, nihil de sua dignitate deperdet, nec ejus minuetur auctoritas, si ad animum liniendum, charitatemque redintegrandam privatim etiam subdito ve-

niam petat, et humiliter fateatur, se modum in corrigendo excessisse, praesertim si subditus offensus sit vir pius et probus, et alicujus etiam auctoritatis. Verum haec prudentis arbitrio statuenda vel adprobanda relinquimus; sicut quando expediat et aequum sit, ut qui offendit, per ipsum veniam petat, et quando satis sit, si per alium hoc praestet officium, quum quandoque mediatorem adhibere et in honorem laesi cedat, et ipsi gratius sit; quandoque vero id non sufficiat, et ad satisfactionem necessarium sit, ut ipse offensor offenso se sistat, veniamque petat, et sua demissione proximo laeso satisfaciat; quod certo necessarium puto filiis familias respectu Patris, Clericis respectu Episcopi, et Religiosis respectu suorum Praelatorum, praecipue si hi Superiores ita postulent, et velint.

Consectaria.

I. *Qui bona fide, alterius famam laesit, ad quid teneatur.*

Qui alterius famam laesit praeter voluntatem ex. gr. vulgando crimen occultum, quod bona fide putabat manifestum, vel ex lapsu linguae, vel ex errore, quia existimabat nullius esse vel exigui momenti manifestationem, tenetur statim ac cognoscit se graviter proximi famam laesisse, ad eam omni meliori, quo potest, modo reparandam, et quidem non solum ex charitatis, quod Theologi fere omnes affirmant, sed ex justitiae debito. Nam inter titulos et caussas restitutionis ex justitia faciendae S. Th. hic q. 62. a. 4. enumerat damnificationem. Porro qui alienam famam licet inculpate corrupit, verum damnum intulit proximo, qui ejus caussa minus habet de fama et bono nomine quod debet habere; quamobrem licet auferendo non peccaverit contra justitiam, peccat tamen, ut ita dicam, retinendo, idest non inducendo sua satisfactione aequalitatem. Porro hanc aequalitatem inducere non ad charitatem pertinet, sed ad justitiam, cujus munus et officium est damna inducta reparare. Tenetur igitur ad satisfactionem non ex charitate solum, sed et ex vera et rigorosa justitia. Tum ergo iniquus, tum innocens calumniator laesam proximi famam tenetur sarcire; at iniquus calumniator tenetur etiam cum gravi suo detrimento, et quandoque, ut superius diximus, etiam cum vitae periculo calumniam revocare et famam restituere: qui vero sine culpa famam laesit, tanto oneri non subjicitur, sed satis est, si quum commode potest et sine suo gravi detrimento laesam famam resarciat; dummodo tamen ex tali dilatione aliud non consequatur proximo detrimentum. Pari pacto censendum de illo, qui de uno loquens advertit, auditores de alio intelligere: nam ex justitia tenetur errorem ab auditorum mente auferre, alioquin si illud permittat, respectu innocentis nedum diffamator, sed et calumniator censendus erit.

II. *Ad quid teneantur haeredes diffamatoris.*

Non tenentur heredes calumniatoris vel diffamatoris fato jam functi laesam ab ipso famam proximi sarcire, quum alienae famae reparatio debitum sit personale; non reale. At adstringuntur calumniae et infamiae, si qua supersunt, monumenta destruere: nam retinere alienae infamiae monumenta, etiam ab alio producta et exarata, est alieno sceleri communicare; adeoque si quae repererint Auctoris sui satyras, chirographa, epistolas alienae famae detractorias, eas comburere, et

lacerare tenentur. Si qua vero ex diffamatione consecuta sunt realia damna, haec erunt ab ipsis haeredibus sarcienda, quum haec sint onera realia, quae ipsam haereditatem committantur; proinde qui commodum sentit et incommodum restitutionis sentire debet; nam beneficium haereditatis hoc onere gravatum consequuntur.

III. *Quando duo se invicem diffamarunt, quomodo se gerere debeant.*

Quando duo se invicem diffamarunt, uterque tenetur alterius famam laesam restituere, licet alter recuset; nec licita est ullo modo compensatio, per quem uterque diffamator ab onere restitutionis liberetur. Et 1. quidem conveniunt omnes id verum esse in inaequalitate diffamationis: qui enim majus intulit diffamando nocumentum tenetur ad restitutionem. 2. Quando unus diffamator paratus est palinodiam canere et laesamfamam sarcire: tunc pari onere tenetur et alter. 3. Nec licere propriam famam laesam sarcire diffamatorem infamando, falsum illi crimen imponendo, vel occultum injuste detegendo. At quando uterque diffamatur et aequale intulit, et aequale passus est nocumentum, dum unus satisfactionem dedit, num adhuc alter teneatur famam laesam retractatione reparare, disputant Theologi. Nonnulli tamen, inter quos Natalis Alex. et Franzoja, putant non teneri. Oppositum sentiunt plures alii nobiliores Theologi; et hi iis argumentis utuntur, quae et mihi efficaciora videntur, et proinde eorum sententiae adhaereo ut probabiliori. 1. Praecepto charitatis lege Evangelica confirmato *malum pro malo reddere, et maledictum pro maledicto* vetamur, et ex opposito jubemur, ut malum bono vincamus, et pro malis bona retribuamus. Porro qui in facta diffamatione persistit, quia alter pariter aequae persistit, malum pro malo rependit, et maledictum pro maledicto. 2. Qui laesam famam non resarcit quum possit, vult ipsam infamiam perseverare: ergo vult quod de se est intrinsece malum: tenetur igitur famam sarcire. 3. Velle quod proximo maxime nocet, nullo autem modo tibi prodest, est velle malum proximi, quatenus ejus malum est, quod profecto nedum charitati, sed et justitiae adversatur. Hoc est, quod contingit in casu nostro: qui enim infamiam, quam intulit non aufert, vult malum proximi, illius scilicet infamiam perseverare; at hujus infamiae perseveratio nihil suae famae prodest, quae per hoc non restituitur, nec sarcitur: vult igitur malum proximi ut malum ipsius, non ut sibi aliquo modo bonum. Dum ille fur habetur, quia tu ut talem traduxisti, non per hoc cessat, quin tu fraudolentus aleator habearis, ut pariter ab illo diffamatus es. Quid igitur quaeris, dum retractationem detrectas? Non aliud mihi videre videor, quam pertinacia pertinaciam vincere, vel vindictam de vindicta sumere. 4. Magnum discrimen est animadvertendum inter compensationes civiles pro pactis et contractibus, et inter compensationes criminales pro delictis. In illis compensatio omnimodam aequalitatem inducit in utraque parte, et quod bonum est uni, est et alteri pariter bonum, ut patet innumeris exemplis: tu mihi debes centum ex mutuo, ego totidem tibi debeo ex emptione tuae rei; dum tu mihi mutuum non reddis, nec ego tibi pretium mercis, justa est compensatio: aeque enim mihi ac tibi bonum est pecuniam, quam erogare deberemus, retinere. At non ita in pari denigratione famae: dum enim tu famam meam, quam laesisti, reparare recusas, nullum tibi provenit bonum, nulla utilitas: nam in-

famia, qua alter te aspersit, perseverat, sicut et perseverat illa, qua alium aspersisti: illicitum igitur et iniquum est hoc compensationis genus, per quod utrique malum provenit, nulli bonum.

VI. *Qui publicis libellis, alterius famam laesit, ad quid teneatur.*

Qui publicis libellis, scriptis, satyris famam alterius vel etiam solum honorem laesit, tenetur publica retractatione pari pacto vulgata et pessumdatam famam et laesum honorem sarcire publice. Non enim alio modo vel famae, vel honoris injuste laesi aequa reparatio haberi potest. Hinc primo tenentur eorum Auctores infames libellos et satyras quantum possunt eliminare et de medio tollere. Dein, ut docet Natalis Alexander de peccatis cap. 9. art. 5. Reg. 30. » aliis libellis seu carminibus retractare quae-
» cumque falsa, contumeliosa, injuriose in proximum scripserunt.
» Illos celebrere et ornare laudibus, quorum famam prosciderunt
» libellis; aut carminibus maledicis seu satyris. Libellos encomiasti-
» cos seu carmina in laudem hujusmodi personarum edita iisdem in
» locis affigere, exponere, disseminare, distribuere pari numero, quo
» famosi libelli aut carmina maledicta distributa sunt, manuscripta,
» si libelli famosi, versusque maledici manuscripti fuerint, ac typis
» excusa, si typis edita. Id nisi sufficiat ad abolendam infamiam,
» quam proximo asperserunt, dare operam debent, quantum in ipsis
» est, ut Curati et Concionatores hujusmodi librorum improbitatem
» aut falsitatem populo denuncient, nullam fidem ipsis adhibendam
» christianae Plebi significent. . . . . Tandem ab iis, quos laeserunt,
» injuriae condonationem humiliter petere debent, si periculum absit,
» et Sacerdotes, virosque pios intercessores adhibere, ut illam obti-
» neant ». Si haec vera sunt, ut sunt verissima, vae Auctoribus infamium libellorum!

V. *Num liceat diffamato injuste, se occulte compensare.*

Non licet injuste diffamato se occulte compensare in bonis fortunae diffamatoris, licet iste inique et pervicaciter laesam famam sarcire detrectet. Recentiores Theologi, qui doctrinam de occulta compensatione mirifice propugnarunt, censent locum obtinere posse et in laesione famae. Verum eam jure adprobari minime posse puto, eamque adversari legali sive commutativae justitiae ea probant argumenta omnia, quibus superius occultam compensationem in bonis fortunae illicitam ostendimus. Deinde semel concessa occulta compensatione famae per bona temporalia latissimum aperitur ostium furtis: frequentes enim sunt diffamationes, et rarae admodum retractationes. Denique quis non detestetur Theologorum hanc doctrinam propugnantium inconstantiam, ut mitius dicam et levitatem? Nam dum ex una parte propugnant, non teneri, qui alienam famam injustae laesam restituere non potest, ad compensationem in pecunia, quum fama et pecunia, bona sint plane diversi, disperisque generis: quare nullum agnoscunt vel in laedente debitum, vel in laeso jus ad hujusmodi compensationem, et tamen ex altera parte facultatem concedunt laeso se occulte compensandi; hinc debitum illud in uno, et jus in altero, quae prius infracte inficiabantur, coguntur agnoscere, et sic ex uno eodem ore et frigidum balant et calidum. At, inquiunt, hoc concedit Probabilismi doctrina, quae utramque partem probabilem admittit. Fateor, et agnosco, quod arbor mala non potest bonos fructus facere: eradicenda igitur arbor haec mala, et in ignem projicienda.

ETHICAE CHRISTIANAE

SIVE

THEOLOGIAE MORALIS

TRACTATUS SEXTUS

DE PRAECEPTIS ECCLESIAE.

Expositis, quae ad divina tum naturalia tum positiva spectant praecepta, ad ea progredimur, quae ab Ecclesia lata sunt mandata. Porro non de omnibus Ecclesiae praeceptis hic agendum sumimus, sed de illis duntaxat, quae ad omnes pertinent fideles. Hi sex enumerantur, nimirum 1. Missae auditio diebus festis. 2. Abstinentia a carnibus in omnibus sextis feriis et sabbatis, necnon jejunium in Quadragesima, aliisque diebus designatis. 3. Annua sacramentalis Confessio. 4. Communio, sive pia sumptio Eucharistiae in Paschate. 5. Decimarum solutio. 6. Nuptiarum solemnitas certis temporibus interdicta. De his omnibus, postremo excepto, de quo agemus, ubi de Sacramento Matrimonii tractandum erit, disputabimus, et totum tractatum in plures partiemur Dissertationes singulis praeceptis explicandis ordinatas.

DISSERTATIO I.

De Primo Ecclesiae praecepto, nempe auditione Missae diebus festis.

CAPUT I.

De subjecto praecepti audiendi Missam, scilicet quinam hoc praecepto obstringantur.

I. ***Praecepto audiendi Missam, obstringuntur omnes fideles, ubi ad annos discretionis perveniunt.***

Praecepto Missam audiendi die festo, quod recens non est sed antiquissimum, et ad primordia Ecclesiae revocandum, parere debent omnes fideles tum mares, tum feminae, quum ad annos discretionis pervenerint; immo et ipsi pueri, quum septennium compleverint tenentur sacro interesse, licet fortassis nondum tanti Mysterii sublimitatem agnoscant; quod si et ante septennium in illis plenus rationis usus illuxerit, tenentur adesse. Sacerdotes quoque non celebrantes tenentur Missam audire; adeoque si in die festo alium non habeant Sacerdotem, cujus sacrificio assistant, ipsi celebrare Missam obstringuntur, ut huic praecepto satisfaciant. Haeretici et excommunicati, quando ipsis liberum est solutionem a suo vinculo obtinere, peccant quando Missae non intersunt in die festo, quum haec

omissio sit ipsis voluntaria in sua caussa: qui enim aliquo praecepto obstringitur, tenetur omnia voluntaria removere obstacula, quae ipsum a praecepti impletione impediant, si vero per ipsum non stet, ne absolutionem obtineat, sed haec illi justo disciplinae vigore differtur, tunc et potest, et debet ab auditione Missae abstinere, et se humiliter Ecclesiae subjicere, quae illum fidelium communione privet, et a sacris arcet. Non tenentur vero nec infideles, qui legibus Ecclesiae non subjiciuntur, sicut nec Catechumeni, quum nondum per Baptisma membra et subditi Ecclesiae effecti sint, nec ad eam Missae partem tenentur, cui adesse ipsis permittitur.

II. *Fideles, integram Missam audire tenentur.*

Ad integram Missam audiendam fideles obligat hoc praeceptum, ut in pluribus statuitur Conciliis in Jure Canonico recitatis: et quidem totam et integram ab uno Sacerdote celebrante. Hinc praecepto non satisfacit, qui plures Missae partes uno tempore a plane diversis Sacerdotibus audit, ut evincit damnatio propositionis 53. ab Innoc. XI. asserentis: *Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis celebratas audit.* Nec pariter implet praeceptum, qui duas Missae partes, inverso praesertim ordine, audit, ut si quis Ecclesiam ingrediens Sacerdotem invenit consecrantem, cujus Missae assistit usque in finem, deinde ab alio Sacerdote succedente Missam audit a principio usque ad Consecrationem; quia licet haec doctrina non contineatur in damnata propositione, ea tamen ex damnata propositione consequitur, ut advertit benignissimus Tamburinus lib. 4. cap. 11. n. 1. Sed quidquid sit de hoc duarum opinionum nexu, certum est, falsam esse hanc doctrinam; quia Missa est actio et sacrificium suis partibus sibi invicem succedentibus et debito ordine dispositis constans, et hujus Missae auditionem praecepit Ecclesia: porro praefatae dimidiae partes unum integrumque Sacrificium minime constituunt; proindeque praeceptum non implet, qui hoc pacto Missam audit.

III. *Peccant fideles, si notabilem Missae partem omittant.*

Non satisfacit praecepto qui notabilem Missae partem audire omittit. Nam revera tunc integram Missam non audit. At quaenam sit haec pars notabilis, non conveniunt Theologi. Illorum tamen mihi arridet sententia, qui hanc notabilem partem non tam ex materiae quantitate quam ex partis dignitate et praestantia metiuntur. Hinc qui a Sacrificio abesset vel tempore consecrationis, vel assumptionis, profecto Missam integram non audiret, licet aliis partibus interesset; quia tametsi praefatae actiones breviori tempore expleantur, quam coeterae, tamen sunt partes sacrificii essentiales, intrinsecae, praecipuae, et quae ipsum sacrificium constituunt. Immo et censeo cum Salmanticensibus, non satisfacere praecepto, qui a peracta consecratione usque ad Pater noster exclusive non assisteret; quia est pars gravis et notabilis in dignitate, orta ex propinquitate ad substantiam Sacrificii.

IV. *Notabiles Missae partes, quaenam sint.*

Quoad reliquas vero partes, non integre Missam audit nec praeceptum implet, qui illi non adest a principio usque ad Evangelium inclusive; quia pars illa Missae, quae Catechumenorum dicitur, est

pars notabilis. Pari pacto qui a Missa discedit, peracta Communione Sacerdotis usque ad finem Missae, quum et illa pars sit Missae notabilis, adeo ut Episcopi ac Synodi Gallicanae Ecclesiae, ut refert Juveninus, insurrexerint contra falsam nonnullorum doctrinam affirmantium satisfacere Ecclesiae praecepto qui Missae intersunt solum usque ad consumptionem sacrificii inclusive. Multoque magis rei sunt violati praecepti, qui ambas, scilicet primam Missaa partem usque ad offertorium, et postremam a consumptione usque ad finem audire omittunt, quum hoc sit tertiam partem Missae omittere, quod lethale essa peccatum etiam laxiores Casuistae affirmant.

V. *Quaenam sit pars Missae levis.*

Levem vero absolute materiam puto, omittere auditionem Missae ab initio usque ad Epistolam exclusive, sicut et negligere Evangelium in fine Missae. Qui tamen vel justa da caussa impeditus, vel etiam ex negligentia ac desidia Missae interesse inciperet ea jam incepta et longius progressa, teneretur, si aliam Missam ea die habere non valeret, totam reliquam partem Missae usque ad finem audire, et sic eo modo quo posset Ecclesiae praeceptum implere.

CONSECTARIA.

I. *Aliquo sensu destituti, tenentur Missae adesse.*

Qui aliquo destituuntur sensu: puta visu, vel auditu, licet sacrificantem Sacerdotem et Sacrificii ordinem vel non videant vel non audiant, Missae tamen interesse tenentur, quum adhuc possint pie et devote implere praeceptum et sacro adesse. Quid si caecus quis et surdus et consequenter mutus, tenetur hic Missae interesse? Negant plures; sed quum et hic quoque interiori sensu pietatis moveri possit, et aliquo modo devote assistere, tenetur praecepto Ecclesiae satisfacere et Missae interesse.

II. *Missam, quocumque legitimo modo celebratam, audire sufficit.*

Praeceptum hoc implent qui Missam audiunt sive solemnem et cum cantu, sive privatam, et sine cantu; sive propriam alicujus Sancti, sive votivam, et quocumque idiomate et ritu catholico ab Ecclesia approbato celebratur, quum praeceptum solam Missae auditionem jubeat, non vero ritum et officium Missae. Pari pacto implet praeceptum, qui Missam audit celebratam a quocumque Sacerdote catholico, qui tamen nec excommunicatus denunciatus sit, vel degradatus, vel notorius Clerici percussor; idenque deficiente alio Sacerdote potius est Missae auditio omittenda, quam in divinis cum hujusmodi Sacerdotibus communicare. Si vero excommunicatus sit, sed toleratus, licebit ejus Missae sacrificio interesse, quum vetitum non sit cum excommunicatis toleratis etiam in divinis communicare.

III. *Ex praecepto Ecclesiae, nonnisi ad unius Missae auditionem fideles obstringuntur.*

Fideles ex Praecepto Ecclesiae nonnisi uni Missae interesse tenentur. Id certum est, et ad unum omnes Theologi fatentur; adeoque et in ipso die natalis Domini, licet quilibet Sacerdos tres Missas celebret vel celebrare possit, unam tamen duntaxat audira tenentur fideles. At hac sola Missae auditione diem festum minime sanctificari; late ostendimus in tertio Decalogi praecepto cap. 1. et 2.

CAPUT II.

De modo audiendi Missam.

I. *Praesentia exterior Missae, qualis esse debeat.*

Quum Missae assistentia et auditio actus sit religionis ac pietatis in Deum, oportet ut fiat modo plane pio et religioso tum exterius, tum interius. Quoad exteriorem reverentiam, requiritur praesentia in loco, ubi sacrificium offertur, et licet absolutae necessarium minime sit, ut Sacerdos celebrans vel videatur, vel audiatur; requiritur tamen, ut sit in loco ubi sacrificium offertur, et ita coeteris audientibus associetur, ut cum illis unam moraliter societatem censeatur constituere, et sensu aliquo percipiat quid in Missa agat Sacerdos, saltem ex signis illorum, qui sunt in conspectu Altaris, adeout cum illis surgentibus surgat, se signantibus, se quoque signet, pectus tundat, genuflectat, etc. Hinc praesentes moraliter censentur qui Missam audiunt in Oratoriolis a lateribus Altaris positis, in Choro, in Sacristia, quae tamen vel ostium patens in Ecclesia, vel fenestras habeat apertas et in Ecclesia prospicientes, sicut qui consistunt in exteriori atrio Ecclesiae, vel extra Ecclesiam in platea, si Templum audientium multitudinem nequeat continere; dummodo tamen cum aliis ita associentur, ut unum moraliter constituere existimentur. E contra moraliter praesens non habetur qui in alicujus Cathedralis magno Templo existens, sed in loco et angulo ab Altari dissito et a multitudine sejuncto Missam in aliquo Altari celebratam audire intendit; quia nec est moraliter praesens Sacerdoti celebranti, nec cum ipso moraliter jungitur aliorum fidelium societate, a quibus omnino est sejunctus; quare non tam physica quam moralis praesentia ad praecepti impletionem est spectanda.

II. *In audienda Missa, non sufficit praesentia physica et corporalis, sed requirtur pia et religiosa.*

Haec praesentia non esse debet duntaxat materialis, sed et pia, et religiosa etiam exterius, ut statuit Trident. Syn. sess. 22. Decreto de observandis et vitandis in Missa. Hinc qui Missae interest, nisi infirmitate excusetur, non sedere debet, sed aperto capite et genibus flexis, vel stando, si multitudo genuflexionem impediat, ut exterius etiam ostendat se peccatorem Deo propitiatorium sacrificium cum Sacerdote ad placationem offerre.

III. *Intentio quomodo requiratur.*

Pietas et Religio praesertim in interno animi affectu residere debet, et explicatur per intentionem et attentionem mentis sacro operi. Intentio sita est in voluntate deliberata implendi praeceptum Ecclesiae et exercendi actum Religionis et divini cultus, quae tamen intentio necesse non est ut directa sit et per reflexum actum prodat, sed sufficit virtualis et in ipsa pii et religiosi operis executione: quotiescumque enim quis ad Ecclesiam pergit, Missam expectat, ipsi assistit, pie, devote et reverenter, censetur velle Ecclesiae praeceptum implere; quare haec intentio directe non excluditur, nisi vel contraria vel alia prava intentione, ut si quis vel solius curiositatis gratia,

vel etiam ridendi animo Missae adesset, praeceptum non impleret, quemadmodum et ille, qui coactus ad templum raperetur, ibique Missae tempore detineretur, nisi mutata voluntate vel necessitati se accomodans serio et ex animo Missae assisteret.

IV. *Attentio mentis et cordis necessaria est.*

Intentioni conjungenda est attentio tum externa, tum interna. Prior illa est, quae omnem excludit occupationem siva opus attentionem animi impediens. Hinc qui Missae tempore scriberet, luderet, de negotiis tractaret, confabularetur, profecto nec externe se Mysterio attendere aperte demonstraret: quod et de illis dicendum, qui per Templum deambularent, ingredientes, egredientesque conspicerent, amicos per Ecclesiam quaererent, urbanitatis officia exercerent et similia: haec enim nec cum exteriori attentione conjungi queunt. Attentio vero interna est mentis applicatio ad divina et ad sacrum, quod peragitur mysterium; quod tripliciter fieri potest, nimirum 1. attendendo ad mysterium et sacrificium, quod in Missa offertur, et ad memoriam cruenti Sacrificii in Cruce consummati, et haec attentio optima est, quam inculcare debent Pastores. 2. Attendendo ad exteriores Missae ceremonias, orationes et ritus ad Deum colendum ordinata, quibus assistens sua mentis attentione se conjungat, ut debitum Deo cultum exhibeat. 3. Attendendo solum generaliter ad Deum colendum et laudandum suis precationibus et orationibus fortassis etiam alias debitis: et haec est minima attentio, quae necessaria est ad praeceptum implendum. Hinc qui dormiunt, picturas, imagines contemplantur, vel confabulantur, huic praecepto minime satisfaciunt; multoque minus qui mentem vagare sinunt in vanas, inutiles cogitationes, nec eam ad rem sacram revocant.

CONSECTARIA.

I. *Qui pravo fine Missae intersunt, praeceptum non implent.*

Debitam non adferunt Missae audiendae intentionem, qui ad Ecclesiam accedunt, et Missae intersunt ob finem pravum impudica adspiciendi foeminas, vel qui accedunt ut alios honoris gratia comitentur, vel ut ecclesiasticam functionem praesentia sua honestent. Nam dum Ecclesia Missae auditionem praecipit, actionem jubet piam, devotam, et quae in Dei cultum, et in salutem agentis cedat. At qui praefato animo accedit, quam longissime abest, ut patet, a cultu Deo praestando.

II. *Qui Missam audit, ignorans esse diem festum, num praecepto satisfaciat.*

Qui Missae in die festo, quem tamen ipse profestum putat, devote assistit, quando postea advertit praeceptum audiendae Missae, ad quod ante non attenderat, non tenetur iterum Sacrificio adesse; sicut ille, qui statuit proximo ex devotione audire, aliam subinde auditurus, ut satisfaciat praecepto, si mutet voluntatem, ea auditione praecepto satisfacit. Primum quidem, quia ut docet S. Th. 2. 2. q. 104. a. 3. ad 2. » Licet actus virtutis cadat sub praecepto, potest » tamen aliquis implere actum virtutis non attendens ad rationem » praecepti. ». Qui vero ex devotione Missam se audire profitetur animo aliam audiendi ut praeceptum impleat, vel etiam animo non

audiendi, peccabit quidem hic posterior ex prava animi dispositione, at mente mutata, neuter iterum Missam audire cogendus est, quum uterque et actum praecepto impositum impleverit, et voluntatem implendi, quem antea non habuit, postea sibi assumit, et sic omnia, quae Ecclesia jubet, plene ponit. Praeterea, qui ita agunt vel stulti sunt, vel scrupulosi; stulti utique, dum quod praeceptum est exacte ponunt et implent, et simul non ponendi animum habent et voluntatem; scrupulosi, quia timentes et anxii ne debito modo audiant Missam, ad anxietatem tollendam, pellendumque timorem propositum concipiunt aliam Missam audiendi. At quis non videat, cum hisce imbecillibus mitius esse agendum?

III. *Quaenam piae actiones, haberi possint tempore Missae.*

Attente Missam audiunt, qui sacrificii tempore actus fidei, spei, charitatis, contritionis eliciunt, etiam ordinatos ad Confessionem post Missam habendam; non vero qui conscientiam discutiunt, ut peccata explorent in Confessione pandenda, sicut nec qui peccata vel confitentur vel audiunt; quia licet haec pia opera sint, omnino tamen mentem a sacrificio avocant, nisi vel examen brevissimum foret, vel accessus ad Confessarium pro sola accipienda benedictione et venia suscipiendae Eucharistiae. Pari pacto devote sacrificio assistunt, qui preces et orationes eo tempore attente recitant, licet ad eas teneantur ex alio praecepto. Attendenda tamen in his est Regula 12. in Tract. de Leg. Dissert. II. Cap. 6., qua statuimus, quando uno et eodem actu impleri aut non impleri valeant plura distincta praecepta, colligendum esse ex Legislatoris mente et voluntate. Hinc diximus, unica Missae auditione non posse et praecepto Ecclesiae et praecepto Confessarii de Missa pro peccatorum satisfactione audienda, quam doctrinam puto extendendam ad omnem aliam poenitentiam a Confessario impositam, quae semper est speciatim et distincte peragenda, nisi forte vel aliter Confessarius decreverit, vel prudenter praesumi queat ita voluisse, ut quando injungit poenitenti quotidianam per annum Missae auditionem: tunc enim in die festo non esset cogendus ad duas audiendas. Quod pariter intelligendum est de voto; qui enim audire Missam ex voto tenetur, huic oneri non satisfacit per auditionem Missae ex praecepto Ecclesiae debitam, quum peculiare sibi onus imposuerit; secus vero si per annum quotidianam Missae auditionem voverit. Satisfaceret vero qui in Missa de praecepto orationes ex voto debitas persolveret, nisi aliter vovens sibi statuisset.

IV. *Num canentes et pulsantes instrumenta, Missae praeceptum impleant.*

Plures Theologi docent, musicos, tibicines, organoedos, aliosque instrumentorum pulsatores satisfacere Missae praecepto, si dum canunt, et instrumenta pulsant, simul ad sacrum Altaris officium attendunt; omnes tamen subdunt hanc duplicem et ad cantum et ad rem sacram attentionem difficilem esse, adeoque illis suadent, ut Missam audiant. Ipse puto esse distinctionem adhibendam, nimirum si cantores vel organi pulsatores ex continua praxi et usu modica attentione utantur, puto posse sui muneris exercitium cum debita sacrificio attentione sociare; at si cantus et sonus magnam postulent attentionem, quis non videt, eos certe Missae debitam piam atten-

tionem praestare omnino non posse? His itaque auctor sum, non ut ex consilio, sed ad praeceptum implendum aliam audiant Missam.

CAPUT III.

De loco et tempore audiendi Missam.

I. *Audientes Missam in Oratoriis privatis, num satisfaciant praecepto.*

In privatis Oratoriis Missam audientes Ecclesiae praecepto non satisfaciunt, si in privilegio concessionis non includantur. Quum enim Pontifex diversis verbis in suis Brevibus illa concedentibus declaret, eos, quibus privilegium Oratorii concessum non est, non esse liberos ab obligatione Missam audiendi in Ecclesia, aperte indicat, fideles omnes, nisi speciali donentur privilegio, teneri Missam in Templo audire, ut alioquin praecepto minime satisfaciant.

II. *Quid Templi nomine intelligatur, et quaenam sint publica Oratoria.*

Nomine Templi intelliguntur Ecclesiae et Oratoria, quae publica sunt, et habentur. Hinc de necessitate praecepti Ecclesiastici fideles non tenentur Missam audire in propria Parochia, ut declaravit et definivit S. P. Bened. XIV. in Opere de Synod. Lib. 11. Cap. 14. n. 7. et 8., ac omnino tuta est haec doctrina, fideles posse audiendae Missae Ecclesiasticum praeceptum implere in quacumque publica Ecclesia, Oratorio, sive Capella. Oratorii autem, sive Capellae publicae, nomine intelliguntur 1. illae, quae publice patent, utpote in loco publico erectae auctoritate Episcopi, habentque ostium in via publica; ubi non una tantum, sed plures celebrari queant Missae. 2. Oratoria et Capellae Episcoporum nedum in Palatio urbano, sed etiam in domibus rusticis, ubi aliquando se recipiunt. 3. Oratoria etiam S. R. E. Cardinalium publica habentur, in quibus fideles Missam audientes in die festo satisfaciunt praecepto, ut declaravit S. Congr. Conc. 17. Fed. 1623. et Congr. Episc. 22. Sept. 1640. 4. Publicae etiam sunt et habentur Capellae et Oratoria Regularium sive in Sacristia, sive in Capitulo, sive in alio Monasterii loco firmiter erecta, ut optime ostendit et probat Passerinus Tom. 8 Tr. 7. q. 3. n. 11. et novissima concessione Bened. XIV. publica etiam sunt Oratoria F. F. Praedicatorum » erecta et existentia in » domibus, possessionibus, et membris ad Conventus Ordinis nunc » et pro tempore spectantibus et pertinentibus, quae ab Ordinariis » locorum juxta jus visitari et approbari soleant, debeantque, licet » ab illis nec visitata, nec approbata fuerint, nihilominus sacrosan- » ctum Missae sacrificium tam per Regulares sive ejusdem Ordinis, » quam saeculares Presbyteros tuto celebrari possit, Missamque ibi » audientes in diebus festis praecepto Ecclesiae hac de re edito sa- » tisfacere intelligantur, absque tamen ullo jurium Parochialium » praejudicio »: verba sunt Constit. datae 22. Junii 1755. incipientis, *Exponi nobis;* et habetur integre inserta Actis Cap. Generalis 1756. Romae celebrati.

III. *Quaenam sint privata Oratoria, et quibus in illis liceat praeceptum implere.*

Oratoria privata illa dicuntur, quae privatis in domibus sola secularium dominorum potestate eriguntur, quae sunt omnibus concessa et permissa jure, sed ad orationem tantum, non vero ad Missae celebrationem, nisi ex privilegio a solo S. Pontifice concedendo. Quando vero ab eo licentia conceditur, ut vel Oratorium erigi queat, vel jam erecto Missa celebretur, tunc omnes sunt clausulae, et conditiones servandae, quae in Brevi concessionis praestituuntur, quas expendemus suo loco, quando de Sacramento Eucharistiae agemus. Interim dicimus 1. facultatem concedendi ut Missa in Oratorio celebretur, solum illis convenire, quibus Breve privilegii concessum est, ut declaravit S. P. Bened. XIV. in sua Encyclica data die 2. Junii 1751. §. 15. et 16. Hinc Sacerdos, qui sine illorum praesentia celebrat, graviter peccat, nisi speciali donetur privilegio personali celebrandi in Oratoriis privatis, et qui Missae adsunt praecepto non satisfaciunt. 2. Illos duntaxat praeceptum implere, qui in Brevi designantur.

IV. *Missa audienda est omnibus festis diebus hora competenti.*

Quoad tempus vero, Missa est audienda ex praecepto omnibus diebus festis sive Ecclesiae universalis, sive particularis alicujus Dioecesis vel Civitatis. Non vero in festis sive ex voto, sive ex devotione, sive jussu secularis potestatis institutis; sive in alio quocunque die, qui non sit festum de praecepto. Quoad horam audiendi Missam; quum nulla praefinita habeatur, sat est si Fideles Missam audiant ab hora, qua ex praescripto communi Ecclesiae, vel fortassis ex aliquo speciali privilegio incipit tempus ad Missae celebrationem destinatum usque ad ejus terminum, qui de jure communi est paulo ante auroram, et paulo post meridiem; in quibusdam autem Ecclesiis et locis ex privilegio concessum est celebrare per horam ante auroram et post meridiem. Immo ubi ex privilegio in vigilia Nativitatis Domini Missa celebratur ante mediam noctem, qui sacrificio intersunt, praeceptum Ecclesiasticum implent pro ipso die Natalis Domini; non vero pro Dominica, si in dominicam diem vigilia contigerit, quia Missa, quae celebratur, non ad vigiliam pertinet, sed ad festum Natalis Domini, nam est Missa de Nativitate. Qui Missae auditionem post meridiem differunt, peccare possunt etiam lethaliter, si periculo se exponant non audiendi Missam, licet fortassis ex aliquo fortuito casu contigerit invenisse Sacerdotem eo tempore celebrantem. Qui probe noverit, nisi valde mane surgat, vel Missam non auditurum, quia unica est in loco Missa, vel ab ejus auditione aliis horis impediendum, tenetur surgere, ut Missae intersit, quia illa est unica.

CONSECTARIA.

I. *Num satisfaciat praecepto, qui Missam audit ex fenestra.*

Consentiunt Theologi eos vere esse praesentes Missae, qui illam audiunt ex fenestra suae domus cum Ecclesia ipsa conjuncta et respiciente in ipsam Ecclesiam; quia moraliter praesentes sunt et cum fidelibus conjuncti; cum quibus unum morale corpus efficiunt, et simul facile et vident, et fortassis etiam audiunt, quae praestat et

legit Sacerdos. At si inter Ecclesiam et domum mediat via, etiam angusta, licet videat Altare et Sacerdotem celebrantem, plures sunt, qui putant, non implere praeceptum audiendi Missam; quia, inquiunt, nec physice, nec moraliter sunt Sacrificio praesentes. At dissentit clar. Franzoja, tum pluribus aliis argumentis meo videri non contemnendis, tum praesertim quia cuicumque rei videndae vel audiendae aliquis non solum moraliter sed physice praesens dicitur, quando ipsam rem et oculis intuetur et aure percipit. Porro Missae sacrificium est res oculis videnda, mente contemplanda, auribus percipienda: haec omnia praestat qui per praefatam fenestram Missae interest; et praecepto proinde satisfacit. His tamen non obstantibus fatendum, aliquid esse concedendum communi hominum sensui et judicio; communiter autem a Theologis, immo et ab ipsis rudibus praesens non reputatur moraliter, qui e praefata fenestra Missam audiret: nam, ut ipse fatetur Franzoja, omnes, nisi necessitas aliud exposcat, Missam die festo audituri Ecclesiam, aut loca propria ad hoc destinata ingredi debent quoad fieri potest, ne periculum violandi praeceptum subeant. At fenestra dici non potest locus destinatus ad Missam audiendam: ergo saltem dubium est, num praecepto satisfaciat, proinde tutior pars est eligenda et Templum adeundum ad Missam audiendam; itaut qui bona fide eo modo Missae interfuit, non sit lethalis criminis culpandus, sed monendus, ut imposterum ab eo audiendi modo abstineat.

II. *Qui privilegio gaudent Oratorii, tenentur Missam audire in die festo.*

Qui privilegio gaudent Oratorii domestici vel Altaris portatilis, si forte legitime praepediantur Missae in publicis locis celebratae interesse, tenentur, licet aliter sentiant Probabilistae, curare, ut Missa vel in Oratorio, vel in Altari portatili celebretur ad implendum praeceptum audiendi sacrum in die festo. Nam privilegia Oratorii et Altaris portatilis ad devotionem quidem fovendam conceduntur, sed praesertim ad praecepta tum Divina tum Ecclesiastica promptius et alacriori animo implenda utpote commodiori et suaviori modo. Tenentur igitur qui praefato privilegio donantur eo uti in diebus festis, quia urget praeceptum Missam audiendi eo meliori modo, quo quilibet potest. Potest autem infirmus absque incommodo et facillime Missam in privato Oratorio vel Altari portatili celebratam audire. Tenetur ergo praeceptum implere. Onus autem stipendii Sacerdoti celebranti elargiendi adeo leve est et tenue, ut illo abuti ad Missam non audiendam solius avaritiae effectus sit, proinde non excusat, immo et avaritiae et irreligionis accusat, praesertim quum hujusmodi privilegia nonnisi nobilibus et divitibus concedantur, quibus illius elemosynae largitio facilis omnino est et levis.

CAPUT IV.

De caussis legitime excusantibus a praecepto audiendi Missam in die festo.

I. ***Caussae excusantes a praecepto audiendae Missae: 1. Impotentia physica.***

Tres a Theologis assignantur caussae ab auditione Missae excusantes, impotentia, charitas, officium, quibus et consuetudinem addunt

nonnulli, quae potius corruptela dicenda est, ut videbimus. Impotentia alia physica, est alia moralis. Physica, quae et naturalis dicitur, legitima caussa est omissionis audiendae Missae, quum ad impossibile nemo teneatur. Hinc excusantur infirmi, in carcere detenti, vel domo inclusi sive juste sive injustae, navigantes in mari, qui in terris infidelium degunt, ubi vel Sacerdotes non adsunt, vel celebrandi libertas non conceditur; si tamen carcere inclusis concessum foret Capellam adire, vel e fenestra Missae adesse, tenerentur praecepto, sicut et navigantes, qui privilegio donati Sacerdotem habent in navi celebrantem. Quum vero id, quod sine peccato fieri non potest, impossibile merito dicatur, a Missae auditione excusantur interdicti, vel in loco interdicto morantes, item et excommunicati, dummodo tamen ipsi in caussa non sint vel Interdicti vel Excommunicationis, a quibus, si vellent, absolvi possent: tunc enim sunt in caussa suae voluntariae impotentiae.

II. 2. *Impotentia moralis.*

Impotentia vero moralis consistit in gravi difficultate vincenda, vel magno detrimento et damno subeundis ad Missam audiendam. Hinc legitime dispensati ab hoc praecepto censentur convalescentes, qui sine periculo domo exire non possunt, et quando pestis grassatur, vel hostium incursus prudenter timetur. Mulieres praegnantes partui proximae, et per aliquod tempus post partum, quando ex egressu in publicum grave damnum merito timent. Puellae, quae ex occulta fornicatione praegnantes de sua fama periclitarentur, si ad Ecclesiam accederent, dummodo tamen eadem de caussa nec in publicum prodeant, sed domi maneant. Excusantur Patres-familias, qui timent, ne si domo discedant, graves in familia oriantur rixae, jurgia, dissensiones, et alia mala. S. Antoninus in Summa p. 2. tit. 9. cap. 10. etiam itinerantes ab auditione Missae excusat, quando *ex necessitate iter habentes in aliorum societate, qui nolunt expectare Missam, et sine societate illa non bene possunt iter facere, vel quia ignorant viam, quae difficilis est, et periculosa, vel quia non est tuta a latronibus, vel quia ab illis habent expensas itineris* (quas tamen aliunde obtinere non possint) *et hujusmodi, excusantur hi sine dubio.* Distantia etiam a loco Missae, et itineris difficultas ob pluvias ingruentes, nivesque vel labentes vel lapsas excusare potest. At haec respective non absolute: distantia enim v. gr. trium millia passum, quam sufficiens impedimentum nonnulli Theologi censent, talis quidem esse potest respectu senis, puellarum, vel etiam feminae; at talis profecto non est respectu rustici vel alterius hominis juvenis robusti et bene valentis, qui ad invisendam amasiam, vel ad venationem exercendam longius etiam iter non reformidant.

III. 3. *Charitas: num et quando a praecepto eximat.*

Charitas quoque ab auditione Missae excusat matres, quae domi filias relinquere non possunt, nec secum ad templum ducere, sicut et nutrices ac famulas, quae lactentes et parvulos nec domi relinquere, nec secum deferre possunt. Qui infirmis graviter morbo affectis et in vitae periculo versantibus assistere debent, qui propterea ex assistentis absentia grave malum pertimescerent. Item si incendium extinguendum occurrat, vel vasa domorum a flammis eripienda, sicut

et ad avertendum quodcunque aliud grave malum sive spirituale sive corporale proximi. Non tenetur tamen, ut plures docent Theologi, immo nec debet puella vel venusta mulier ab audiendo sacro abstinere ex charitate, propterea quod vel in via vel in Ecclesia sit impudice a juvene vel a viro aspicienda vel concupiscenda; quia, ut diximus de scandalo, scandalum quidem pusillorum est vitandum, at scandalum pharisaicum est contemnendum; ad quod avertendum possumus quidem ex charitate ab aliquibus operibus liberis et voluntariis abstinere, verum a praeceptis sive divinis sive ecclesiasticis servandis omnino non possumus, nec debemus. In dubio autem de periculo, quod timetur, vel si infirmus deseratur etc. consulendi essent, si fieri potest, Parochus, Superior, Medicus, vel alius, qui posset rectum consilium dare; si vero non est consilii locus, putarem, charitatem esse praeferendam, utpote virtutem nobiliorem, et non sit via tuta, quae amplectenda occurrat.

IV. 4. *Qui ex officio excusentur.*

Ex officio denique ab auditione Missae excusantur. 1. Milites et duces, qui praelii imminenti tempore nec stationem nec curam exercitus deserere debent, ut Missam audiant, ob grave, quod inde imminere posset, detrimentum. 2. Custodes ovium et armentorum pastores, qui oves et armenta in nemoribus vel pratis relinquere non possunt sine gravi damno. 3. Famuli, qui a dominis ita in suo famulatu detinentur, ut tempus audiendae Missae non relinquant. 4. Opifices, qui in ferrariis, vel vitriariis fornacibus, aut alio ministerio detinentur, a quibus recedere non valent sine gravi detrimento tum sui, tum dominorum. Hisce tamen non permittitur omissio Missae in die festo, nisi titulo moralis impotentiae, ad quem tandem eorum opera reducuntur. Hinc milites et duces, si ita se disponere queant, ut alii stationem teneant, alii Missam audiant, et vicissim, ab hoc praecepto liberi non censentur, quod et dicendum de bubulcis et pastoribus ovium et armentorum, ac de praefatis opificibus. Servi vero, qui ita a dominis in ministeriis detinentur, ut tempus adeundi Ecclesiam non relinquant, nisi gravi premantur necessitate, debent ab eorum injusto servitio, quo citius possunt, recedere; immo si alios dominos reperire queunt, etiam cum minori stipendio, istorum servitio se mancipare tenentur, quum majus lucrum non sit legitima omittendae Missae in die festo caussa.

V. *Num ignorantia excuset.*

Hisce caussis excusantibus nonnulli Theologi adjungunt ignorantiam, consuetudinem, pudorem. Et quidem si sermo sit de ignorantia, sive inadvertentia invincibili facti, per quam quis ignorat, vel non advertit diem esse festivum, proculdubio legitime excusatur. At certi legitima non est illa ignorantia, per quam quis bona fide credat se non teneri praecepto audiendi Missae; nam si haec fides bona non sit, idest non ex justo fundamento, profecto coram Deo non excusabit, nisi invincibilis sit, quod raro contingit in sciente et advertente ad urgens praeceptum.

VI. *Num excuset consuetudo.*

Consuetudo in aliquibus locis viget, per quam viduae per aliquod tempus post viri obitum domi se continent, et a Missa audienda

diebus festis abstinent. Si tempus breve sit, et patriae consuetudo firmata, non omnino reprobatur a S. Antonino Part. 2. tit. 9. cap. 10. §. 2. Enm S. Carolus Borromaeus in 1. suo Conc. Mediol. per mensem tolerandam censuit; at in 3. Synodo omnino averruncandam jnssit. Hinc si qua vidua bona fide, qua putavit se posse morem patriae absque culpa servare, et quem si illicitum putasset, profecto contempsisset, excusanda est si non a toto saltem a tanto. Altera haec est: foeminae si a partu bene convaluerint, tamen per aliquod tempus ab Ecclesiae ingressu abstinent. Haec tolerabilior videtur, qunm eam non improbandam dicat Innoc. III. cap. unic. de Purif. statuens: *Si feminae a partu recentes ex veneratione voluerint aliquamdiu ab accessu ad Ecclesiam abstinere, devotionem earum non credimus improbandam.* At si non ex devotione sed ex desidia, vel ne incommodum subeat ab Ecclesia adeunda mulier abstineat, et Missam audire negligat, profecto non excusatur ab hujns praecepti violatione. 3. Nobiles puellae nuptui proximae ita domi se continent, ut foras non prodeant nec ad Missam audiendam. Haec consnetudo omnino est extirpanda, quippe quae merus est abusus: hae namque, quae honestatis titulo ad Ecclesiam non veniunt ne oculis intuentium pateant, minime postea verentur ornatae et fucatae se inspectandas e fenestris exhibere, ludis et theatris interesse.

VII. *Num pudor et verecundia.*

Pudorem etiam nonnulli adstruunt tanqnam legitimam omittendae Missae in die festo caussam; at non usquequaque recte et juste. Nam certe 1. non legitima consuetudo, sed perversus abusus esset ab auditione Missae eximere mulieres, dum consuetis subjacent menstruis, nisi forte tanta ex illis conseqneretur debilitas, ut egredi domo neqnirent: tunc enim excusantur ratione infirmitatis. 2. Nonnulli Theologi etiam sanioris doctrinae viros et mulieres praesertim nobiles ab hoc praecepto eximunt, si vestitu careant suo statui conveniente; quia nimium verecundantur. 3. Verum ad dignoscendum, num decentis ornatus carentia legitima esse possit caussa omittendi Sacri, illud censeo animadvertendum, num ob eamdem vestium carentiam domo numquam exeant, nec ad sua peragenda negotia, nec ad suae indigentiae et paupertati auxilium quaerendum: si enim ab istis abstinent, merito credi potest decenti vestitu carere, et non levem pati ruborem, si cogantur in publicum prodire; at si haec carentia eos non impediat, ut saltem aliquibus horis intempestivis foris prodeant ad temporalia emolumenta sibi procuranda, non excusantur ab auditione Missae saltem in Ecclesiis, vel Oratoris infrequentibus, vel in matutinis horis, ubi et quando minor est adstantium frequentia.

VIII. *Qui Missam audire non potest, ad alia pia opera tenetur.*

Qui Missam in die festo audire non potest legitima praepeditus caussa, alias preces et pia opera Deo offerre tenetur. Ita docuimus in 3. Dec. Praec. cap. 2. et hic confirmamus, illornm Probabilistarum doctrinam profligando, qui docent huic legitime praepedito sufficere, si a servilibus operibus abstineat in cultum Dei. Nam non directe in diebus festis praecipitur interior Dei cultus, qui in primo Decalogi praecepto indicitur, sed exterius officium Religionis, ut declarat Catechismus Conc. Trid. et antea docuerat S. Th. 2. 2. q. 122.

a. 4. scribens: *In tertio Decalogi praecepto praecipitur exterior Dei cultus.* Qui igitur impeditus ab auditione Missae non alio exteriori cultu Deum colit contentus sola intentione Deum colendi per abstinentiam ab operibus servilibus, diem minime sanctificat. Neque dicas, etiam cessationem ab opere servili esse exteriorem; nam haec cessatio sejuncta ab alio opere est merum *otium*, ut illum appellat S. Aug. serm. 251. de tempore, et mera inertia: et haec cessatio non per se praecipitur, sed in ordine ad positivos actus Religionis exercendos, ut aperte docet S. Th. l. l. ad 3. Praeterea, si probabilissima sententia est, illum, qui unica contentus Missa nullum aliud opus pium exercet, diem festum non sanctificare, multo profecto minus sanctificationis diei festi praeceptum implebit, qui licet legitime impeditus nec Missam audit, nec aliud pium opus exercet.

Consectaria.

I. *Spes lucri acquirendi, non est legitima causa omittendi Missam.*

Spes lucri acquirendi esse non potest legitima caussa Sacrum omittendi in die festo. Oppositum docent plures benigniores Theologi. Verum haec opinio falsa est et improbabilis: sola enim necessitas victus comparandi, sicut licitum reddere potest servilium operum exercitium, ita et Missae omissionem. Pietas autem et clementia Ecclesiae benignissimae matris talis non est, ut velit lucrum temporale praeferri bono spirituali et praecepto, sed juxta Christi monitum, primum quaeramus regnum Dei, certi quod coetera bona temporalia adjicientur nobis.

II. *Num liceat ponere opus, impediens Missae auditionem.*

Nemini licet voluntarie impedimentum ponere ne Missam audiat, sive hoc praestet opere illicito, puta ebrietate, vel licito, puta iter arripiendo, vel a loco, ubi urget praeceptum, recedendo; quum hoc fiat in fraudem legis: fraus enim et dolus nemini patrocinantur. Solum igitur vel necessitas, vel maxima convenientia excusare potest, qui opus aliquod licitum aggreditur non ad praecepti obligationem declinandam, sed vel suae necessitati subveniendum, vel utilitati consulendum, licet praevideat fore ut praeceptum non impleat. Hinc qui mare navigaturus navim conscendit biduo vel triduo ante diem festum, quum aeque possit discedere sine ullo incomodo vel vespere diei festi, vel die festum subsequente, non excusatur, quum nulla sit potior ratio praeveniendi, quam differendi discessum: e contra qui justa de caussa etiam pridie ad festum navem conscendit, quia non alium habet navigium, vel diutius expectanda alia occasio navigandi, vel non ita tutum est iter alio navigio, licet praevideat die sequenti Missam non auditurum, merito excusatur, quia justa urget ratio ita agendi. Adprobare itaque non possumus recentioris Probabilioristae doctrinam asserentis, si actio etiam honestae recreationis gratia assumatur aliquot diebus remote a die festo, tunc quum tale praeceptum non obliget nec sit proxime obligaturum, vere homo utitur jure suo. Nam titulus recreationis esse non potest legitima caussa omittendi observantiam praecepti. Nec distantia temporis justus est titulus. Nam quando actio illa de se praecepti impedit impletionem, parum interest, num proxime vel remote impediat: revera enim

semper impedit; caussa autem non est justa, nec talis fieri potest ex majori vel minori distantia urgentis praecepti. Fateor, praeceptum statim non urgere, nec de proximo urgere; at urget generale praeceptum, ne unquam ullo tempore absque justa, legitima et gravi caussa obstacula de industria apponamus, quae divinorum vel ecclesiasticorum praeceptorum observantiam impediant.

DISSERTATIO II.

De Secundo Ecclesiae Praecepto,

Scilicet de Jejunio.

Jejunium de se abstinentiam a cibo et escis suo vocabulo exprimit. Quadrifariam communiter Theologi dividunt jejunium, in spirituale seu mysticum, in naturale, morale, et Ecclesiasticum. Spirituale est abstinentia a peccatis. Naturale in abstinentia consistit ab omni prorsus etiam minima cibi vel potus degustatione; quod tamen non est in praecepto, nisi quando a sanis sumenda est Eucharistia. Morale est actus virtutis temperantiae appetitum dirigentis in usu cibi et potus secundum regulam rectae rationis. Denique ecclesiasticum illud est, quod lege Ecclesiae certis temporibus et modis servandum indicitur. De hoc postremo jejunio a virtute temperantiae elicito, et poenitentia imperato sumus in hac Dissertatione breviter disputaturi.

CAPUT I.

De Jejunii praecepto, institutione, et temporibus.

I. *Jejunium est lege naturae praeceptum.*

Praeceptum jejunii non solum quatenus negativum est, et vetat, quae virtuti temperantiae adversantur, sed quatenus positivum, et jubet abstinentiam ab ea cibi vel potus quantitate, cujus usum medium virtutis non corrumperet, ab ipsa naturali lege progreditur. Ita docet S. Th. 2. 2. q. 147. a. 3. et probat dicens: *Jejunium utile est et ad deletionem et cohibitionem culpae; et ad elevationem mentis in spiritualia; unusquisque autem ex naturali ratione tenetur tantum jejuniis uti, quantum sibi necessarium est ad praedicta; et ideo jejunium in communi cadit sub praecepto legis naturae.* Hinc apposite infert, praeceptum jejunii certis diebus vel modis servandum eatenus ecclesiasticum dici, non quasi propria voluntate et pro libito ab Ecclesia indicatur, sed quia ad ipsam pertinet determinare, quae solum in communi a lege naturali praescribuntur.

II. *Praeceptum jejunii, tria complectitur.*

Jejunii ecclesiastici praecepto tria jejunantibus inducuntur. 1. Ut a carnibus abstineant. 2. Ut unica sint refectione contenti. 3 Ut solum definito tempore reficiantur. Secundam jejunii partem et in antiquis Judaeorum jejuniis custoditam fuisse, ab Apostolis servatam, testantur primorum saeculorum Patres, qui unicam refectionem, et quidem sub vespere sumptam a Christianis jejunantibus testantur. Prima vero, quae abstinentiam a carnibus praecipit, antiquissima est in Ecclesia,

quae nunquam carnium esum in diebus jejunii admisit, ut videre est in antiquioribus Patribus tum graecis, tum latinis; et certum est, hanc abstinentiam et decretam Cap. *Denique* de Consecr. dist. 4. et perpetua consuetudine et usu firmatam. Tertia jejunii pars est hora determinata comestioni. Haec ab Ecclesiae incunabulis vespertina erat, idest post solis occasum, ut testantur Patres, et praesertim S. Basilius hom. I. de jejunio: *Vesperas expecta ad sumendum cibum.* Perduravit haec praxis usque ad Saec. XII. quoad quadragesimale jejunium duntaxat, nam in coeteris per annum jejuniis post nonam fideles cibum sumebant. At rigor iste paullo post S. Bernardi seculum minui coepit: nam sec. XIII. testibus Alexandro Alensi et D. Thom. jam invecta erat consuetudo solvendi jejunium et comedendi ad horam nonam, idest tertiam post meridiem. Verum adhuc amplius mitigatus est iste rigor: nam subsequentibus saeculis consuetudo invaluit ab Ecclesia non inducta, sed tolerata solvendi jejunium et comedendi hora sexta, idest in meridie; quae profecto non obtinuit, nisi vel labente sec. XV. vel ineunte XVI.

III. *Jejunium praecipuum est Quadragesimale, succedit deinde jejunium quatuor Temporum.*

Nunc de tempore dicendum, quo urget jejunandi praeceptum. Et I. quidem est quadragesimale tempus, quod modo a feria quarta Cinerum usque ad festum Paschae decurrit, exceptis diebus Dominicis. Quadragesimale jejunium vetustissimum esse in Ecclesia constat: nam ejus initium designari omnino non potest, quamobrem ab Apostolorum tempora est ejus revocanda institutio. Praeter quadragesimale jejunium sunt etiam solemnia in Ecclesia jejunia quatuor Temporum, quae pariter vetustissima sunt in Ecclesia. Occurrunt autem in quatuor anni temporibus, unde et nomen desumpsere, ut nulla sit anni pars, quae non sit jejunio sanctificata. Sunt haec modo ita disposita; ut primum occurrat, quod est vernum, post primam Dominicam Quadragesimae: secundum, nempe aestivum hebdomada Pentecostes; tertium autumnale, hebdomada post festum exaltationis S. Crucis: quartum, hyemale, post tertiam Dominicam Adventus. Trium dierum spatio absolvitur, nimirum feria IV. VI. et sabbato: et abstinentiam importat a carnibus et alicubi etiam a lacticiniis, unicam comestionem, sicut et horam meridianam pro jejunii solutione.

IV. *Subsequuntur plures Festorum vigiliae.*

Subsequuntur plures vigiliarum dies, ita dicti, quia primi fideles pridie solemnitates aliquas ad Martyrum sepulcra orantes noctes ducebant insomnes, quum die praecedenti jejunassent. Fuerunt hae vigiliae omnino sublatae; et retentum duntaxat praecedentis diei jejunium. Hae autem vigiliae aliae sunt universales in Ecclesia tota, aliae particulares alicujus Provinciae, vel Civitatis. In istis autem abstinentia, unica comestio, et hora determinata comedendi servanda sunt. In diebus, qui Rogationum dicuntur nullum est universale jejunium. Ubi tamen vel praeceptum est, vel consuetudo viget vel abstinendi a carnibus, vel jejunandi sive totis tribus diebus, sive solum feria quarta, observanda est et custodienda suae Ecclesiae disciplina.

COROLLARIA.

I. *Praeceptum jejunii et abstinentiae, obligat sub gravi.*

Praeceptum jejunandi et abstinendi a carnibus certis diebus ex se obligationem reducit; ideoque illud frangens ex gula vel alio illegitimo titulo lethaliter peccat. Posita est haec assertio ad confutandam falsam et erroneam nonnullorum Theologorum doctrinam asserentium, praecepta Ecclesiae, et specialiter de jejunio et abstinentia graviter non obstringere fideles, qui proinde solum tunc lethaliter peccant, quando jejunium et abstinentiam violant per contemptum, quae falsa doctrina damnata fuit ab Alex. VII. 1666. in prop. 23. asserentem: *Frangens jejunium Ecclesiae, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere praecepto.* Veritas hujus assertionis pendet ex iis, quae docuimus Tract. de Leg. Dissert. 2. capp. 5. et 6. Superiores nampe Civiles et Ecclesiasticos potestate a Deo donatos esse ferendi leges obligantes in conscientia.

II. *Praeceptum jejunii, est affirmativum simul, et negativum.*

Praeceptum jejunii et affirmativum est et negativum. Affirmativum quidem, quatenus et unicam sumendam concedit, comestionem, et ciborum delectum praecipit, et horam comestionis statutam; est vero negativum, quatenus unicam permittendo comestionem, repetitas prohibet refectiones, ciborumque indicens delectum, vetat ne carnibus vescantur fideles, et ne horam praeveniant. Num vero qui pluries vel carnes comedit, vel pluries reficitur eadem die, plura multiplicet peccata, inferius dicemus.

III. *In diebus Dominicis, nullum est indictum jejunium.*

In diebus Dominicis nullum est indictum jejunium, immo et vetitum aliquando ab Ecclesia, sicut et nunc, si ex aliqua superstitione fiat, non vero si ex pietate et poenitentiae gratia suscipiatur. Nullum enim impositum fuit ab Ecclesia jejunii praeceptum in die dominico, quum et in Dominicis Quadragesimae quilibet possit pluries refici; immo si alicujus Sancti vigilia incidat in diem dominicam, jejunium praecedenti sabbato celebratur, ut statuitur in jure Canonico. Immo in detestationem haeresis Manichaeorum, qui suis auditoribus ad jejunandum istum tamquam legitimum constituerant diem. Ecclesia interdixit aliquando jejunium in tali die; proindeque et modo ex aliqua superstitione assumptum, profecto impium foret ac detestabile. At nullum esse diem, in quo laudabile non sit jejunium ex pietate, religione, et devotione assumptum, testatur D. Hieronymus ep. 28. scribens: *Utinam omni tempore jejunare possemus, quod in Actibus Apostolorum diebus Pentecostes, et die dominico Apostolum Paulum et cum eo credentes fecisse legimus.*

CAPUT II.

De prima jejunii parte, abstinentia scilicet a carnibus et lacticiniis.

I. *Carnium esus in die jejunii vetitus: immo et olerum cum carnibus, et jus carnium.*

Primam jejunii ecclesiastici partem diximus esse a carnibus abstinentiam, quae semper, quando unica comestio praecipitur, est ser-

vanda, et in solis feriis sextis et sabbatis per annum ab ea sejungitur, quum in istis non jejunium, sed sola praecipitur abstinentia. Nomine vero carnis intelliguntur non solum cibi sumpti ex animalibus quadrupedibus et avibus in terra viventibus, et ex illa nutritionem accipientibus, sed etiam ex avibus illis, quae licet in aquis libentius morentur, et ex illis alimoniam sibi comparent, diutius tamen vivere queunt extra aquam, ut sunt fulices, et simili aves aquaticae, quae inter carnes enumerantur, et illis vesci diebus vel jejunii vel abstinentiae vetitum est. Sicut e contra licet vesci carnibus animalium, quae tametsi in terris vivant, inter pisces tamen communiter numerantur, ut testudines terrestres et marinae, limaces, conchae, ranae, et similes: inter pisces annumeratur etiam Lutra amphibium animal, italice Lontra; non vero enumerandi terrestres echini, seu herinacei. Insuper carnium nomine comprehenduntur et olera cum carnibus cocta, sicut et jus ex ipsis carnibus in aqua decoctis, quum non levem carnis substantiam inbibant; multoque magis interiora animalium, illorumque extremitates, necnon sanguis, sagina, laridum. Si quod vero dubium occurrat, num cibus aliquis sit inter vetitos vel permissos recensendus, consulendi hac de re periti ac religiosi Medici, et Theologi.

II. *Abstinentia ab ovis et lacticiniis, est sub praecepto: non vero abstinentia a vino.*

Sunt etiam in Quadragesima vetita ova et lacticinia, quae in aliis jejuniorum diebus per annum permittuntur, nisi contraria obstet consuetudo ab illis et tunc abstinendi; sicut etiam permittuntur in aliquibus locis etiam quadragesimali tempore sive antiqua consuetudine ab Ecclesia tolerata, sive privata et peculiari dispensatione. Abstinentiam autem hanc ab ovis et lacticiniis praesertim in Quadragesima (nisi accedat vel legitima contraria consuetudo, vel dispensatio) sub mortali esse praeceptam, licet non desint Theologi, qui inficientur, tamen certum est tum ex propos. ab Alex. VII. damnata asserente: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget*; tum ex perpetua consuetudine, qua fideles se obstrictos sub lethali culpa ad praefatam lacticiniorum abstinentiam agnoscunt, et quidem non in solis Quadragesimae jejunii diebus, sed et in ipsis Dominicis festis, in quibus licet sit relaxatum jejunium, non tamen concessus lacticiniorum esus, quidquid in contrarium pauci Casuistae docuerint, quibus non est acquiescendum. Horum doctrinam tamquam falsam improbavit et ipse Diana Ref. 54. n. 2. scribens: *Alibi hanc sententiam* (de licito usu lacticiniorum in Dominicis Quadragesimae) *improbavi, et nunc iterum improbo, et caveant Auctores ne imposterum illam vel absolute teneant, vel tanquam probabilem admittant. Nam sacra Congregatio S. Officii, et Indicis mensibus elapsis mandarunt, hanc sententiam a quodam Libro deleri, et factum fuit. Et recte quidem, nam est contra communem sententiam.* Abstinentiae a carnibus et lacticiniis fuisse olim conjunctam abstinentiam a vino et piscibus animadvertit S. Th. quam tamen abstinentiam Ecclesiae tacita dispensatione sublatam fuisse, statim subdit, *ut jam uti liceat vino.*

III. *Immunes ab hac lege sunt infantes, et perpetuo amentes.*

A praecepto abstinentiae a carnibus et lacticiniis non dispensati, sed immunes potius dicendi sunt tum infantes ante usum rationis, tum perpetuo amentes: priores quidem, quia nondum ob defectum rationis legibus ecclesiasticis subjiciuntur; posteriores vero, quia infantibus comparantur ob usus rationis sive carentiam, sive amissionem. De infantibus consulto dixi, ante usum rationis, non ante septennium: nam licet non ante praefatum tempus communiter censeatur rationis usu praeditos fieri pueros; tamen si praevie ad septennium rationis lumen in ipsis refulgens detegeretur, a carnibus abstinendum esset, quia tunc legibus ecclesiasticis subjicerentur, quae nec aetatem, nec determinatum obligandi tempus statuunt. Immo si dubium foret, num puero lumen rationis affulserit, censerem teneri se subjicere et abstinere; non quidem paritate legis divinae et naturae quae profecto fortius urget, sed 1. quia in dubiis tutior pars est eligenda. 2. Quia praeceptum est certum, et immunitas a lege incerta. 3. Quia Ecclesia tempus non determinavit, sed sólum ex communi opinione censetur esse septennium, quia tunc solum in pluribus lumen rationis exurgere solet.

IV. *Non vero semper sunt immunes, qui solo pane vivere deberent.*

Num autem qui omni cibo careret, praeter panem, posset carnes in Quadragesima, vel feria 6, et Sabbato comedere, puto sub distinctione dijudicandum. Si periculum immineat valetudinis, quod facile contingere potest, si haec inedia ad plures dies protrahatur, praesertim in delicatis, et foeminis; tunc licitum erit carnes ex aliorum ciborum deficientia comedere; si vero unius vel alterius diei inediam prudenter judicetur nonnisi levem allaturam corporis debilitatem, vel etiam nullam, ut contingit in robustioribus rusticis, et aliis, qui solent vel pane et pulmento vivere, vel raro admodum obsonii aliquid panibus adjiciunt, profecto non liceret illis carnes comedere.

V. *In transgressione hujus praecepti, datur parvitas materiae.*

In transgressione hujus praecepti admittendam esse parvitatem materiae, puto ipso naturali lumine conspicuum: si enim et in iis, quae lege naturali et divina vetantur, ut in furto, adeo exigua esse potest materia, ut lethale crimen non constituat; cur et quantitas comestae carnis ita exigua esse non poterit, ut comedentem a lethali noxa eximat? Quanta autem esse debeat materia, quae levis dici queat, et a lethale peccato excusare, non consentiunt Doctores. Nonnulli infra duas uncias levitatem materiae consistere censent, quod falsum et periculosum arbitror: alii ad unam unciam limitant: alii octavam partem unciae nonnisi leve peccatum constituere docent, a qua sententia non abhorreo, nam arte exigua res sit oportet, quae unius drachmae pondus non excedit, sicut exiguae sunt illae carnium et jusculentorum partes, quas coqui et pincernae degustare solent ad ciborum saporem discernendum.

CONSECTARIA.

I. *Non licet in Quadragesima vesci bellariis, et placentis ex ovis vel butyro compositis, nisi lacticiniorum usus sit concessus.*

Quadragesimae tempore non licet vesci bellariis, crustulis, placentis ex farina subacta et ovis compositis, vel butyro immixto, nisi iis in

locis, in quibus lacticiniorum usus concessus est: nam hac sublata licentia, non minus vetitum est uti propria ovorum substantia in se, ac ea cum aliqua re immixta. Excusabit tamen fortassis a gravi culpa parvitas materiae, si nimirum tenue ovi frustulum, quod nec seorsum sumptum violaret jejunium, sit farinae immixtum. Hoc tamen a gravi culpa non excusat hujusmodi bellariorum venditores et confectores, quia in caussa sunt, ut a communitate integre abstinentia non observetur. Quare illis hoc non permittendum, sed objurgandi, et nisi emendationem polliceantur, deneganda absolutio.

II. *Qui pluries in die jejunii carnes comedit, plura committit peccata.*

Qui in diebus jejunii carnes comedit, vel ova et lacticinia, ubi eorum usus vetitus est, toties peccat, quoties comedit. Ita communiter Theologi, qui ad unum omnes fatentur, praeceptum carnium et lacticiniorum vetans comestionem, negativum esse, quod semper obligat toto jejunii die, ac proinde toties infringitur, quoties carnes comeduntur; nec excusat parvitas materiae, quae si pluries in die sumatur in fraudem praecepti, tunc ad lethale peccatum pervenit, quando gravem materiam constituit: non enim differt opinio contraria a doctrina damnata ab Alex. VII. asserente: *Qui in die jejunii modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Sicut enim repetita modicae quantitatis cujuscunque cibi comestio jejunium frangit, ita repetita modicae cibi vetiti quantitatis sumptio eidem praecepto opponitur abstinentiam praecipienti a carnibus et lacticiniis. Hinc multo magis inferendum, qui ob ignorantiam vel inadvertentiam a culpa immunem semel carnes comedit, non posse eo die iterum comedere obtentu impossibilitatis servandae abstinentiae praeceptae, quum adhuc praeceptum implere possit, quod per totum diem jejunio addictum obligat.

III. *Quid dicendum de vovente vel abstinentiam a carnibus, vel jejunium.*

Qui vovit carnes non comedere vel ova et lacticinia v. g. feria tertia in honorem S. Antoni toties peccat, quoties ex illis comedit. Ratio est manifesta, nam praeceptum et legem sibi imponit omnino negativam, idest abstinendi toto eo die a praefatis escis: porro sicut, ut superius diximus, repetita praecepti negativi violatio multiplicat peccata, ita repetita hujus voti violatio peccatorum numerum augebit. Quid, si voveat jejunium in die, quo nullum est ab Ecclesia indictum praeceptum, peccabit ne si pluries comedet carnes? Utique, si quidem absolute voverit jejunium. Compertum est enim, voventem sibi legem ferre, et secundum ejus voluntatem esse obnoxium; potest porro quis vovere jejunium pluribus modis, ex. g. in pane et aqua, vel pane et vino, vel cum sola abstinentia a carnibus, et unica comestione etc. si vero nihil circa hoc determinet, sed solum absolute et in communi voveat jejunium, intelligitur tale vovisse jejunium cujusmodi haberi solet in Ecclesia, et vocatur jejunium commune et ecclesiasticum. Hoc igitur jejunium vovet. At hoc de se duo complectitur, abstinentiam a carnibus, et unicam refectionem. Haec duo ergo directe vult, et sibi praecipit: si enim unum sine altero maluisset, in sua positum erat voluntate statuere. Hinc non aliud verum et reale discrimen reperitur inter utrunique jejunium, nisi quod illud

sit ab Ecclesia impositum omnibus fidelibus, hoc autem sit voluntarie assumptum a vovente; coeterum idem onus in utroque, eadem obligatio, eaedem jejunii partes.

CAPUT III.

De dispensatione ab abstinentia a carnibus, et caussis ab ea excusantibus.

I. *Necessitas interna, liberat ab onere abstinendi a carnibus.*

Prima et praecipua caussa, quae ab abstinentia a carnibus liberat et excusat, est necessitas sive interna, sive externa. Necessitate interna illos urgeri dicimus, qui sine gravi detrimento valetudinis a carnibus abstinere non possunt. Hinc 1. ab eo dispensantur infirmi actuali morbo, ut qui febri vel quotidiana vel tertiana affliguntur, vel alio tentantur praesenti et premente gravi incomodo. 2. Convalescentes et valetudinarii, quibus immineret ex esurialium ciborum usu vel relapsus in morbum, vel nova infirmitas, vel quia indigent prostratas vires ricuperare. 3. Qui ex esu ciborum quadragesimalium aliquod et quidem non leve patiuntur nocumentum, vel qui ob nauseam piscis comedere non valent, in quo tamen illud animadvertendum 1. nocumentum non qualecunque, sed grave esse oportere: certum est enim esurialium ciborum usum diuturnum quadraginta sex dierum et debilitatem virium afferre, et ventris inflationes, ructus aliaque leviora incommoda; quae certe ab abstinentia non excusant, quum jejunium sit institutum ad concupiscentiae vires debilitandas, et ad satisfaciendum Deo pro peccatis; quod utique sine incommodo obtineri non potest. 2. Non esse omnino ab hac abstinentia solutos, sed juxta exigentiam, et ad necessitatis mensuram: qui enim abstinere possunt sine gravi incommodo per aliquot dies, eam abstinentiam tolerare et subire debent, contenti usu carnium solum in aliquibus diebus.

II. *Necessitas externa et ipsa, liberat ab onere abstinendi a carnibus.*

Necessitas exterior est illa, quae ex carentia cibi oritur, vel ex metu gravi periculi, si abstinentia servetur. Hinc ex primo capite pauperes, qui ostiatim victum quaerunt, quem aliunde sibi comparare non valent, si nonnisi carnes in eleemosynam acciperent (quod tamen raro evenire potest in christiani loci, quadragesimali praesertim tempore) illis vesci possent. Num vero et illi, qui nonnisi panem haberent, dictum est superiori capite. Metus quoque gravis mali etiam ab externo provenientis ab eadem excusat abstinentia, quum leges ecclesiasticae cum tanto onere non obligent; proinde transeunti per loca haereticorum carnes comedere permissum est ad evitandum vel vitae periculum, vel carcerem, vel bonorum amissionem; nisi forte haec abstinentiae omissio abnegatae romanae communionis indicium praeberet.

III. *Dispensatio a carnibus pro tota Communitate, quomodo petenda.*

Secunda caussa ab abstinentia excusans est Ecclesiae dispensatio, quae et generalis esse potest pro toto Regno, Provincia, Civitate, Oppido; vel particularis et privata huic vel illis personae concessa.

Et quoad generalem dispensationem, eam elargiri nonnisi supremis potestatibus Ecclesiasticis conceditur, quae quum nostra non indigeant instructione, satis erit illis ea exhibere documenta, quae S. Pont. Bened. XIV. tribus Bullis datis Primatibus, Patriarchis etc. tamquam opportuna suggessit, nimirum 1. » A nemine toti multitudinis, veluti » populo aut civitati indiscriminatim, nonnisi gravissima et urgente » necessitate, et in casibus per sacra Canonum statuta praescriptis, » cum debita hujus Apostolicae Sedis reverentia a quadragesimali » jejunio dispensationem toties quoties opus fuerit esse concedendum ». In Bulla 30. Martii 1741. quae incipit *Non ambigimus.* 2. Hanc ab abstinentia a carnibus dispensationem non esse concedendam, vel usurpandam, nisi cum onere servandi unicam comestionem, et vitandi esurialium ciborum et concessarum carnium permixtione. 3. Carnium esum minime toti populo vel civitati concedendum, si lactis et ovorum usus satis esse videatur. 4. Non esse inter sufficientes caussas dispensationis ab esu carnium connumerandum, *quod pisces, vel ova caro pretio vendantur.* Nam, subdit, *si emendis piscibus grave pretium solvendum sit, id quidem egenis civibus, non vero divitibus suffragatur.* 5. Nec esse ab abstinentia Quadragesimae solvendas Civitates vel Dioeceses ubi exercitus versantur, *eo quod milites in iis locis permanentes abstinentiae leges minime observent.* Denique *dispensationem abstinentiae a carnibus semper cum aliqua dierum limitatione esse concedendam, et excipiendos praesertim dies Cinerum, Quatuor Tempora, Vigilias praecepto servandas, et majoris hebdomadae dies a Dominica Palmarum.*

IV. *Privatae dispensationes gravem postulant caussam.*

Quoad privatas vero dispensationes certis personis concedendas, attendendum, ut inquit Fagnanus, quod caussa dispensationis debet esse magna, seu, *quod idem est, major, maxima, justa, evidens, et his consimilis..... alioquin si hujusmodi caussa desit, non est dispensatio; sed dissipatio,* et sic fiet coram Deo dantibus periculosa, accipientibus vero perniciosa. Non enim quodcunque detrimentum, quod ex hac abstinentia timetur, legitimam constituit petendae dispensationis caussam, sed grave sit oportet, urgens, et ex ipso esurialium ciborum usu imminens: hinc usque ad sec. XVI. dimidium, nonnisi languor evidens, et gravissima infirmitas ab abstinentia eximebant. At nostris hisce temporibus tot sunt inductae leves caussae dispensationis, ut jam esus carnium in Quadragesima nonnisi Regularibus, pauperibus, et paucis artificibus vetitus videatur.

V. *Quid animadvertere debeant petentes dispensationem: Quid ipsi Medici concedentes.*

At quoniam harum dispensationum origo et fons praecipue ex medicorum nimia indulgentia et beniguitate progreditur, 1. admonendi sunt fideles, ne benigniores hos medicos quaerant, qui faciles se praebeant in schedis dandis fidem facientibus de necessitate abstinendi ab esurialibus cibis. 2. Ne illis suos exaggerent morbos, pericula, timores amittendae valetudinis, et infirmitatis incurrendae; alioquin dispensatio hoc modo obtenta coram Deo eos minime excusabit. Medici vero in concedendis attestationibus de indigentia petentium dispensationem, prae oculis habeant ea, quae hac de re monita

praebet Medicinae doctor cl. Zachias; qui lib. 3 tit. 1. quaest. 5. scribit: 1. » Admonendum ante omnia; non omne sanitatis incom- » modum a jejunio proveniens illico hominem a jejunio excusat: nam » vix dici potest jejunare, qui ex jejunio nullum perceperit incom- » modum, idcirco enim jejunium definitur maceratio, seu afflictio » carnis. 2 Nec quilibet morbus legitime a jejunio excusare potest; » neque etiam idem morbus, qui ab una obligatione solvit, ab omni- » bus absolvere potest. Non enim quivis morbus a quavis jejunii » conditione excusare debet indifferenter; sed alter quidem ab esu » carnium, alter ab esu tantum ovorum, non carnium, alter ab » unitate comestionis, alter ab hora refectionis, alter ab omnibus » simul immunem hominem reddere potest ». Si Christiani Medici haec vere christiana documenta prae oculis habeant non adeo faciles erunt in dispensationibus concedendis, sed clientes suos ad salutare jejunium amplectendum pro viribus hortabuntur.

VI. *Quid Parochi et animarum Pastores.*

Parochi, animarumque Pastores, qui praehabita Medici attestatione dispensationem impertiuntur abstinentiae quadragesimalis, tuti non sunt in conscientia, si solum visis Medicorum schedulis statim veniam dent: nam et ipsi de legitimitate petitae dispensationis judices sunt, nec sola in ipsis spectatur auctoritas, sed et consilium exigitur et judicium. Pontifices enim Summi statuunt et declarant, non licere Christifidelibus se ab abstinentia quadragesimali subtrahere *sine legittima caussa, et de utriusque Medici consilio.* Haec attendant, ne sint canes muti non valentes latrare, timentes, ne invidiam subeant et odium magnatum et potentum; sed sint dispensatores fideles constituti super familiam Domini, quam regant, non ad illius voluntatem sed juxta legem Dei et Ecclesiae.

VII. *Dispensatus ab abstinentia carnium non est ab unica comestione solutus.*

Qui justa de caussa dispensationem ab abstinentia carnium obtinuit, non ideo censendus est ab alia jejunii lege de unica comestione solutus. Oppositum affirmarunt paucis ab hinc annis plures Theologi, aliis e contra pro veritate decertantibus At quaestionem omnem diremit S. Pont. Bened. XIV. duplici Bulla, ubi declaravit, jussit, ac statuit, dispensationem ab abstinentia concessam sive Communitati integrae, sive alicui determinatae personae non inferre dispensationem ab unica comestione, sed cum usu carnium jejunium esse conjungendum.

VIII. *Quibus concessus est carnium, esus non licet epulas permiscere.*

Non licet quibus concessus est carnium esus promiscue vesci et carne et piscibus, et utrasque epulas simul permiscere; alioquin violati quadragesimalis jejunii graviter culpabilis sunt. Ita declaravit laudatus Pontifex in suo Brevi ad postulata Archiepiscopi Compostellani, et alia Bulla ad universos Episcopos, in qua praefatam responsionem toti Catholicae Ecclesiae communem fecit. Hanc et superiorem conditionem de unica comestione declaravit sub gravi esse observandas tum in dispensationem concedentibus, qui sub lethali culpa eas apponere constringuntur, tum *ab eis, qui hujusmodi facultatibus utantur*, quippe qui *sub gravi ad binas ipsas conditiones implendas obligantur.*

IX. *Item nec carnibus vesci in serotina refectiuncula.*

Quibus concessa est facultas vescendi carnibus, interdictum tamen semper ipsis erit sub lethali culpa uti dispentationem in serotina collatiuncula, in qua iisdem solum vesci cibis poterint, quibus aliis fidelibus vesci concessum est. Ita in praefata Bulla declaravit laud. Pontif. Hinc quum et in Quadragesima vetitus sit usus lacticiniorum et ovorum, concessa dispensatione, his uti non licebit nisi in unica meridiana comestione, in collatiuncula autem interdicta omnino sunt, ut declaravit etiam Clemens XIII. in sua Bulla *Appetente* data 1759. ubi confirmans declarationem Praedecessoris sui Bened. XIV. qua indixerat, dispensatos a carnium abstinentia, unica excepta comestione in omnibus aequiparandos iis esse, quibus nulla est dispensatio, ipsi addidit, propterea tantummodo ad unicam comestionem posse carnem, *vel quae ex carne trahunt originem adhibere.*

CONSECTARIA.

I. *Quinam possint a carnium abstinentia dispensare.*

Episcopi cum suis subditis, Parochi cum suis ovibus, Superiores regulares cum suis Religiosis justa intercedente caussa dispensare possunt ab abstinentia carnium in particulari necessitatem habente; Episcopi quidem propria auctoritate, Parochi et concessione Episcopi et consuetudine, Praelati vero regulares facultate et privilegiis sibi a Sede Apostolica concessis. Ita enim postulat humani regiminis conditio: nam quum frequenter occurrat dispensationis necessitas, et subditi nonnisi cum magna difficultate ad Sum. Pontificem valeant confugere, aequum est, ut in suis Pastoribus eam reperiant potestatem, qua indigentiis subditorum consulere valeant. At quando agitur de dispensatione concedenda integrae Dioecesi, Civitati, Oppido, vel Communitati, recurrendum esse ad Sedem Apostolicam, eique debitam reverentiam exhibendam et docet, et rationum momentis evincit Bened. XIV. tum in suo Brevi ad Episcopos suae temporalis ditionis pro translatione vigiliae S. Mathiae a postrema die baccanaliorum, ad praecedentem alteram diem; tum fusius de Synodo Dioecesana lib. 9. cap. 1. At si necessitas ita urgeat, ut recursus ad Apostolicam Sedem vel difficilis admodum sit, vel impeditus, tunc etiam cum tota Dioecesi vel Civitate dispensare poterit; tum quia necessitas legem non patitur, tum quia jam praesumendus merito est Sedis Apostolicae consensus. Legantur quae diximus Tract. de Leg. Dissert. 3. cap. 5. Quod autem de Episcopis dictum est, Praelatis quoque Regularium aptandum, quum et ipsi in suos subditos jurisdictionem obtineant quasi Episcopalem. Cujus jurisdictionis quum capaces non sint Abatissae, vel Priorissae, moniales sibi subditas dispensare non valent; sed solum tanquam matresfamilias statum indigentis sororis expendere et agnoscere, num quadragesimalem abstinentiam valeant tolerare, et si perspexerint non posse, declarare ad eam servandam non teneri; quod tamen judicium est saltem Confessarii judicio submittendum, et ab eo dispensationem petendam juxta facultatem illi ab Episcopo concessam.

II. *Quinam indigeant dispensatione.*

Qui certa premitur infirmitate vel necessitate carnibus vescendi, nulla eget dispensatione, quum lex abstinentiae certe in tali casu illum non urgeat; at qui dubitat, vel omnino certus non est de legitima jejunii vel abstinentiae a carnibus caussa dispensationem ab Ecclesiae Pastoribus necessario postulare tenetur. Ita docet S. Thom. hic q. 147. a. 4. Quae regula servanda est quoque ab iis, qui licet necessitatem suam evidenter cognoscant, quia tamen fortassis est aliis, quibuscum vivunt, minime comperta, ne scandalum ipsis afferant, dispensatione muniri debent, ut omnis tollatur proximi etiam pusilii offensio.

III. *Non est dispensatio carnium concedenda, si sufficiat lacticiniorum usus.*

Nec licite petere potest dispensationem ab abstinentia carnium, nec ea legitime uti, qui potest suae valetudini consulere solo usu lacticiniorum. Nam dispensatio a lege universali solum ad mensuram necessitatis concedi potest ac debet: et jejunium quadragesimale eo meliori modo est observandum, quo fieri potest. Et Benedictus XIV. in suo Edicto jubet Medicis, ne carnium esum ullo modo concedant illis, qui ovis et lactariis suae indigentiae prospicere valent. Hinc puto fideles omnes teneri prius experiri, num et quantum sibi nocere queat abstinentia quadragesimalis, et primo per aliquot dies custodire, quam subinde si sibi noxiam experiuntur, lacticiniorum et ovorum esu periculo valetudinis obviare, qui si insufficiens deprehendatur ad grave malum avertendum, tunc confugiendum ad esum carnium.

IV. *Graviter peccant, qui oeconomiae caussa domesticos ad carnes comedendas cogunt.*

Gravi peccati rei sunt tum violati jejunii, tum scandali Domini, Patres-familias, aliique Superiores, qui quum sibi abstinentiae a carnibus dispensationem impetraverint, titulo oeconomiae et paupertatis etiam filios, servos, alioque domesticos cogunt ad carnes comedendas, ne, ut inquiunt, mensae duplicentur. Id nondisi ab avaritia progreditur, immo contemptum praesefert sanctae jejuniorum legis. Tenentur hi jure divino et humano filiis coeterisque domesticis victum suppeditare juxta leges et praecepta Ecclesiae, non juxta temporalem eorum oeconomiam.

V. *Dispensati a carnium abstinentia, nonnisi salubribus carnibus vesci possunt.*

Qui a carnium abstinentia relaxationem impetrarunt, nonnisi salubribus carnibus vesci possunt. Oppositum quidem docuerunt fere omnes Probabilistae, at eorum laxam opinionem omni probabilitate spoliarunt duo Romani Pontifices, Clemens XI. in suo edicto an. 1702. ita statuens: *Animadvertant Medici, et qui petunt licentiam, ut attendant qualitatem carnium, quod nempe sint salubres, quia hae SOLAE permittuntur in Quadragesima his, qui ex justa caussa nequeunt vesci cibis quadragesimalibus.* Et novissime Bened. XIV. in suo edicto an. 1741. ubi ipsissima Clementis XI. verba italico sermone ad omnium intelligentiam descripsit, et decretum confirmavit.

VI. *Dispensati a carnium vel lacticiniorum abstinentia, illis licite vesci possunt in secunda refectione in Dominicis Quadragesimae.*

Quibus concessa est justa de caussa dispensatio sive a carnium, sive a lacticiniorum abstinentia, vetitum non est in diebus Dominicis carnibus et lacticiniis uti in secunda comestione. Nam in his Dominicis diebus quum lex de unica comestione non urgeat, manifestum est, eam solum jejunii superesse partem, quae in abstinentia consistit. At haec sublata est per concessam carnium et lacticiniorum dispensationem. Ergo non urget Non urget praeceptum abstinentiae, non urget praeceptum unicae comestionis; quodnam igitur esse potest praeceptum, quod obstringat ad unicam tantum comestionem sive carnium, sive lacticiniorum in praefato die? Nullum profecto, nullum. Licitum ergo erit etiam in hac secunda refectione tali dispensatione uti. Idem dicendum et de illis, qui ad tertium nondum pervenere septennium, si vel dispensati sint a carnium abstinentia, vel in locis degant, ubi lactariis vesci concessum est, qui poterunt in omnibus jejuniorum diebus in secunda refectione vesci carnibus vel lactariis.

VII. *Dispensatis an licitum sit ova et pisces permiscere: et an ova cum carnibus.*

Tametsi vetita sit ciborum esurialium et concessorum in Quadragesima permixtio; certum tamen est, quibus concessum est vesci ovis et lactariis posse et pisces cum illis conjungere, vescique simul lactariis et piscibus. Summus enim Pontifex Bened. XIV, in suis ad postulata Archiep. Toletani responsionibus, postquam declaravit in resp. ad 4. nomine interdietarum epularum iis, quibus concessa est facultas vescendi carnibus, intelligi *pisces*, et nomine concessarum epularum *ipsas carnes*, statim subdit, piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova et lacticinia: licet ergo istis in una eademque comestione et pisces et lactaria comedere. Licere autem et iis, quibus concessum est vesci carnibus ova et lacticinia carnibus copulare non est omnino certum, licet existimem admodum probabile; quum sicut de priore piscium et lacticiniorum conjunctione non ita sit ab Apostolica Sede de hac secunda definitum. Certe tamen non declaravit vetitam conjunctionem carnium cum praefatis lactariis, quod facile fuisset addere, praesertim quum antea inter illicitas epulas solum pisces connumeraverit. Ego certe, qui carnes cum lactariis copularet, damnare non auderem; dum tamen haec profero, Ecclesiae judicium expectans, illi jam ex tunc me submitto. Legantur additam. ad Theol. Cuniliati Tract. 12. cap. 1. §. 2. n. 5.

VIII. *Dispensatis non licet uti carnibus, vel lacticiniis in serotina collatiuncula.*

Quibus concessus est esus carnium vel lacticiniorum non illis vesci possunt in serotina refectiuncula. Rem hanc declaraverunt duo Summi Pontifices Bened. XIV. et Clemens XIII. ille in sua Responsione ad Postulata Archiep. Compost. in secundo postulato sic petenti, an illi, quibus concessum est vesci carnibus possint in vespertina refectiuncula vesci ea quantitate carnis, quae jejunantibus permittitur: respondet, *non licere, sed opus habere eo cibo, eaque uti portione, quibus utuntur homines jejunantes rectae meticulosae conscientiae.* Alter vero

in suo Brevi superius citato, ubi statuit, *tam dispensatos a carnium abstinentia, quam quovis modo jejunantes, unica excepta comestione, in omnibus aequiparandos iis esse, quibuscum nulla est facta dispensatio, ac propterea tantummodo ad unicam comestionem posse carnem vel quae ex carne trahunt originem adhibere.*

IX. *Praecepta de unica comestione, et de non permiscendi epulis, urgent etiam in jejuniis extra Quadragesimam.*

Praestituta praecepta de unica comestiona servanda, et non permiscendis epulis urgent etiam extra Quadragesimam in aliis jejuniis per annum statutis. Hinc qui in praefatis jejuniis a carnium abstinentia dispensationem obtinent, vel ea consuetudine lactariis vescuntur, tenentur et unicam comestionem servare, nec extra illam nec carnibus nec lactariis vesci, nec in eodem prandio pisces cum carnibus permiscere. Ita declaravit Benedict. XIV. in resp. ad 7. postulatum Arch. Tolet. rescribens: *Urgere extra Quadragesimam utrumque praeceptum, illud scilicet unicae comestionis .... et alterum non miscendi epulas licitas cum interdictis.* Et confirmavit Clemens XIII. concedens usum carnium et lacticiniorum in unica tantum comestione, ut mox vidimus.

X. *Qui ex regula vel voto obligantur, non possunt vesci carnibus in Natali Domini feria sexta, vel Sabbato occurrente.*

Qui ex voto vel Regulae praecepto siva sub culpa sive etiam sine ulla culpa statuente abstinentiam a carnibus obligantur, illis vesci non possunt in die Nativitatis Domini in feria 6. vel sabbato occurrente. Tres habet partes hoc consectarium. 1. est de illis, qui ex voto tenentur vel jejunare, vel abstinera a carnibus in praefatis diebus fer. 6. vel sabbati. 2. De Regularibus, qui ex voto vel praecepto sub mortali obstringente tenentur praefatis diebus vel jejunare, vel abstinere. 3. De illis Regularibus, qui ex Regula quidem statutum habent, ut jejunent, vel a carnibus abstineant, sed vel sine ulla culpa, vel solum sub veniali. Qui itaque voto se obstrinxere vel ad jejunium vel ad abstinentiam, profecto illud observare tenentur, quum sit votum de ra bona, et absolutum, quum talem diem minime exceperint, quum licitum, bonum et sanctum sit tali die abstinera. Regulares vero, qui ex vi voti vel regulae sub gravi praecipiente tenentur vel jejunare, vel a carnibus abstinere in praefatis diebus, profecto graviter peccant, si non abstineant, vel jejunent, quum et ex praecepto Regulae graviter obligentur, a qua Pontifex minime eos dispensat. Ita communiter sentiunt omnes Theologi. At major est difficultas de illis Religiosorum Ordinibus, qui jejunio quidem vel abstinentia tenentur ex vi Regulaa vel Constitutionum, sub nulla tamen, vel ad Summum sub veniali culpa obligantium. Et quidem eos a lege abstinentiae solutos affirmant Theologi quidam hac potissimum, immo unica ratione; quia, inquiunt, eo dia duae occurrunt leges abstinentiae, alia universalis Ecclesiae, alia peculiaris legis: prima a Pontifice sublata fuit, non remanet igitur nisi secunda, quae proinde quum nullius peccati onere obstringat, vel solum culpa veniali, reus erit, qui abstinentiam violat vel culpae venialis, vel poenae transgressoribus constitutae; hinc si Superior, qui potestatem habeat, eo die a regulae obligatione dispenset, nec culpae veniali, nec poenae erunt obnoxii,

qui carnes comedent. At oppositnm plurimi alii sustinent, et quidem merito, ac certissime. Nam oppositum sentientes falso nituntur supposito, nimirum sublatam a Pontifice respectu istorum Ordinum legem universalem Ecclesiae de abstinentia a carnibus. Non enim universaliter, ut contra sentientes supponunt, omnes fideles hoc privilegio et dispensatione donantur, sed illi soli, qui *nec ex voto, nec regulari observantia adstricti sunt.* Ili igitur non comprehenduntur inter dispensatos ab ea abstinentia. Si igitur dispensati non sunt, illos proculdubio urget praeceptum, non peculiare suae Regulae, vel Instituti, sed universale Ecclesiae: peccant igitur, et violant hoc praeceptum, si a carnibus praefato die non abstinent. Sunt quidem eo die duae leges, alia universalis, alia particularis; at universalis lex non tollitur, et in ea non dispensat Pontifex illos, qui ex aliqua particulari lege obligantur. Hinc inferendum, qui ex voto tenetur abstinere a carnibus in die veneris, vel sabbati, eis vescens quando recurrit Natalis Domini duplex peccatum committeret, aliud contra Religionem alterum contra Ecclesiae praeceptum; qui vero ex praecepto regulae nonnisi unum, licet gravius, quum idem sit objectum et subjectum peccati; scilicet abstinentia ex virtute poenitentiae, qui vero ex regula teneretur non obligante sub gravi culpa, solum contra praeceptum Ecclesiae graviter peccaret.

CAPUT IV.

De altera jejunii parte, unica scilicet comestione.

I. *Preceptum de unica comestione de se negativum, quo sensu positivum dici possit.*

Pars haec secunda jejunii, quae unicam comestionem concedit, nullum revera positivum affert praeceptum, sed solum negativum; non enim una praecipitur comestio, alioquin non jejunaret, qui ab omni refectione per totum diem abstineret; multoque minus qui biduo vel triduo tantum reficeretur. Solum igitur affirmativum dici potest, quatenus jubet, ut qui comedere vult, in die jejunii unica sit comestione contentus. Quantitas cibi in hac unica comestione taxari non potest, ut docet S. Thom. q. 147. a. 6. ad 1. *Propter diversas corporum complexiones, ex quibus contingit; quod unus majori* (scilicet abundantiori) *cibo, alter minori indiget.* Quamobrem licet praeceptum Ecclesiae non transgrediantur, peccant tamen contra virtutum temperantiae, qui lautiores mensas instituunt, delicatiores cibos quaerunt. Hoc attendant praecipue Confessarii nobilium ac divitum, et quae docet S. Thom. hic q. 147. a. 6. ad 2. *Si quis immoderato potu utatur, potest peccare, et meritum jejunii perdere, sicut si immoderate cibum in una comestione assumat.*

II. *Quomodo unica comestio abrumpatur et finiat.*

Unica, quae conceditur refectio, continua esse debet, non interrupta; alioquin refectiones multiplicarentur. Interrupta autem dicitur et animo finiendi comestionem; et per physicam a comedendo cessationem. Hinc qui prandium abrumpit, ut alicui negotio vacet animo ad mensam redeundi, eo expleto non censetur comestiones multiplicare, sed una adhuc moraliter comestio reputatur; dummodo ta-

men longa non sit negotiationis mora, quam aliqui etiam ad duas horas dilatant, alii ad dimidiam tantum coarctant; et in hoc et bona fides prandium abrumpentis, et negotii necessitas, urgens caussa, gravitas sunt attendenda, et juxta illas dijudicandum. Dixi animo reassumendi: si quis enim a mensa surget ad negotium aliquod obeundum animo non revertendi, si postea iterum mensae assideat et comedat, censetur comestiones multiplicare; quod si nec animo reassumendi nec cessandi surgat ad opus aliquod, tunc tempus interruptionis pensandum est, quod si breve sit, moraliter una comestio censeri poterit, si vero longum, tunc ex ipsa physica cessatione arguenda voluntas non repetendi prandium. Addidi et per physicam a comestione cessationem, quum sola intentio cessandi non videatur sufficere: ut si quis putans consummatum prandium, mapulam plicet, si forte novum afferatur ferculum, non putabitur comestiones multiplicare, si de illo comedat, quum revera prandium nondum impletum sit per realem abruptionem, sed per solam animi praesumptionem, qua putat expletum.

III. *Quamdiu refectio perdurare queat.*

Ut unica sit comestio, oportet ne in longum tempus protrahatur, praesertim si fieret in fraudem jejunii: nam quoad corporis nutritionem idem plane est plures sumere refectiones, et unam ad longum tempus protrahere. Quamdiu autem perdurare prandium debeat, ut una tantum sit comestio, non virtualiter duplex, non consentiunt Theologi, nec facile est definire. Benigniores Doctores sentiunt excedere non debere duas horas quod profecto in solemnioribus prandiis (si tamen in jejuniorum diebus licet solemnes epulas instituere) ob adventum hospitum, receptionem consanguineorum vel affinium tolerari potest; ultra tamen duas horas prandium protrahere profecto culpa non vacat.

IV. *Non licet repetitis vicibus, etiam in levi quantitate, cibum sumere.*

Hoc autem praeceptum violant non solum qui pluries in die jejunii comedunt, ut de se compertum est, quum directe multiplicata comestio jejunio opponatur, sed qui etiam pluries sumunt aliquid cibi etiam in parva quantitate, dummodo ad notabilem perveniant quantitatem, quum notabilis quantitas cibi opponatur jejunandi praecepto, sive simul sumatur, sive divisim. Hinc merito oppositam doctrinam damnavit Alex. VII. contentam in hac propositione: *In die jejunii qui modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.*

V. *Quaedam liquida certo jejunium frangunt: et quid dicendum de vino.*

Ad liquida quod attinet, ea in tres veluti classes dividi queunt, nempe 1. liquidorum, quae de se ad nutriendum sunt apta, ut lac, jusculum, amygdalarum cremor etc. 2. illorum, quae licet de se ad nutriendum inepta, ex alterius tamen rei admixtione nutrire valent, ut aqua succaro vel cocholate saturata: 3. illorum, quae alterius rei non substantiam continent, sed solum sapore et colore imbuuntur, ut Theum, Caffetum, Salviata, et similia. Certum est apud omnes, jusculum, lac, et amygdalarum cremorem, quum nutritioni quammaxime inserviant, adeo ut potius quam potus, cibi liquentes dici

queant, jejunium frangere, si extra refectionem sumantur, nisi materiae tenuitas excuset. De vino autem docet S. Th. falsa est sententia eorum Doctorum licere bibere vinum quoties quis voluerit ad famem etiam repellendam, et nutriendum corpus. Nam docet S. Thom. in 4. dist. 15. q. 3. a. 4. *Qui vinum bibit in fraudem jejunii, non solum peccat contra temperantiam, sed ipsum praeceptum jejunii violat.* Immo, quod mirum est, ita sentit et docet benignissimus Probabilista Thomas Hurtado Tract. 10. cap. ult. scribens: » In Tractatu typis » edito . . . . . latissime probavi, quod si vinum sumatur ea intentione » ut nutriat, frangit jejunium, quia assumitur in fraudem legis, et » fraus nullus debet patrocinari. Haec tamen doctrina omnium anti» quorum aliquibus modernis nimis dura visa est; mihi verissima » apparet, ad quod sufficit, ut eam tradat D. Thom. quem secuti » sunt duodecim auctores gravissimi ». Coeterum quoad communem sensum Christianorum distinguendum inter fideles vini haustum amantes, et eos, qui vino moderate et pro necessitate utuntur: illi apertis ulnis morale axioma *liquida non frangunt* certum arbitrantes putant sibi licere toties quoties sibi placuerit vino se ingurgitare, quin jejunium frangant; at horum sensus erroneus est. Alii vero licitam quidem putant vini bibitionem, sed quoties solum sitis ipsa non vitiosa sed naturalis ex cibo orta postulat, non ad nutritionem, sed sitis extinctionem et digestionem; et hi quum legi fraudem non faciant, jejunium minime violant. Quae vero de vino dicimus, sunt intelligenda de cerevisia, citro, musto, cremato, spiritu vini, aliisque liquoribus, qui in aliquibus regionibus vini carentiam supplent.

VI. *Quando electuaria frangant jejunium.*

Liquida vero, quae in se rerum nutrientium substantiam continent, sed dissolutam et liquentem, profecto nutritioni inserviunt, ac proinde in die jejunii vetita et interdicta habenda est illorum sumptio, nisi forte loco medicinae sumantur, ut de illis docuit S. Thom. hic q. cit. art. 6. *Electuaria licet aliquo modo nutriant, non tamen principaliter assumuntur ad nutrimentum, sed ad digestionem ciborum, unde non solvunt jejunium, sicut nec aliarum medicinarum assumptio.* Electuarii nomine ea designantur, liquida, quae rei alias solidae et ad nutriendum aptae, sed dilutae substantiam complectuntur, ut sunt composita ex succaro, malis aureis, citrinis, punicis, persicis, uvis, aliisque fructibus. Haec a S. Thom. ut medicinae spectantur, et tali pacto ea sumere concedit, qui tamen subdit: *nisi forte aliquis in fraudem* (jejunii) *electuaria in magna quantitate assumat per modum cibi:* tunc enim nedum temperantiam sed etiam jejunium violaret.

VII. *Num liceat cocholatae potus de se, ratione liquidi et parvitatis materiae.*

Quamvis inter electuaria connumerari queat et cocholatis potus, quia quandoque medicinae loco adhibetur, hoc tamen proprius non est hujus potionis usus. Supervacaneum puto longam tenere de hac potione disputationem, postquam fuse disputavit Cl. vir Daniel Concina in pluribus Libris, nimirum et in Opere Morali Disser. 2. de Jejun. cap. 9. 10. 11. et in duplici Opere italico, Disciplina Ecclesiae de Jejun. et Monumenta historica de usu cocholatis. Solum ergo ex his Operibus pauca delibabo, quae probabiliora et tuta coram Deo

censeo. Itaque 1. certum est cocholate componi et coalescere ex rebus de se nutrientibus et comestibilibus, cujusmodi sunt cacao, cinnamomo, succaro et vaginula, quae si in propria specie sumerentur, profecto non potus sed sibi materia forent. 2. Praefata omnia in unum compacta solidum corpus conflare, quod cibi naturam, non potus exhibet, proinde qui eam ita sumeret, non biberet, sed comederet, ut et ipsi fatentur potus cocholatici patroni Hurtadus et Leander. 3. Tanquam omnino certum ex hactenus dictis infero, cocholatis potionem de se nutritionem esse et ad alimoniam, non ad potum institutam, proindeque ejus usum adversari praecepto jejunii: nec enim quia humana arte cocholates ad potus formam eliquatione reducitur, per hoc fit, ut cibi naturam exuat ut idem Hurtadus Tract. 10. cap. 4. n. 55. sponte fatetur. Et revera quis unquam cocholate usus est ad sitim extinguendam? quum immo ad ejus sumptionem praemitti soleat aquae potus. Inter falsas igitur et laxas opiniones illa censenda est, quae affirmat licere in die jejunii cocholatis potum toties quoties libuerit sumere inviolato jejunio. Non dissentiunt ab hac doctrina nostris hisce temporibus plerique Doctores, qui revera oppositam opinionem ceu improbabilem et falsam rejiciunt, sed ut huic potioni faveant non dubitant asserere, unum cyathum in die jejunii concedi posse ratione parvitatis materiae, vel titulo medicinae. Libenter nos concedimus fieri posse, ut haec potio tam tenuis sit et exilis, ut revera jejunium non frangat, ut de coeteris cibis dicimus; qui nonnisi in magna quantitate sumpti gravem inducunt praecepti violationem. At sequitur saltem esse veniale peccatum, quod timoratis conscientiis amaram reddit hanc ceteroquin jucundissimam potionem.

Praeterea quaenam sit materiae tenuitas, difficile admodum est statuere: quantum enim ad nutritionem conferat iste potus, testis est unus ex benignioribus Theologis Card. Brancacius, qui ita scribit apud Car. Cozza Tr. de jejun. 3. p. a. 1. dub. 9. n. 109. et seq. *Cocholatis potus roborat naturalem calorem, generat puriorem sanguinem, cordis substantiam vivificat, dissipat flatus, et prodest ad stomachum roborandum.* Testis est quoque benignissimus Tamburinus, qui postquam dixerat de mira hujus potionis efficacitate ad nutriendum, exclamat: *Deus immortalis! hanc meram potionem, non vero validam comestionem jejunii fini ex diametro oppositam appellaveris?* Theologorum auctoritati consona sunt et Medicorum testimonia, praesertim Jacobi Sponii Medici Lugdunensis, qui in sua 3. Dissert. de potu Cocholatae scribit: *Non solum nutrit optime, sed etiam impinguat cocholata:* quod subinde experientia confirmat. Num autem una oncia sit tenuis materia, non omnino liquidum est. Sunt qui affirmant, sunt qui negant: Hinc recte inferre posse censeo 1. a cocholatae potione in diebus jejunii a suae aeternae salutis curam habentibus esse omnino abstinendum, nec pro talis esca se sacri jejunii violandae legis periculo exponere. 2. Non esse tamen gravis culpae statim damnandos, qui urgente necessitate, premente senectute, gravante officii vel muneris labore, tenuem cyathum cocholatae infra unciam de mane sumunt.

VIII. *Quaenam liquida jejunio non opponantur.*

Quoad reliquas vero potiones Thei, Caffeti, Salviatae, vel aquae succo mali citrini et succaro conditae, vulgo *limonea*, puto non ita

certe jejunio adversari: nam parum vel nihil substantiae in iis continetur, quae post coctionem in fundo vasis relinquitur, sed solus superest color, odor, et sapor, unde verae potiones dici queunt vel ad calefaciendum stomachum, vel ad ructus et inflationes reprimendas conducentes; quam multo magis quam electuaria, de quibus loquitur S. Th. sumi possunt, et juxta ejus doctrinam permitti, at et in his abusus reperere potest, si in fraudem jejunii, et in magna quantitate sumantur, quemadmodum de electuariis docuisse S. D. dictus est superior.

CAPUT V.

De tempore concessae refectionis, necnon urgentis et desinentis jejunii.

I. *Semper in jejunio, hora illud solvendi praestituta fuit.*

Ad complementum sacri jejunii est et determinata sumendae concessae refectionis hora servanda. Certum exploratumque est in omnibus sive veteris, sive novi Foederis jejuniis praestitutum fuisse sive lege, sive consuetudine tempus et horam jejunii solvendi et sumendae refectionis, quam praevenire jejunantibus non licebat; licet protrahere et etiam omittere concessum fuerit. In veteri Lege solum ad vesperas jejunium solvebatur, quod et in Catholica Ecclesia in Quadragesimali jejunio custoditum in primis Ecclesiae seculis fuit, deinde solvendi jejunii mos invaluit ad horam nonam, nostris vero temporibus ex nova consuetudine circa sec. XVI. jejunium solvere hora sexta, idest in meridie conceditur.

II. *Praeceptum urget de hora expectanda.*

Necessitatem expectandi determinatam sumendae refectionis horam partem esse Ecclesiastici jejunii ita agnoverunt antiquiores Patres et Theologi, immo et Concilia, ut ejus gravem obbligationem nec in dubium unquam revocaverint; ideoque haec gravis obligatio in jure Can. statuta et declarata fuit cap. solent de Consecrat. dist. 1. *Nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium* S. Thom. 2. 2. q. 147. certam hanc obligationem agnovit scribens: *Ad jejunium requiritur hora determinata, non secundum subtilem existimationem. . . sufficit enim, quod sit circa horam nonam;* tertiam scilicet post meridiem, quae erat hora suo aevo praestituta. Et in 4. sent. q. 3. a. 4. q. 3. aperte docet; *Ille jejunium solvit, qui Ecclesiae determitationem non servat. Unde quam Ecclesia instituerit certum tempus comedendi jejunantibus, qui nimis notabiliter anticipat, jejunium solvit.* Consentiunt et alii Theologi, omnes sanioris doctrinae Magistri, immo et plures inter Probabilistas. Sed meo videri rem extra omnem controversiam posuit Bened. XIV. in sua ad Archiep. Comp. responsione. Hic Sedem Apostolicam consuluit, num qui ex dispensatione carnibus vescuntur, teneantur horam consuetam sumendae refectionis cum coeteris jejunantibus servare. Pontifex respondit et jejunantes et dispensatos teneri observare horam ab Ecclesia constitutam. Falsa igitur est habenda contraria plurium Probabilistarum sententia.

III. *Quanta requiratur horae praeoccupatio ad jejunii violationem.*

Non licet itaque notabiliter antevertere comestionis horam sine gravi culpa, ut docent omnes laudati Theologi; et quidem merito

et cohaerenter doctrinae statutae de hora sumendae refectionis servanda. Si enim ex praecepto Ecclesiae hora constituta servanda est, qui eam notabiliter praevenit, jejunium violat, quum legem Ecclesiae graviter obligantem non servet. Ita docet D. Th. in 4. dist. 15. a. 4. q. 3. cujus verba superius n. 2. recitavimus. At quanta temporis anticipatio requiritur, ut graviter violatum dici possit jejunium? Sanioris doctrinae Magistri probabilius docent cum S. Th. punctum meridiei astronomicum non esse sub gravi culpa inspectandum, sed attendendam horam determinatam, ait S. Th. q. 147 a. 7. ad 2., *non secundum subtilem examinationem, sed secundum grossam aestimationem: sufficit enim, quod sit circa horam nonam* (modo circa meridiem) *et hoc de facili quilibet cognoscere potest.* Hoc itaque tempus aliquantulum praevenire nec veniale peccatum censent, quum tempus non astronomice sit spectandum, sed moraliter: nam, ut inquit S. Th. l. sent. *Ecclesia arctare non intendit ad subtilem temporis inspectionem, nec oportet astrolabium accipere, ad horam comestionis cognoscendam, unde sufficit, si circa horam illam, quam Ecclesia constituit, jejunans sumat cibum, etiamsi aliquantulum propter aliquam necessitatem anticipet.* In quibus S. D. verbis duae assignantur conditiones, ne quis nec venialiter peccet horam praeveniendo, 1. ne multum anticipet, sed *aliquantulum*, 2. ut hujus anticipatiouis aliqua sit caussa honesta. Qui igitur sine caussa praefatam meridiei horam praeveniat per horae dimidium, venialiter peccabit, qui vero per integram horam jejunii impatiens pranderet, a gravi culpa excusare non auderem: nam ut optime animadvertit Natalis Alexander: *integrae horae anticipatio, praesertim in praesenti disciplina, est notabilis anticipatio, quae juxta D. Th. solvit, idest violat graviter jejunium* nisi gravis urgeat necessitas.

IV. *Num liceat mane sumere serotinam refectiunculam.*

Nec licitum puto horam refectionis praevenire sumendo de mane refectiunculam, quae juxta vigentem consuetudinem sero sumi conceditur, dilato ad vesperas prandio, nisi vel necessitas vel infirmitas cogat. Duplex enim hic habetur inordinatio, nimirum et ordinis inversio, quod enim sero sumendum conceditur, mane sumitur, et hora sumendi praeoccupatur: praevenitur enim notabiliter comestionis tempus, at licet non tanta sumatur cibi quantitas, quanta in prandio sumeretur, tamen respectu jejunii notabilis sumitur cibi quantitas, quae ex se idonea est ad jejunium frangendum; violatur igitur et hac anticipatione jejunium, et comestionum inversione. Minus vero peccaret, et etiam omnino non peccaret, qui refectiunculam in meridie sumeret, dilato ad vesperam prandio, legitima urgente caussa, nimirum si prementibus negotiis in meridie prandere non possit, vel hospites vespere advenientes expectas, vel iter arripere debes, vel incoenatus dormire aegre possis: tunc enim levis habetur ordinis inversio, et tempus constitutum servatur.

V. *Quodnam sit tempus incipiendi et desinendi jejunii.*

Quoad tempus vero incipiendi et desinendi jejunii, certum, exploratumque est in Christiana Ecclesia jejunium a puncto mediae noctis incipere, et in alterius mediae noctis puncto desinere. Haec tamen puncta non sunt nec mathematice nec astronomice sed morali-

ter juxta communem existimationem, et horologiorum designationem existimanda. Quoad horologia vero hanc puto servandam regulam, nimirum standum esse publico horologio, et juxta illud privata horologia dirigenda, quando certo non constet, custodum incuria, vel ipsius machinae defectu a legitimo designanto tempore deficere. Ubi vero publica non sunt horologia, vel plura sunt, vel privatis standum horologiis, vel bona fide illud seligendum, quod perfectius et rectus designara tempus creditur, et illi haerendo jejunium incipere et complere, nec pro horologiorum diversitate variare.

VI. *Num parvitatem admittat tempus incipiendi vel complendi jejunium.* Num autem tempus incipiendi, vel complendi jejunium parvitatem temporis admittat, ambigunt Theologi. Leander putat esse in indivisibili constituendum. Alii parvitatem temporis admittunt in anticipatione, quoad jejunium Ecclesiasticum, vel protractione coenae post mediam noctem, quam exiguitatem Pasqualigus infra horam constituit, et Concina ad sex vel septem minuta coarctat. At Bened. XIV. dum Bononiesem Ecclesiam regebat, rem censuit hoc modo dirigendam tam pro naturali quam pro Ecclesiastico jejunio. Animadvertit sua Instit. 12. data Kal. Decemb. 1722. horam pro ecclesiasticis implendis praeceptis juxta Doctorum et communem omnium sensum non esse mathematice et astronomice, sed moraliter et juxta communem hominum proborum mentem inspectandam; proinde tempus metiri quotidie juxta minutissimas horarum partes rem esse difficilem ac incertam, et anxietates ac scrupulos in meticulosorum animos inducere, nimiumque eos torquere; praeterea jam praxim et consuetudinem invectam et Romae et in aliis praeclaris Civitatibus temporis varietatem per solos horarum quadrantes metiri, praetermissis minutis; hinc Tabulam confecit, quam suae amplissimae Dioecesi communem voluit, in qua per solam quadrantis vel accessionem vel diminutionem temporis servandi jejunii etiam naturalis rationem esse habendam censuit, ac proinde tempus morale mediae noctis intra quatuordecim minuta ad summum dilatavit, quo tempore qui comederet, non violare jejunium censendus esset. Porro hocce prudens consilium et salutare institutum quis prudens et cordatus improbare audebit? Unum supperesset optandum, ut nimirum hanc orationem temporis dimetiendi vel ipse, quum Pontifex Maximus rederet, adprobasset, vel alius ejus successor, pro tota Ecclesia confirmare dignaretur. At fortasse supervacaneum est hujusmodi desiderium, quum consuetudo Dioecesis Bononiensis, Romanae, Mediolanensis, et aliarum in Italia sufficere abunde possit etiam meticulosis conscientiis. Quamobrem qui hoc morale tempus intra 14. minuta limitatum violaret, etiam unico minuto, suscipiendae Communionis idoneus amplius non esset judicandus; qui vero violaret per aliquot minuta, non esset lethalis culpae reus habendus de violato ecclesiastico jejunio.

CONSECTARIA.

I. *Non quaelibet caussa, licitam reddit refectionis notabilem anticipationem.*

Non quaelibet caussa etiam legitima licitam reddit refectionis notabilem anticipationem. Posita est haec propositio adversus non pau-

eos Probabilistas, qui plures agglomerant caussas legitime excusantes, ut ipsis videtur, ab expectanda hora constituta. At S. Th. duas tantum assignat legitimas anticipationis caussas, nimirum 1. *necessitatem*, 2. *magnum gravamen*, quod obveniret prandium differenti ad horam statutam. Ex primo autem capite horam praevenire licite possunt ii, quos necessarium iter suscipere oportet, quibus incumberent negotia post meridiem tractanda, qui longam concionem habere debent, et similia agere, quae mentis attentionem postulant. Non vero excusantur qui iter non necessarium suscipiunt, multo minus qui recreationis caussa vel venatum, vel piscatum pergere volunt; nec qui hospites vel dimittere vel suscipere debent, quum satis sit illis praematurum prandium parare, si necessitas postulet, non vero cum ipsis ad mensam assidere; hoc enim esset humano respectui Ecclesiae leges postponere, et ut amicis placeas Deo displicere. Ex altero capite legitime praevenire possunt horam infirmi, debiles, convalescentes, senes, qui magnum ex dilata comestione damnum persentiunt, et qui nisi praeveniant, nonnisi ad vesperas prandere possunt cum gravi incommodo, et similia.

II. *Qui inadvertenter mane comedit*, *debet ad vesperas prandium differre.*

Qui etiam inculpabiliter et non advertentes diem esse jejunii, mane comedunt, tenentur prandium in vesperas differre, si cibum in notabili quantitate sumpserint, et dilatio ipsis in magnum gravamen non cedat; quia tenentur quantum fieri potest Ecclesiasticum servare jejunium qui vero horam prandendi praevenit sive legitime sive illicite, tenetur ex unica comestione contentus non amplius comedere, nisi serotinam collationem sumendo: nam si violavit eam partem jejunii, quae tempus comestionis praefinit, aliam tenetur servare, quae unicam comestionem permittit. Omnibus porro concessum est tanquam pium et ecclesiastico jejunio conformius usque ad vesperas jejunium manere, et solum tunc corpus reficere.

III. *Quid in dubio*, *et in horologiorum varietate agendum.*

Qui dubitat num sit mediae noctis hora sive pro inchoatione, sive pro desitione jejunii, debet a comestione abstinere; quia *in dubiis tutior pars est eligenda*. Falsum vero ineptumque est asserere, horologia opinionem probabilem efficere, proindeque juxta illorum varietatem posse modo unum, modo aliud eligendo tempus variare. Et demum audito signo indicante diem jejunii inchoare, a cibo abstinendum est. Contraria his tribus propositionibus sustinent benigniores quidam Theologi. At piget in iis refutandis tempus insumere, quum eorum sententiae adeo absurdae sint et a veritate alienae, ut et ipsos cordatiores Probabilistas ad iracundiam provocent; qui eas explodunt ceu falsas, improbabiles, poenitentiae et pietati inimicas.

CAPUT VI.

De vespertina refectiuncula.

I. *Licita est vespertina refectiuncula.*

Usque ad decimum seculum, fideles unica refectione contenti sub vesperas, totam diem jejuni transigebant. Circa dimidium decimi se-

culi, teste Raterio Episcopo Veronensi, saltem in Italia mos incoepit solvendi jejunium ad horam nonam, idest tertiam post meridiem, et in aliis regionibus fortassis tardius. At tertiodecimo seculo communiter factum est hora nona cunctis christianis populis tempus comestioni praestitutum, et haec quidem solum in Quadragesimali jejunio mutatio contigit, nam in coeteris per annum jejuniis cibus semper hora nona sumebatur. Ex hac comestionis praeoccupatione factum est, ut fideles priusquam cubitum pergerent, indigerent potu, quo cibum ante sumptum diluerent, et ad concotionem disponerent, unde coepit collatiunculae mos; in qua tamen nonnisi potus sumebatur; at contracta hora prandi ad meridiem a potu transitus factus est ad cibum in refectiuncula potui adjungendum. Et revera cibi sumptio in collatiuncula permissa modo est ab Ecclesia. Hinc non de concessa refectiuncula disserendum est, quae licet, ut scribit Azorius, » coeperit caussa somni accipiendi, et » idcirco etiam indulgentiae titulo; more tamen et consuetudine in» troducta est, ut ea absolute et simpliciter utamur »; sed de quantitate et qualitate ciborum in ea sumenda.

II. *Qualitas ciborum, in vespertina refectiuncula concessa.*

Et primo quoad qualitatem Doctores etiam benigniores solum eam qualitatem ciborum concedunt, qui sumi solent ante vel post prandium. Sic scribit Azorius p. p. lib. 7 cap. 8. q. 9. » In refectiuncula » vespertina solum edi possunt, quae ante vel post prandium sumi » solent, quales sunt fructus arborum, herbae, et alii quidam fructus » leviores sumi soliti, ea tantum ratione, ne potus stomacho officiat, » ut proinde sit corruptela si cibi sumantur, qui potissimum ad nu» triendum valent ». Et Sylvius, ut alios omittam, 2. 2. q. 147. a. 6. q. 2. » Consuetudini standum est, quantum ad qualitatem ejus, » quod pro collatione sumitur. Modicum panis accipi potest vel se» orsum vel una cum fructibus, herbis, aliisque cibis levioribus, » cujusmodi sunt ficus, uvae, nuces, poma, vel alia ex succaro » condita ». Minime vero concessum est in collatione sumere ova, caseum, lac et similia, tum quia hoc ciborum genus maxime ad nutritionem confert; tum quia Clemens XIII. expresse vetuit, ut quibus concessum est lacticiniis vesci in Quadragesima et aliis jejuniis, nonnisi in unica comestione illis vescantur. Immo nec licet in ea comedere pisces, legumina cocta, aliaque ciborum genera, quae ad nutritionem maxime conferunt, licet in parva quantitate. Ita Doctores etiam benigniores; adeoque certa, vera, et sola probabilis habenda est haec doctrina, quum in ea conveniant et severioris et benignioris sententiae Auctores tum veteres, tum recentes, inter quos Antoine, qui tam corrigendus est, dum addit, *et pro morum regione parum casei*, quum caseo vesci et Bened. XIV. et Clemens XIII. expresse vetuerint. Hisce Theologis addi potest et doctrina Bened. XIV. in sua ad Archjep. Compost. Epist. docentis: Illum esse usurpandum a dispensatis in collatione cibum, quibus utuntur homines *jejunantes rectae, meticulosae conscientiae.* Porro manifeste apparet, hujusce generis Christianos sibi religioni vertere in refectiuncula vesci cibis ad nutriendum ordinatis, sed vesci tantum xerophagiis, herbis et fructibus.

III. *Quantitas ciborum in vespertina refectiuncula concessa.*

Quoad quantitatem vero tanquam certam statuo S. Th. Doctrinam hic a. 6. ad 2. quod quantitas cibi non potest eadem omnibus taxari propter diversas corporum amplexiones; attamen quum non agatur de corpore nutriendo, sed leviter refocillando, parva et tenuis sit oportet cibi quantitas in refectiuncula, S. Carolus eam ad unciam cum dimidio coarctavit. Rigida nimium videri poterit haec doctrina; at certe laxae sunt oppositae plurium probabilistarum sententiae docentium, septem vel octo uncias cibi sumi posse in vespertina collatione. Cui laxitati aliam addit Jo. Henriquez ab eodem Diana citatus, qui animadvertit, licere octo uncias sumere ex cibis aridis, sed ex humentibus etiam duodecim uncias concedit. Sunt et benigniores Theologi, qui quartam coenae partem in vespertina collatiuncula sumi posse affirmant. Ab istis igitur laxitatibus recedendo, et nimium vitando rigorem, censerem communiter quatuor uncias non quidem solius panis, quippe qui nimium nutrit, sed partim panis, partim fructuum, vel herbarum sumi posse in serotina collatiuncula; et moveor auctoritate Bened. XIV. statuentis, collatiunculam esse dirigendam juxta viros rectae et meticulosae conscientiae. Porro, ut testatur Molfesius in Sum. tract. 10. *viri timorati non excedunt tres, vel quatuor uncias.* Et sane haec quantitas saltem in pluribus sufficit et ad refocillandum corpus, et ad somnum conciliandum; atque jejunii rigorem non multum emollit. Quod si quis peculiari aliqua de caussa majori indiget cibo, pium consulat et doctum Confessarium ejusque sententiae acquiescat.

Consectaria.

I. ***Num liceat, in serotina refectiuncula, esus piscium recentium et exsiccatorum.***

Licitum non est in serotina collatiuncula ejus piscium parvorum recentium, nec portionis piscium majorum ad mensuram jejunii: Huic doctrinae adversantur non Probabilistae solum, sed et nonnulli Probabilioristae. At naturalis ratio cum ostendit: in jejunio enim nonnisi unica conceditur ad nutritionem comestio: non sunt ergo in coenula concessi cibi ad nutritionem ordinati, in quorum numero certe recensentur pisces recentes tum parvi, tum magni. Num vero in collatiuncula saltem uti liceat piscibus fumo siccatis; vel sale maceratis, negant certe plures etiam benigniores Casuistae, Leander, Salmanticenses, Diana, et alii; quia et hi ex se ordinati sunt ad nutriendum. Non auderem tamen lethalis peccati reum pronunciare, qui aliquibus pisciculis vel salitis vel fumo exsiccatis, puta sardis, sardinis, sarachis, vel parte halaeculae seu haringe in collatiuncula vesceretur, licet quoad qualitatem cibi leviter delinqueret, et facile foret ab hisce pisciculis exsiccatis vel salitis ad recentes gradum facere. Quamobrem nec permittendi sunt cancri, ostreae, camerones, vel conchae sive rotundae sive oblongae, sive striatae, quia licet sint crustata, sunt tamen vere pisces recentes, qui non leviter nutriunt. In maritimis tamen litoribus, ubi incolis desunt fructus sive aridi sive recentes, illis permitti possunt titulo necessitatis, quae legibus vix subjicitur.

II. *Num liceant, in serotina refectiuncula cibi cocti.*

Non conceduntur in collatiuncula cibi cocti praeter olera et herbas, ac proinde non licet vesci pulmentis et leguminibus, sabis, pisis, lente, cicere, orizis, nec pane cocto et oleo ac sale condito, qui papparium dicitur, nisi infirmitatis vel aetatis postulet necessitas: nam certum est et experientia compertum, haec quammaxime nutrire, ut patet in rusticis et plebejis, qui hisce nutriuntur, addito solum pane vel ex tritico vel ex aliis granis; jejunium autem quod de se nutritivum est in secunda refectione recusat. Nec dicas parum referre, num panis in se sumatur in cibum, vel aqua sale et oleo conditus, dummodo quantitatem non excedas, licere proinde de se absolute papparium in refectiuncula comedere: nam licet haec in se et physice spectata idem videantur, moraliter tamen, et in ordine ad nutritionem valde differunt: nam experientia constat, panem de se sumptum et separatum lunge minus nutrire ipso pane per iteratam coctionem et olei salis et aquae mixtionem composito, ut apparet in infantibus, qui ab uberibus amoti hujusmodi pappario mirifice aluntur, crescunt, pinguefiunt; senili tamen aetati et languidiori stomacho in tenui quantitate concedi potest.

CAPUT VII.

De Personis lege jujunii obstrictis.

I. *Lex jejunii est universalis; non tamen omnes omni tempore obligat.*

Lex jejunii universalis est, omnesque baptizatos obstringit. Non sunt propterea ab hac lege immunes Haeretici, qui proinde quum abjurata haeresi in sinum Ecclesiae revertuntur, de contemptis, violatisque jejuniis et poenitere et confiteri tenentur, quippe qui ratione suscepti baptismatis Ecclesiae legibus subjiciuntur; quod in infidelibus minime locum habet, quum nunquam ob Baptismi carentiam Ecclesiam Christi ingressi sint. Non omnes tamen fideles statim ac vitae vel usus rationis attingunt, hoc obligantur praecepto, sed ex communi, etiam a pluribus seculis invecta disciplina, invalescens aetas requiritur, quae advenire censetur tertio septennio completo. Nam ut observat, et docet S. Th. hic a. 4. ad 2. » In pueris et evidens » caussa non jejunandi tum propter debilitatem naturae, ex qua » provenit, quod indigent frequenti cibo, et non multo simul as- » sumpto; tum etiam quia indigent multo nutrimento propter neces- » sitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti, Et ideo quamdiu » sunt in statu augmenti, quod est in pluribus usque ad finem tertii » septennii, non tenentur ad Ecclesiastica jejunia ». Ex quo infertur et immunes esse a jejuniis sive a Communitate, sive a Synodis, sive ab Episcopis, vel etiam ex immemorabili consuetudine inductis: si enim universalis legi jejunii ob aetatis defectum non subjiciuntur, multo minus particularibus statutis et peculiaribus praeceptis obnoxii erunt.

II. *Adolescentes aliquando jejunio subjiciuntur.*

Fieri tamen potest, ut aliquando adolescentes sub praecepto jejunare cogantur. Et primo quidem lege naturali jejunii, quae proculdubio obligat etiam independenter a positiva Ecclesiae lege, ut superius cap. 1.

ostendimus ex D. Th. l. l. a. 3. docente: » Quia jejunium utile est » ad deletionem et cohibitionem culpae, et elevationem mentis ad » spiritualia, unusquisque ex naturali ratione tenetur tantum jejuniis » uti, quantum sibi necessarium est ad praedicta ». Quamobrem ad hoc attendant oportet Confessarii circa adolescentes, qui tertio septennio concupiscentiae motibus vexantur, quibus etiam ita consentiunt, ut libidinosum induant habitum, quo per totam vitam non spolientur; cogendi enim sunt jejunii insolescentem concupiscentiam cohibere, et de commissis peccatis corporis castigatione Deo satisfacere. Immo addo, valde probabilem esse S. Th. sententiam, adolescentes tertio decurrente septennio, per aliquos saltem in hebdomada dies jejunare debere. Scribit enim 4. Sent. dist. 15 q 3. a. 2. q. 3. » Quia » quanto ad terminum praedictum (tertii septennii) appropinquant, » tanto virtus naturae magis roboratur, et augmentum tardius pro» cedit (quum in primis quinque annis perveniat puer ad medieta» tem totius augmenti, ut Philosophus dicit); et ideo secundum » quod magis appropinqnant ad praedictum terminum, sunt eis je» junia magis commensuranda ». Hinc dum parentes, Parochi, Confessarii adolescentibus indicant, Ecclesiastici jejunii praecepto non urgeri ante tertium completum septennium, illos tamen admonere debent de necessitate aliquoties jejunandi tum ad concupiscentiam frenandam, tum ad Deo satisfacendum, tum denique ut jejunio assueti minus laboris experiantur, quando urgente praecepto jejunare obstringentur. Parentes praesertim pueros ad jejunium provocent tum exemplo tum hortatione suadendo, ut in omnibus sextis feriis, vel sabbatis jejunent, in perfecto jejunio, saltem abstinentia a jentaculo matutino et pomeridiano, vel saltem alterutro, et coenae aliquid subtrahendo. 2. Praeterea licet, ut diximus, peculiaribus Dioecesis, vel Civitatis jejuniis non obstringantur, contingere tamen potest, ut scribit S. Th. l. l. a. 4. » ut magna tribulatione imminente, in signum » poenitentiae arctioris etiam pueris jejunia indicantur; sicut etiam » de jumentis legitur Jonae 3. v. 7. *Homines et jumenta non gustent » quidquam*, nec *aquam bibant* ». Et hoc urgente praecepto, jejunio obstricti sunt. 3. Si voluntarie ex voto jejunia aliqua sibi assumant, reddere debebunt domino vota sua, quae distinxerunt labia sua. 4. Si alicui sint regulari Ordini addicti, in quo peculiaria sint indicta jejunia, ea custodienda ab ipsis erunt juxta modum a Regula constitutum. Hinc sequitur, tunc teneri etiam ad ipsa Ecclesiae universalia implenda jejunia, si horum custodia ab ipsa regula praecipiatur sub modo tamen ab ipsa constituto, scilicet sub lethalis peccati onere, si ita obstringat, ut in Regula S. Francisci, vel solum sub veniali, ut in Regula Carmelitarum, vel denique solum sub poena, ut in Ordine Praedicatorum. Denique licet adolescentes sint a lege jejunii immunes quantum ad unicam refectionem servandam, sunt tamen illi obnoxii quoad abstinentiam a carnibus, ut superius dictum est.

III. *Num senes sint a jejunii onere soluti.*

De tempore, quo desinit obligatio jejunii nihil certi habetur ac determinati. Recentiores Theologi duobus ab hinc seculis scribentes tanquam certum, exploratumque statuunt, senes a jejunio esse solu-

tos, et solum disputant, quando senectus incipiat. Verum nec Patres, nec Concilia, nec Pontifices a jejunio senes dispensatos agnoverunt, immo *senibus*, ajebat (S. Basilius) *consuetudo et familiaritatis jejunii levem facit laborem*. Et auctor sermonis Ambrosio tributi de sancta Quadrag. 7. senes in exemplum jejunii juvenibus proponebat scribens: *Pudet dicere, senes et aniculae Quadragesimam faciunt, juvenes et juvenculae non faciunt*. Postremis autem seculis 14. et 15 praedicabat S. Vincentius Ferrerius serm. 1. fer. 4. Cin. *Senes octaginta annorum vel amplius, qui semel bene possunt comedere, non excusantur, quia ipsi* (non jejunando) *peccant mortaliter*. S. Antoninus idem sentit scribens p. 2. tit 6. cap. 2. § 6. *Ratione autem senectutis tantum non excusantur, si sint fortes ad sufferendum jejunium, nec est determinata aetas ab aliquo usque ad quos annos quisque teneatur jejunare*. Veritatem hujus doctrinae confirmat experientia. Navarrus enim de se testatur octuagesimum annum agente: *perinde possum jejunare ac quum agere sexagesimum, immo et quinquagesimum*. Confirmat Pontasius casu 18. dicens: Idem de nobis affirmare possumus, qui octuagesimum septimum aetatis nostrae mense Januario anni 1725. attigimus. Plures alios enumerat Concina Auctores pro nostra vera sententia etiam et Probabilistarum numero, quibus ex recentioribus addo Lucium Ferrarium V. Jejunium a. 2. n. 16. Besumbes cap. 4. n. 6. Borangam cap. 3. § 3. Cuniliati cap. 1. n. 3. Franzojam animad. 14. in cap. 3. Busembau, Vatolo lib. 2. de temperantia cap. 4. n. 3.

IV. *Quid dicendum de Advenis, Peregrinis, et Vagis.*

Superest, ut de Advenis, Peregrinis, Viatoribus, et Vagis dicamus, num scilicet teneantur legibus jejunii non universalibus ubique obligantibus, sed particularibus Urbis, Territorii, locique, per quae transeunt, vel aliquandiu subsistunt, puta jejuniis, diebusque festivis particularibus. In Tract. de Leg. Diss. 3. cap. 8. n. 10. et 11. binas statuimus generales regulas, in quarum 1. diximus, praefatos non teneri legibus locorum, a quibus excedunt, nonnullis exceptis casibus; in 2. teneri legibus locorum, in quibus saltem moraliter esse dicuntur. Superest, ut has regulas praecepto de jejunio et auditione Missae aptemus. Advenae subditi sunt legibus illarum Civitatum, in quibus commorantur ratione loc. cit. adducta. Hinc studentes, Milites, Mercatores, Famuli, Mercenarii, aliique, qui in aliquo loco, licet non domicilii, diutius versantur, legibus loci subditi sunt, proinde jejuniis et festis ibi occurrentibus, Peregrinis quoque absolute tenentur jejunia et festa celebrare locorum, per quae transeunt; quia Peregrini saltem transeunter subditi fiunt superioris sive spiritualis, sive temporalis ibi dominantis. Sicut itaque tenentur solvere tributa etc. ita immunes non sunt dicendi ab oneribus ab Ecclesiastica potestate impositis. Vagi denique et ipsi legibus locorum, per quae transeunt, subjiciuntur; ideoque et jejunia et alia praecepta servare debent, alioquio omnino exleges essent, quippe qui nullibi legibus tenerentur, quum nullibi domicilium habeant: quod quum falsum sit, nemo non videt.

CAPUT VIII.

De caussis a jejunio excusantibus.

I. *Quot sint caussae a jejunio excusantes.*

Tres communiter a Theologis enumerantur caussae, quae ab observantia jejuniorum possunt fideles excusare, nimirum impotentia, labor, et pietas; quibus nonnulli addunt et quartam, scilicet dispensationem; at quum haec non concedatur nisi aliis existentibus enumeratis caussis saltem dubiis, omnes ingreditur, ac proinde quando haec sit necessaria de aliis caussis agendo dicemus. Impotentia itaque physica sive moralis proculdubio ab onere jejunii liberat, quum ad impossibile nemo teneatur; licet ipse sui morbi in caussa fuerit, et impotentia ex culpa duxerit originem, ut si quis in rixa vel in duello ab hoste vulneretur, et graviter decumbat, hic tunc jejunare non tenetur. Omnes itaque infirmi, debiles, convalescentes excusantur a jejunio, quando potest eorum bonam valetudinem impedire, vel malum augere, vel quanto urgentis infirmitatis periculum instet. Pauperes quoque, qui, ut inquit S. Th. hic q. 74 a 4. ad 4. frustatim eleemosynam mendicant, qui non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat, a jejunio *ob physicam impotentiam* excusantur; ubi tamen advertendum, duo in pauperibus requirere S. Th. ut a jejunio liberentur, 1. ut ostiatim mendicent; 2. ut habere non possint *simul*, quod eis ad victum sufficiat; si enim, subdit, » possunt sufficienter » habere quod eis sufficiat ad unam comestionem, non excusantur » propter paupertatem a jejuniis Ecclesiae ». Si ergo ostiatim mendicando paullatim obtineant, quod ipsis ad unam comestionem sufficiat, non debent, quod illis pluribus vicibus datur, statim comedere, sed reservare, et unica sufficienti comestione absumere, ut eo, quo possuot, modo jejunium observent; nisi forte media debilitentur, et sustentatione indigeant.

II *Discrimen inter impotentiam et difficultatem.*

Quod animadvertendum est hac in re a sacrae Poenitentiae Ministris est distinctio impotentiae jejunandi a difficultate et molestia in jejunando: illa enim vere a jejunio excusat, quando scilicet, ut explicat S. Thom. *in magnum gravamen cederet jejunantis*; at sola difficultas vel molestia non excusat: nam certum exploratumque est jejunium institutum ad comprimendam concupiscentiam, ad satisfaciendum Deo pro peccatis, ad ejus implorandam misericordiam, quod sine difficultate ac molestia esse non potest. Hanc ergo doctrinam semper prae oculis habeant ut recte dijudicare possint, quinam vera impotentia a jejunio legitime exonerentur.

III. *Quod labor a jejunio excuset.*

Quod de impotentia diximus et de labore intelligendum est. Non enim quicunque labor a jejunio liberat, sed qui officit valetudini, et vel morbum parit, vel inducere aptus est. Ut autem cognoscere possimus laborem vere a jejunio excusantem, audiamus D. Th. duas statuentem regulas vere aureas et tutas. Prima est: *Labor ille a jejunio excusat, qui dimitti, aut diminui non potest absque detrimento salutis corporalis, et exterioris status, qui requiritur ad conservationem*

corporis vel spiritualis animae. Cooflata est iisdem verbis, queis utitur S. Th. hic q. 147. a. 4. ad 3. ubi ait: » Circa peregrinis et operarios » distinguendum videtur; quia si peregrinatio et operis labor commode differri aut diminui possit absque detrimento corporalis sa- » lutis, et exterioris status, qui requiritur ad conservationem corpo- » ralis, vel spiritualis vitae, non sunt propter hoc Ecclesiae jejunia » praetermittenda ». Ubi notandum, S. D. requirere ad omittendum jejunium, ut ejus observantia non molesta sit, non affligens, non debilitans, sed *nociva*, et detrimentum afferens corporali saluti, vel exteriori statui, non cuicunque, sed *necessario* ad conservationem vitae corporalis. Ad hanc regulam non attendentes recentiores casuistae in plures lapsi sunt erroneas, falsas, et laxas propositiones, cujusmodi sunt binae illae ab Alex. VII. damnatae, 30. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio*. 31. *Excusantur absolute a praecepto jejunii, qui iter agunt equitando utcunque iter agant*. His accedunt illae sententiae, per quas Probabilistae a jejunio dispensatos declarant omnes artifices, atque sutores, studio incumbentes, portantes onera, coquos condentes cibos, fornarios, textores, molendinarios, argentarios, aurifices, vendentes per vicos et plateas, curatores pellium, mulieres lavatrices, vel etiam solum extendentes et plicantes pannos, pictores, sculptores, typographos, typis assistentes, marinarios, milites, templa ornantes, studentes, conclusionem defendentes, aut oppositionem facientes, advocatos, procuratores, judices nimium laborantes, scribas, secretarios Principum, Episcopos in diebus Ordinationum, infirmarios multis infirmis assistentes, barbitonsores et sartores etc.

IV. *Regula secunda: de labore a jejunio excusante.*

Regula secunda est: *Labor etiam gravis, et detrimentum grave afferens saluti corporis a jejunio non liberat, si sit voluntarie, non necessario assumptus, nec a pietate vel caritate imperatus*. Ita diserte docet S. Thom. laud. art. ad 3. » Si autem immineat *necessitas* .... » multum laborandi vel propter conservationem vitae corporalis, vel » propter aliquod *necessarium* ad vitam spiritualem, et simul cum » hoc non possint Ecclesiae jejunia observari, non obligatur homo » ad jejunandum ». Quod confirmat in 4. sent. dist. 15. q. 3. a. 2. q. 2. addendo etiam in resp. ad 4. adeo necessitatem requiri in laborioso opere perficiendo, ut sola utilitas temporalis non sufficiat ad legitimam a jejunio liberationem: *Intentio majoris lucri non necessarii eos a peccato non excusat, si jejunium frangant*. Eamdem doctrinam tradit S. Antoninus 2. P. tit. 6. cap. 2. §. 6. » Multum laborantes, » quibus immineat *necessitas* multum laborandi, si non possunt je- » junium observare, excusantur. Alias si possunt utrumque facere » commode, tenentur jejunare ». Et herum inculcat; » Si possunt » differre .... aut subtrahere, aut diminuere laborem, itaut possint » jejunare, et ex hoc non incurrant detrimentum sui status, tenentur » ad jejunium ». Et hujus autem regulae ignoratione vel contemptu recentiores Casuistae alias non minus laxas et falsas doctrinas posuere, et praecipue secundam 31. damnatae propositionis partem: *Excusantur absolutae a praecepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equi-*

tando, utcunque iter agant, etiamsi iter Necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant. Falsae proinde ac laxae habendae sunt sequentes doctrinae Sancii et Dianae: » excusantur a jejunio, qui labore » aliquo defatigantur, quamvis illum in alium diem commode dif- » ferre queant, etiamsi data opera ut non jejunent hoc agerent, » etiamsi in fraudem jejunii id agerent ». Pasqualigi: » qui assumit » media illicita, et ita laboriosa, ut sint incompatibilia cum jejunio » ea intentione non servandi jejunium, non peccant contra praece- » ptum jejunii ». Immo et quod horrendum est, dispensantur a jejunio, qui fatigantur puellam a stupro fugientem insequendo, qui tactibus venereis, vel nimio coitu debilitantur, licet id faciant *in fraudem jejunii*, et ea intentione, ut facti impotentes non jejunent.

V. *Quando Pietas et Charitas, a jejunio excuset.*

Tertius a jejunio excusans titulus est Pietas, seu Charitas, et quidem justus et licitus: non enim jejunium impedire debet majus bonum, et praesertim pietatis et charitatis opera; et quidem non solum quando hoc ex officio, obedientia, et necessitate exercenda sunt, sed etiam quando ex voluntate assumuntur, dummodo tamen hae tres non desint conditiones, nimirum 1. ut haec opera differri nequeant extra jejunii tempus. 2. Ne in fraudem jejunii assumantur. 3. Ut sint majoris bonitatis et perfectionis, quam jejunium, quod scontabit, quando opera nostra pietatis et charitatis in majorem Dei honorem cedant, et in proximi utilitatem nostra opera eo tempore indigentis. Haec doctrina ex variis D. Th. locis desumpta est. Et quia facile error subrepere potest, et quis arbitrari magis pium opus, quod voluntarie assumit, quam jejunium ab Ecclesia impositum, docet, in hujusmodi casibus *recurrendum esse* ad superioris dispensationem. Hac de caussa dispensantur qui vigilare debent per totam noctem et in die operari ad inserviendum infirmis in Xenodochiis, vel etiam in Coenobiis, quando plures aegrotant, et praesertim quando ex instituto, obedientia, et charitate sunt tum spiritualia tum corporalia misericordiae opera exercenda. At nimirum hunc titulum dilatant Probabilistae, dum eo nomine a jejunio liberant Ludimagistros, Lectores, et Cathedraticos cujuscunque facultatis, Cantores, Confessarios nimium Confessionibus assistentes, etiamsi id faciant ex libito, etiam lucri gratia, Concionatores, Oratores Principum, Praesides Consiliorum, immo et Consiliarios ipsos, Praefectos Urbium, Duces exercituum etc.

VI. *De dispensatione a jejunio.*

Postremo loco justa solutionis a jejunio caussa est dispensatio, de qua late diximus Cap. 3. quae et hic servata proportione aptanda sunt.

CONSECTARIA.

I. ***A jejunio solutae sunt foeminae praegnantes et lactentes.***

Uxores praegnantes et lactentes communiter a jejunio excusantur, non tamen lege statuente, sed necessitate postulante, quippe quia ut plurimum indigent abundatiore cibo, tum in sui tum in foetus seu prolis sustentationem. Ita docent communiter Doctores tum antiqui tum recentiores cum S. Antonino 2. par. tit. 6. cap. 2. §. 6. Immo non solum a jejunio; sed et ab abstinentia carnium sunt dispensan-

dae, si ita postulet debilitas, aut infirmitas tum sua tum prolis sive nasciturae, sive lactentis; sicut etiam si vehementi appetitu carnes desiderarent cujuscunque generis sive salubris, sive insalubris, illis sunt concedendae; quia nisi hoc vehemens desiderium expleant, vita foetus periclitatur, et abortui subjacere possunt. Addidi tamen non *lege statuente*, sed *necessitate* postulante. Hinc, quidquid dicant Salmanticenses, ubi intimo sensu et experientia sentiunt se bene valere, et posse absque detrimento sui et prolis jejunare, jejunare absque scrupolo possunt, et etiam debent, sin semper, saltem per aliquot dies sive in hebdomada, sive in tota Quadragesima.

II. *Quomodo artes laboriosas exercentes, a jejunio liberentur.*

Artes laboriosas exercentes, cujusmodi sunt Agricolae, Fabri lignarii, et ferrarii, Lapidicinae, Figuli, Textores, Bajuli, Fullones, Lanarii, Aurigae, Coriarii, Nautae, Remigantes, Torcularia in Typographiis calcantes, aliique communiter a jejunio excusantur; quia communiter nequeunt sine magno gravamine jejunare. At si vel minuere laborem possunt, vel illud jejunio conjungere, ad illud observandum tenentur. Hinc quum in diebus festivis a labore cessant, tenentur ad jejunium si illis diebus concurrat. Exercentes vero artes non adeo laboriosas, vel de quibus merito dubitari possit, utrum ita corpus fatigent, ut cum jejunis sociari non possint, nec absolute a jejunio immunes sunt, nec dispensari debent, nisi prius experiantur, num ipsis grave afferat detrimentum jejunium labori sociatum. In hac classe recensentur Sutores, Sartores, Pictores, Barbitonsores, Argentarii, Sculptores, Molitores, Furnarii, Coqui, Milites, Typographi characteres tantum componentes, iisque similes. Ratio est, quia quum praefatae artes vel sedendo exerceantur, vel integri diei laborem non afferant, vel labor non adeo durus sit et gravis, ut cum jejunio sociari nequeat, absolute a jejunii lege non solvunt. Fieri tamen potest, ut in aliquibus corporis debilitas, virium deficientia eos a jejunio liberet: non enim sola laboriosi operis natura pensanda est, sed et laborantis vires, corporis habitus, et debilitas; et licet ex priori capite dispensati a jejunio non sint, ex altero tamen excusari merentur.

III. *Num excusentur qui magis mente, quam corpore laborant.*

Qui demum artes exercent, in quibus magis mens quam corpus laborat, absolute a jejunio non excusantur, cujusmodi sunt Pictores, Notarii, Scribae, Procuratores, Advocati, Judices, Musici, Cantores, Medici, Chirurgi, aliique paris muneris et officii: Ratio est quia hujusmodi omnia parum corporis vires debilitant, et cessatione a labore mentis magis levantur, quam abundantiori cibo. Denique his omnibus a jejunio solutis, jam nullus erit qui jejunii lege teneatur, nec ipsi Regulares, quum et ipsi Cantores sint, et magis in Quadragesima et in hebdomada majori ecclesiastico cantui dent operam, quam in reliquis anni diebus.

IV. *Quinam titulo pietatis non sint a jejunio dispensati.*

Titulo pietatis non sunt a jejunio dispensati Lectores, Professores, Ludi Magistri, nec Confessarii, et Concionatores. Nam Lectores et Professores, sicut et Ludi Magistri non tanto premuntur labore et onere, ut plures artifices, qui non per aliquot tantum horas ope-

rantur, sed de mane usque ad multam noctem operi suo incumbunt, ut Sartores, et Pictores, qui tamen a jejunio non dispensantur. Si qui ergo Lectores, Professores, Ludi Magistri ex eorum officio detrimentum patiantur, hoc non tam muneri, quam imbecillitati et corporis debilitati est tribuendum; dispensandi igitur pro modo indigentiae. Confessarii vero munus, licet et per totum diem, et in multam noctem, et etiam per plures dies, ut in Missionibus contingit, exerceatur, taedium quidem immensum, et animi sollicitudines affert, ac mentis laborem exposcit; at corporis debilitationem, et virium defectum non adfert; adeoque cum jejunio sine magno incommodo, et nullo certe valetudinis detrimento conjungi potest. De Concionatoris officio major esse potest difficultas, quippe quod et corporis laborem secum adfert, et mentis defatigationem. De his 1. statuendum puto: qui non ex officio et obedientia, sed ob lucrum vel gloriam captandam hoc munus exercent, et non possunt a carnibus abstinere, ab hoc officio cessare debent, tum quia ita statuunt plures Religiosorum Ordinum Constitutiones, etiam illorum, qui ad Predicationis munus sunt ordinati. In Constitutionibus Ordinis PP. apud Fontanam tit. de Predicatoribus statuitur: » Concionatores, qui » tempore Quadragesimae a carnibus abstinere non valent, per » Quadragesimam ad populum concionari non possint, *ne plus tanto » scandalo offendant, quam verbis aedificent* ». 2. Quia experientia constat, a carnibus abstinentiam etiam cum quotidiana Concione sociari posse: plurimi enim sunt quotidiani Concionatores, qui magno spiritus fervore concionantur, et tamen de violanda a carnibus abstinentia nec cogitant: immo si experientia prospicerent, se non posse et predicare et a carnibus abstinere, munus praedicationis omitterent. 3. Quomodo Concionatores ad poenitentiam populum hortari et inducere possunt, dum ipsi poenitentiam aversantur; et carnibus saturati jejunium aliis praedicant? Et hoc fortassis in caussa est, cur plerumque hujusmodi Concionatores non alium referant fructum, quam steriles plausus et inanem gloriolam. Multoque minus ab hac abstinentia immunes erunt, qui solum ter aut quater in hebdomada Conciones habent. 2. Quoad jejunium vero nimis laxa est habenda illorum Casuistarum sententia, qui illos a jejunio pronunciant exoneratos iis etiam diebus, quibus Conciones non habent. Qui vero quotidie praedicant facilius contingere potest, ut a jejunio immunes sint, qui tamen dispensationem impetrare debent a suis Superioribus, qui et fructu et labore inspecto concedere possunt. Coeterum quotidianum laborem unius horae, cum jejunio sociari posse ostendunt et plurium Concionatorum exemplum, et ipsorum etiam artificum et operationum quotidiani labores, qui, licet duri non sint sicut Rusticorum, Fabrorum etc. certe tamen labores superant Concionatorum, et tamen a jejunio non liberantur. Suae itaque conscientiae consulant Praedicatores, et coram Deo expendant, et experientia etiam comprobent, num concionandi munus cum jejunio sociare possint, etiam cum aliquo labore et incommodo: si enim se posse comperiant, a jejunio solo concionandi titulo immunes non sunt habendi.

CAPUT IX.

De cooperantibus jejunii violationi.

I. *Regulae cooperationis ad malum repetuntur.*

Tametsi ex iis, quae diximus Tr. de Virt. Theol. Dissert. 3. cap. 8. facili negotio dignosci queat, quando quis peccet cooperando violationi jejunii, nihilo tamen minus operis ratio postulat, ut ibi constitutas universales regulas peculiari de jejunio doctrinae aptemus. Diximus itaque loc. laud. Reg. 4. tunc quempiam actioni alterius cooperari, non vero malitiae, quando principalis caussa aeque licite et illicite potest actionem illam elicere; quod vero illicite agat, totum ex sua pendet mala et perversa voluntate, tunc enim qui cooperatur non peccat; at quando actio ita mala est, ut principalis caussa peccatum vitare non possit nisi ab actione cessando, tunc qui cooperatur, nedum actioni, sed et malitiae cooperatur, ac proinde peccati particeps et consors evadit. Quam regulam exemplo illustravimus mutui ab Usurario petiti: qui enim mutuum poscit, actionem flagitat, quam usurarius et bene potest et male exercere, bene quidem mutuum dando gratuitum, male sub usuris mutuando. Hinc qui mutuum petit, licet actioni cooperetur, malitiae tamen non cooperatur, proinde nullo scelere polluitur. Diximus Reg. 5. Quum quis ab alio actionem, vel materiam aliquam postulat, qua licet bene et male uti possit, certe tamen constat nonnisi ad malum usum peti, qui concedit, vel assentitur, ejus pravitati, non soli actioni consentit: tunc enim qui cooperatur, pravae actioni cooperatur, et quidem non praecise ut actio est, sed ut prava est, quum probe noverit nonnisi ad pravum usum peti.

II. *Peccant Parentes, qui filiis jejunium violare sinunt.*

Peccant Parentes et patres-familias, qui filiis, domesticis, vel servis jejunium violare permittunt, et multo magis si eis cibos ministrent. Tenentur enim parentes filios suos corrigere et corripere, si Dei vel Ecclesiae mandatis non obtemperent, proinde si eos sinant jejunium violare, eorum iniquitati cooperantur; immo et in caussa esse dici possunt, qui enim non vetat quum possit, jubet. Debent igitur parentes filios suos et exemplo ad jejunium provocare, et vetitos cibos, et secundam comestionem illis denegare. Quod si filii adeo protervi sint et effraenes, ut si parentes eos ad jejunium cogere velint, gravia scandala et perturbationes in familia excitari vereantur, tunc dissimulare poterunt, nec paterna uti potestate: tunc enim non eorum iniquitati cooperarentur, sed solum eos peccare permitterent ad majora vitanda mala; quod quandoque permissum esse de cooperatione tractantes ostendimus. Quoad famulos vero, licet domini potestatem non habeant cogendi ad jejunia, possunt tamen et tenentur eos admonere et corripere, et si pertinaces inveniant, etiam domo pellere. Quod si non praestent; peccabunt quidem contra charitatem, eorum tamen peccato cooperari minime dicendi sunt, quum tota malitia in famulo resideat, licet illi alimenta pacta suppeditent, dummodo haec sint in determinata quantitate praestituta, nam si solum in genere condictum sit, ut alimenta suppeditentur, non possunt Domini coe-

nam famulis dare; quia alimentorum promissio intelligitur ad normam divinae et ecclesiasticae legis, et sicut si infirmi sunt, debent illis carnes et in Quadragesima praebere, ita si sani sunt et bene valentes, solum juxta Ecclesiae leges cibum suppeditare tenentur.

III. *Quid dicendum de famulis et ancillis inservientibus Dominis.*

Non licet famulis et ancillis cibos parare et ministrare in die jejunii vetitos Dominis, si certo noverint nulla legitima caussa a jejunio excusari, multoque minus si haeretici sint. Haec doctrina ex praestitutis regulis sponte fluit: nam comedere carnes et coenare in die jejunii jam malum est: ergo sicut peccat qui comestionem de se indifferentem usurpat in die jejunii, ita et peccat, qui in tali die huic comestioni cooperatur. Addidi, praesertim si haeretici sint, non solum quia et ipsi praeceptis Ecclesiae subjiciuntur, sed quia plerumque ex contemptu sin formali, certe virtuali legis ecclesiasticae carnes in diebus vetitis comedunt, et coenant in diebus jejuniorum; ac proinde iniquum est catholicos famulos illorum contemptui cooperari. Dixi tamen, si certo noverint, Dominos a lege jejunii non excusari, non posse illis famulos et ancillas ministrare: nam Catholicorum famuli praesumere et quidem prudenter possunt, Dominos suos legitima caussa vel ab abstinentia vel a jejunio excusari, quamvis hoc illis compertum non sit; quamobrem non facile temere judicare debent et scrupulose in eorum vitam inquirere, sed bona fide illis servire et ministrare et carnes et coenam: nemo enim est praesumendus malus, nisi probetur malus.

IV. *Quando peccent Tabernarii et Caupones, coenam vel carnes ministrando.*

Non licet Tabernariis et Cauponibus vel invitare ad coenam hospites aut requisiti illis vel carnem vel coenam suppeditare, si certo sciant, eos violare jejunium, vel si dubitent, interrogare debent, num sint a jejunio dispensati; multoque minus denegare hospitium iis, qui in diebus jejuniorum coenare recusant. Nam qui invitat alium ad coenandum in die jejunii, ad opus invitat malum et vetitum, proinde offensionem illi praebet et scandalum et vere ad peccandum inducit. Alteram partem sustinent nobiliores Theologi. Nam si certo sciant eos violare jejunium, eorum iniquitatis participes fierent et violationi jejunii cooperarentur. Si vero dubitent, dubio quidem prudenti, pariter peccarent, quum nemo possit sine crimine periculo peccandi se exponere. Tenentur interrogare, quae interrogatio non est ipsis ullo pacto onerosa, quum immo obvia sit et necessaria: nam illos interrogare debent de quantitate et qualitate apponendorum ciborum, ac proinde nosse, num coenare velint, vel brevem cibum capere. Tertia vero pars adeo de se aperta est et manifesta, ut nemo sit sanae mentis, qui ejus non agnoscat apertam veritatem: nam denegare hospitium coenam recusantibus in die jejunii est illos ad peccandum impelere. Nec dicat quis, Caupones non cogere hospites ad coenandum, sed ad coenae pretium solvendum sive manducent, sive non manducent. Nam et hoc idem scandalum non tollit, et vere est ad peccatum inducere, et praeterea iniquitati malitiam furti, seu potius rapinae addere, quum velint hospites pretium solvere ciborum, quibus non vescuntur, et ipsis adhuc reddun-

tur. Nemini pariter licet jam dispositum ad violandum jejunium ad coenam invitare: nam invitando ad coenam non solum ejus iniquitati cooperatur, sed ad actum peccaminosum inducit; non excusatur, quia invitatus jam alias dispositus est ad jejunium violandum, nam haec ejus prava animi dispositio non impedit, quin invitans vere ad peccatum alterum alliciat.

V. *Peccant qui nolunt operarios conducere, nisi violent jejunium.*

Peccant qui operarios conducere nolunt, nisi pacto inito ne jejunent. Id docet S. Th. in 4. dist. 15. q. 3. a. 2. q, 4. ad 3. scribens. » Nec illi a peccato immunes sunt, qui operarios conducere nolunt, » nisi tali pacto ut jejunium solvant; nisi forte sit caussa necessaria, » quae festinationem operis, pro quo laboratur, exposcat ». Et merito quidem, quia jam ante docuerat, solum tunc laborem jejunium impedientem assumi posse, quandò *necessitas* ad laborandum compellit. Peccant pariter Domini, qui servos suos jejuniorum diebus ita gravibus laboribus onerant, ut jejunare non possint, si laboriosa opera vel in alios dies differre valent, vel ita in plures dividere absque suo gravi damno, ut servi et operarii jejunare valeant. Peccant quoque qui vetitos cibos in Quadragesima venales publice exponunt, quia id in scandalum cedit et contemptum Quadragesimalis jejunii.

DISSERTATIO III.

De Tertio et Quarto Ecclesiae Praecepto.

Annua Confessione et Paschali Communione.

In hac Dissertatione ea tantum sumimus expendenda de duplici Sacramento Poenitentiae et Eucharistiae, quae Ecclesiae praeceptum respiciunt; proinde nec eorum necessitatem, conditionem, materiam, coeteraque ad ea spectantia exponenda suscipimus, suo loco horum omnium tractationem reservantes. De sola itaque ab Ecclesia inducta obligatione annuae Confessionis et Paschalis Communionis paucis capitibus agemus.

CAPUT I.

De praecepto annuae Confessionis.

I. *Datur verum praeceptum de annua Confessione.*

Verum et rigorosum ab Ecclesia impositum cunctis fidelibus praeceptum annuae Confessionis omnes ad unum docent Canonistae et Theologi; et revera hoc indictum mandatum habetur in Lateranensi Concilio anno 1215. celebrato sub Innoc. III. et confirmatum in Tridentino sess. 14. can. 8. his verbis: » Si quis dixerit, Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam a piis abolendam, aut ad eam » non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christifideles juxta » magni Concilii Lateranensis Constitutionem, semel in anno, et ob » id suadendum esse fidelibus. ut non confiteantur tempore Quadragesimae, anathema sit ». Porro hujus praecepti gravitatem ostendit tum materia ipsius praecepti, quae gravissima est, tum

poena transgressoribus indicta, quae profecto levi culpae convenire non potest. Est autem Confessionis praeceptum pro in peccatum lapsis in se juris plane divini, et solum juris ecclesiastici est quoad tempus ab Ecclesia definitum, ut docet S. Th. in 4. dist. 17. q. 3. a. 1. q. 3. in corp.

II. *Quinam huic praecepto subjiciantur.*

Huic Ecclesiastico Praecepto subjiciuntur omnes fideles baptizati et mares et feminae, quum ad usum pervenerint rationis, ut statuit Innoc. in laud. Decreto; quamobrem obligantur et Haeretici, qui ex susceptione Baptismi legibus subjiciuntur ecclesiasticis. Ad usum vero rationis tunc puerum pervenisse censendum est, ut explicat Tridentini Concilii Catechismus P. 2. de Sacr. Poen. n. 58. » Quum inter » bonum et malum discernendi vim habet, in ejusque mente dolus » cadere potest ». Licet autem aetas doli capax certo aliquo annorum numero definita non sit, in plerisque tamen post septennium occurrit; at si fortassse in aliquibus ante lumen rationi effulgeat, adeout peccare lethaliter possint, etiam ante septennium Confessionis praecepto subjiciuntur. Hinc monet optime S. Carolus Borromaeus in sua Instruct. Confess. cap. 9. » Optimae erit consuetudinis » puellas, puellulus, etiamsi quintum aut sextum aetatis annum nec » dum excesserint, ante Confessarium adducere, ut sic incipiant pau- » latim instrui, ac manu quasi in cognitionem atque usum hujus » Sacramenti transferri. Caveant tamen accurate Sacerdotes, ne ab- » solutionem eis praebeant, in quibus nec idonea materia, nec ea » rationis plenitudo reperitur, ut extra controversiam judicare pos- » sint eos hujus Sacramenti capaces esse ».

III. *Valida indicitur Confessio.*

Vi hujus praecepti tenetur homo validam Confessionem et sinceram facere, nec satisfacit praecepto per invalidam, multoque minus per sacrilegam Confessionem. Haec doctrina certissima omnino est ex Ecclesiae definitione, qua Alex. VII. propositionem damnavit in ordine 19. asserentem: *Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit praecepto Ecclesiae.* Et merito quidem: nam Ecclesia eam determinato tempore praecipit Confessionem, quae fidelibus cunctis ex divino praecepto indeterminate necessaria est ad peccatorum remissionem obtinendam: porro sicut qui invalidam vel voluntarie nullam elicit Confessionem nec divinum praeceptum implet, nec remissionem consequitur peccatorum: ergo nec Ecclesiae praecepto satisfacit.

IV. *Quid dicendum de illo, qui non habet nisi venialia.*

At si quis toto anno nullum lethale crimen admisit, an teneatur de venialibus confiteri, ut annuae Confessionis praecepto satisfaciat, operosius quam opus sit inquirunt Theologi, quum in praxi vix locum habeat haec quaestio; nam in praxi qui per annum integrum ab omni lethali abstinent, etiam frequenter confitetur. Satis itaque puto ad laud. quaestionem D. Th. doctrinam hic proferre, qui in Suppl. q. 6. a. 3. ad 3. explicans institutionem Ecclesiae in Conc. Later. sic scribit: » Ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, » sed ex institutione Ecclesiae, quando non habet alia, quae confi- » teatur. Vel potest dici secundum quosdam, quod ex Decretali prae- » dicta (Innoc. III.) non obligantur nisi illi, qui habent peccata

» mortalia: quod patet ex hoc quod dicit, quod debent *omnia* pec-
» cata confiteri; quod de venialibus intelligi non potest, quia nullus
» omnia confiteri potest: et secundum hoc ille, qui non habet mor-
» talia, non tenetur ad confessionem venialium; sed sufficit ad prae-
» ceptum Ecclesiae implendum, ut se Sacerdoti repraesentet, et se
» ostendat absque conscientia mortalis esse; et hoc ei pro Confessione
» reputatur ». Tenetur ergo quilibet, etiam justus ex doctrina D. Thom. tenetur se ministro Sacramenti praesentare, et statum conscientiae suae prodere, confitendo se nullo lethali peccato obstringi; et haec praesentatio pro Confessione reputatur; quum et finis ab Ecclesia intentus ex ipsa obtineatur, et scandalum tollatur, quod oriri posset ex omissa annua confessione.

V. *Confessio est facienda ore proprio poenitentis.*

Confessio autem ad satisfaciendum praecepto Ecclesiae est facienda ore proprio poenitentis, vel saltem per nutum vel scripturam, aut per interpretem, si alio modo fieri non possit, non vero per litteras absenti. Primam partem certam omnino esse nullus dubitat. Secundam vero inficiantur plures Theologi; at nostra sententia probabilior est, et eam aperte docet S. Thom. in Suppl. qu. 9. a. 3. ad 2. dicens: » In eo, qui usum linguae non habet, sufficit, quod per scri-
» ptum, aut per nutum, aut per interpretem confiteatur; quia non
» exigitur ab homine plus quam possit . . . . et ideo quando non
» possumus uno modo, debemus secundum quod possumus con-
» fiteri ». Debitum igitur agnoscit S. D. confessionis faciendae sive per scripturam, sive per interpretem: quod debitum quum non limitet ad praeceptum divinum, videtur docere, quotiescunque urget debitum confessionis faciendae, urgere et debitum faciendi eo modo quo possumus, idest sin ore, saltem per nutum, vel per scripturam, vel per interpretem. Alias sequeretur, ut qui in regionibus infidelium morantur, nec confessarios reperiunt, qui ejus linguam intelligant, posse et per plures annos a Confessioni abstinere, licet sint peccatorum gravissima sarcina onerati: quod Concinae adeo videtur absurdum, ut tunc saltem divinum peaeceptum urgere putet. Tertia denique pars modo certa omnino est, quum Clemens VIII. doctrinam reprobaverit asserentem, *licere confiteri absenti per literas*, ut suo loco dicemus.

VI. *Confessio proprio Sacerdoti est facienda.*

Jubet praeterea Lateranense Concilium annuam Confessionem *proprio* Sacerdoti esse faciendam. At quinam sit *proprii* Sacerdotis nomine intelligendus, olim acriter disputatum est. Sed rem extra omnem controversiam posuere plures Romani Pontifices, Clem. VIII. literis anno 1592. ad Belgas datis; Innoc. X. Const. edita die 5. Febr. anno 1645. et denique Clemens X. Const. *Superna* promulgata 20. Junii 1670. qua aperte definivit: » Eos, qui Religiosis simpliciter approbatis Pa-
» schali tempore confessi fuerint, Constitutioni, quae incipit *Omnis*
» *utriusque sexus*, quoad Confessionem duntaxat satisfecisse censendos ».

VII. *Quo anni tempore obliget Confessio.*

Quum Ecclesia nullum in anno tempus determinaverit, in quo urgeat Confessionis habendae praeceptum, hinc sufficit illud intra annum implere, communius tamen in Quadragesima ex laudabili con-

suetudine solet impleri. Prima pars est certa, quum nullus tempus reipsa fuerit designatum; hin qui intra primam Januarii et postremam Decembris diem omnia peccata sua confitetur, praecepto Ecclesiae satisfacit. Altera vero pars constat ex Tridentino sess. 14. cap. 5. » Ecclesia statuit . . . . ut praeceptum Confessionis saltem semel » in anno ab omnibus impleatur, unde jam in universa Ecclesia cum » ingenti animarum fructu observatur mos ille salutaris confitendi » sacro illo, et maxime acceptabili tempore Quadragesimae: quem » morem haec sancta Synodus maxime probat, et amplectitur tam- » quam pium, et merito retinendum ». Tametsi autem, ut dictum est, vetitum non sit annum pro implendo Confessionis praecepto computare a 1. Januarii die ad ultimam Decembris; quum tamen more ac consuetudine Ecclesiae a Tridentino approbata computari soleat a Paschate Resurrectionis ad aliud simile Pascha, violati praecepti rei nequaquam habentur Fideles, qui Confessione peracta, et sumpta Communione in die Coenae Domini cadente 13. Kal. Aprilis, in sequenti anno idem peragat 5. Kal. Maji, licet elapsi sint supra tredecim menses, et sic contingit, ut qui Sacramentalem Confessionem solum semel in anno peragunt, aliquando bis confiteantur undecim mensium spatio, aliquando semel decursis tredecim mensibus, prout Paschale festum vel citius vel tardius celebrari obtingit.

VIII. *Quinam ab hoc precepto excusentur.*

Ab hoc praecepto non excusat nisi impotentia physica vel moralis, puta si nullus adsit Sacerdos, qui Confessiones audiendi sit potestate donatus, si in regionibus degat, ubi Catholici Sacerdotes non sunt, vel ad illos adeundos longum iter et laboriosum sit subeundum; quod si iter habendum nec admodum grave sit, licet incommodum juxta personarum conditionem, non excusabit. At haec impotentia facilius in praxi a prudenti Confessario expendi poterit, quam generali regula designari. Moraliter vero impotens dici potest, qui nonnisi unum habet Sacerdotem, cui si confiteatur certo novit, vel prudenter dubitare potest vel Sacramentale sigillum violaturum, vel notitia in Confessione habita abusurum in perniciem poenitentis, vel aliorum. Num vero qui nonnisi unum habens Confessarium, cui sua pandat peccata, cui tamen si determinatum manifestet peccatum vel ipse confitens sigillum Confessionis infringit, vel se periculo exponit gravioris damni sive corporalis sive spiritualis subeundi possit differre Confessionem post annum, ut integre confiteatur penes alium Ministrum, praesertim si dilatio non longa sit, vel teneatur, caeteris patefactis criminibus, hoc solum celare, et sic Ecclesiae praecepto obedire, inquirendum est. Henno censet posse differri Confessionem, et Ecclesiam praesumi concedere hanc dilationem ad Confessionis integritatem servandam, quae juris est divini, nisi vel scandalum suboriatur, vel sit Eucharistia sumenda. At probabilius cum Tournellio censeo, teneri Confessionem habere eo quo potest modo, servata integritate formali, siu materiali, quia, ut optime notat laudatus Auctor; praeceptum Confessionis faciendae certissimum est, concessa dilatio prorsus incerta et mere interpretativa; proinde tenendum certum, et dimittendum incertum.

IX. *Poenae in hujus praecepti violatores.*

Poena constituta in violatores hujus praecepti est, ut ab ingressu Ecclesiae arceantur, et Ecclesiastica priventur sepultura, quae tamen poena non ipso facto incurritur, sed est per sententiam Judicis infligenda. Si in aliqua tamen Dioecesi ab Episcopo lata esset excommunicatio ipso facto incurrenda, eidem subiicientur violatores. Nec vitatur per Confessionem voluntarie nullam, quam per hanc non impleatur Ecclesiae praeceptum quum excommunicatio lata sit in praecepti hujus violatores quocumque denique modo illud violent.

CONSECTARIA.

I. *Hoc praeceptum implendum est elapso anno, quam primum fieri potest.*

Qui per integrum annum vel licite vel illicite Confessionem omisit, tenetur quam primum commode potest Ecclesiae praeceptum implere. Nam verba legis Concilii indicentis, ut *saltem semel in anno* fideles confiteantur, posita non sunt ad definiendam, sed ad urgendam obligationem, unde sensus est, ut Confessio non ultra annum differatur; quare qui annum elabi permisit sine Confessione, tenetur quamprimum opportune potest Confessionem habere. Adeo hoc verum est, ut Theologi non solum severiores; sed et benigniores, ut de Lugo, sentiant toties peccare, quoties oblatam sibi opportunam Confessionis habendae occasionem neglexerit, aliis affirmantibus solum in eodem peccato diutius sordescere, quod idem puto in re morali, praesertim quum inter Catholicos nunquam desit, et semper praesto sit Confessionis habendae occasio; proinde satis erit dicere in Confessione spatium temporis, quo Confessionem post annum distulit.

II. *Unica Confessione, pro duplici anno, praeceptum non impletur.*

Qui omissa sive ex culpa, sive sine crimine annua Confessione, primo confitetur, non valet ea unica Confessione utriusque anni praecepto satisfacere. Veritas hujus doctrinae ex ipsa mente et praxi Ecclesiae elucescit: siquidem Ecclesia omittentem annuam Confessionem anathemate plectit, a qua non solvit, nisi peracta Confessione, post quam ab eo postulat, ut intra annum iterum confiteatur, nec unquam putat solutum a praecepto iterum eodem anno confitendi. Hac sola ratione bene perspecta evanescunt quae in oppositum afferri valent argumenta. Nec sequitur, qui viginti annis in Confessionem omisit, teneri vigesies in anno confiteri: nam hic unica Confessione, qua omnia eo tempore patrata delicta confitetur et detestatur, inter quae et ipsae Confessionis omissiones comprehenduntur, omissas supplet; at hac Confessione nonnisi praecedentium annorum supplet omissiones, non vero decurrentis anni implet praeceptum: tenetur igitur pro eo anno se sistere Sacerdoti, et annuam habere Confessionem.

III. *Praevenire tempus tenetur, qui impedimentum praevidet.*

Qui praevidet se a Confessione habenda impediendum in decursu anni, tenetur semper praevenire, et statim etiam sub initium anni confiteri. Hujus consectarii veritas liquido apparet ex ipsa ecclesiastici praecepti natura; quod quum urgere incipiat initio anni, intra ejus latitudinem est implendum. Hinc qui longum iter suscepturus praevidet sive ex deficientia Confessarii, sive alia de caussa non futurum

sibi locum ad implendum praeceptum, tenetur ante suscipiendum iter confiteri: eo prorsus modo, quo quis praevidens se Missam non auditurum in die festo, nisi de mane surgat, et tempus praeveniat, tenetur illam et valde mane audire, et praeceptum implere.

IV. *Praevenire Confessionem tenetur, qui timet peccatorum oblivionem.*
Praevenire tenetur finem anni ad Confessionem habendam, qui timet prudenter, ne admissi alicujus peccati obliviscatur. Id docet Concilii Tridentini Catechismus P. 2. cap. 5. n. 45. ubi haec habet: » Si quid salutis nostrae ratio postulet consideremus . . . . . . toties » Confessio praetermittenda omnino non est, quum veremur, ne nos » alicujus culpae quam admiserimus oblivio capiat. Neque enim peccata confiteri possumus, quum non meminerimus; neque peccatorum veniam a Deo impetramus, nisi ea poenitentiae Sacramentum » per Confessionem deleat ».

V. *Quodnam grave periculum excuset a praecepto annuae Confessionis.*
Grave periculum famae, honoris, vitae, vel etiam in temporalibus bonis detrimenti ab annuae Confessionis praecepto excusat; quia Ecclesiae praecepta cum tanto onere non obligant, sed eorum impletio differri potest quoadusque periculum, quod prudenter timetur, evanescat. Ratio tamen periculi et damni habenda est, quae certe rarissima sunt: nam si periculum sit in manifestatione alicujus peccati, poterit Poenitens illius Confessionem omittere, faciendam opportunius, et interim praecepto Confessionis annuae satisfacere caetera manifestando peccata.

CAPUT II.

De Paschalis Communionis praecepto.

I. *Datur praeceptum de Comunione semel in anno sumenda.*
In illis Christi Domini verbis Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* omnes SS. PP. praeceptum divinum agnoscunt sumendi non solum voto et desiderio Eucharistiam, sed realiter et in facto. Hujus divini praecepti implendi tempus determinavit Ecclesia. In Lateranensi Concilio indictum est, ut saltem semel in anno, et quidem in Paschate Eucharistiam sumant fideles: *Omnis utriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit, saltem semel in anno confiteatur suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum.* Quod praeceptum Tridentina Synodus confirmavit. Sess. 13. cap. 8. can. 9. Hoc praeceptum sub gravi obstringere nullus ambigit, ideoque graviter peccare non solum qui illud ex contemptu violat, sed et qui ex negligentia, accidia, aliove vitioso titulo implere omittit.

II. *Quinam hoc praecepto obligentur.*
Hoc praecepto illi omnes ligantur, quos superiori Capite diximus ad annuam teneri Confessionem. Sed praecipua est quaestio circa pueros, scilicet quando Paschalis Communionis praecepto subjiciantur. Trident. Conc. Catechismus docet, hocce judicium de puerorum capacitate et aptitudine ad sacram Communionem suscipiendam esse parentibus et Sacerdotibus relinquendum. Nonnuli Theologi docent

differendam pueris Communionis susceptionem ad annum usque duodecimum, et etiam quintumdecimum, quae opinio minus certa habenda est, quum plerique adolescentes ante usum rationis obtineant, quo discernere possunt spiritualis panis a materiali distinctionem, et Sacramenti Eucharistiae dignitatem, majestatem, utilitatem. Alii vero statuunt majorem in pueris requiri cognitionem pro Eucharistia sumenda, quam pro Confessione facienda, proinde prius praecepto annuae Confessionis, quam Paschalis Communionis obstringi. Et revera consuetudo fere universalis Ecclesiae, quae est optima hujus legis interpres, hoc confirmare videtur: nam a Parochis pueri septennes, octennes, et novennes ad Confessionem quidem admittuntur, eosque se sistere Confessario docent, et urgent; et tamen in ea aetate ad Eucharistiae participationem non admittunt; quia plerumque ad tantum Sacramentum revera nondum idonei dignoscuntur. Etiam S. Thom. nonnisi post decennium putat pueros ad Communionem idoneos, sic enim scribit in 4. dist. 9. q. 1. a. 5. q. 4. » Pueris jam incipientibus » habere discretionem etiam ante perfectam aetatem, puta quum sunt » decem aut undecim annorum, aut circa hoc, potest dari, si in iis » signa discretionis appareant, et devotionis ». Hanc itaque puto regulam servandam in administranda pueris Eucharistia. Parentes, Pedagogi, Parochi inspiciant, num pueri bonae sint indolis, devoti, et praesertim adhuc stola innocentiae ornati, et quos tales repererint de Sacramenti dignitate, utilitate, praestantia instruant, desiderium accendant, et quo citius poterunt ad sacram mensam advocent: sic enim fiet, ut in innocentia confirmentur et meliores evadant; ubi secus res sa habeat, Communionem differant donec dispositos viderint.

III. *Quod tempus statutum sit pro Eucharistia sumenda.*

Tempus ab Ecclesia ad Eucharistiam sumendam praestitutum est Paschale, quod, ut declaravit Eugenius IV. Quindecim complectitur dies, a Dominica scilicet Palmarum usque ad Dominicam in Albis. Hinc quocunque ex illis diebus fideles Eucharistiam sumant, praeceptum satisfecisse censentur; et illius violatores habendi, qui licet pluries in anno communicaverint, praefatis tamen diebus sumere omittant, quum non solum annua sit demandata Communio, sed et Paschale tempus destinatum. Quod si in aliquibus Dioecesibus diuturnius tempus praestitutum sit, consuetudini quisque se accommodare licite valet. Animadvertit tamen Sum. Pont. Bened. XIV. de Synod. lib. 12. cap. 6. n. 10. non licere Episcopis nec in suis synodalibus Constitutionibus, inconsulta Sede Apostolica, praefatum commune tempus quindecim dierum ultro protrahere, quippe qui ita agendo non decernerent quod est a jure praetermissum, sed contra jus limites ampliarent ab ipso jure praefinitos.

IV. *Eucharistia sumenda est in propria Paroecia.*

Sumenda est Communio in propria Paroecia, vel alibi, sed ex licentia Parochi: ita enim statuit Lateranense Concilium, et confirmant omnium Dioecesum Ritualia, et perpetua praxis et consuetudo Ecclesiae. Sacerdotes tamen celebrantes Paschalis Communionis praeceptum implent in quacunque celebrent Ecclesia; at si non celebrant, tenentur in propria Paroecia Communionem recipere.

V. *Communio ad paschale implendum praeceptum est sumenda pie, non sacrilege.*

Communio ad paschale praeceptum implendum est pie et sancte sumenda; quamobrem praeceptum non implent, qui sacrilege communicant. Haec doctrina certa est, et unice vera, quum ab Innoc. XI. proscripta fuerit propositio 55. asserens: *Praecepto Communionis annuae satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

VI. *Quinam ab hoc praecepto excusentur.*

Ab hujus praecepti impletione non excusantur, nisi qui legitimo detinentur impedimento sive physico, sive morali, adeo ut vel absolute non possint, vel sine gravi damno, periculo, detrimento ad sacram Mensam accedere. Inter hos recensentur Excommunicati et Interdicti, quum per has censuras a Sacramentorum usu et susceptione impediantur, modo tamen in caussa non sint sua contumacia, ne a praefatis censuris solvantur, sed parati sint mandatis Ecclesiae obtemperare, et absolutionis beneficium non recusent; alioquin si eorum contumacia obicem absolutionis ponant, profecto ab impletione praecepti non excusantur, sed rei sunt habendi ejus violationis.

Consectaria.

I. *Non implet praeceptum, qui Eucharistiam sumit in cathedrali.*

Sacra Communio ita est in propria Parochia et a proprio Parocho sumenda, ut praeceptum non impleat, qui in Cathedrali communicat, vel ab ipso Episcopo inscio Communionem recipit. Et quidem a proprio Parocho sumendam Eucharistiam probavimus superius, et hic confirmamus addentes nomine proprii Parochi intelligi etiam Episcopum, ejusque generalem Vicarium, necnon alium Sacerdotem ab ipso Parocho deputatum vel in generali, vel in particulari. Num vero impleat praeceptum qui Eucharistiam sumit in Cathedrali, olim disputarunt Theologi et Canonistae, et quidem affirmarunt plures. At opposita, quam statui, doctrina et certa est et unice probabilis, ut egregie ostendit Bened. XIV. in sua Institut. 18. num. 11. et 12. tum ex declaratione Innoc. XI. statuentis non implere praeceptum Paschalis Communionis, qui Romae Eucharistiam suscipit in Ecclesiis Patriarchalibus Lateranensi et Vaticana; et confirmat testimonio Card. de Lugo, qui testatur hocce dubium propositum et discussum fuisse coram Pontifice, et definitum, non implere praeceptum qui in Cathedrali vel Metropolitana in Paschate communicat. Pari pacto qui de manu Episcopi etiam Paschali tempore sumit Eucharistiam, nisi ipse Episcopus vel Paschalem Communionem ministret, vel probe noverit, Communicantes accedere ad Ecclesiasticum praeceptum implendum, non satisfacit, quum Episcopi nunquam sine legitima caussa a communi et universali lege dispensare intendant.

II. *Quinam possint Paschalem Communionem apud Regulares sumere.*

Regulares ad Paschalem Communionem in propria Ecclesia percipiendam admittere non possunt nisi vel famulos, qui eis actu inserviunt, et intra eorum septa, et domos resident, et sub eorum obedientia vivunt, vel licet non servi, in eorum tamen familiam et consortium cooptati sunt. Ita statuit Trid. Concilium sess. 24. cap. 11. de Reform. Aliqua deficiente ex tribus praefatis conditionibus in fa-

mulis, minime a parochiali jurisdictione eximuntur, sed in ea debent sacram Eucharistiam suscipere. Decisum propterea fuit a S. Congreg. Concilii, ut refert Bened. XIV. Instit. 55. ne' immunes a Parochiali jurisdictione habeantur famuli et famulae degentes in mansionibus sitis in atriis Monasteriorum, licet muro circumvallatis et contiguis Monasteriis, et habeant portam, quae clauditur, quia revera non sunt intra Monasterii septa. Multo minus eximuntur, qui solum Monasteriis deserviunt, sed non sunt de familia, nec continui commensales, sed extra Monasterium habitant cum aliis secularibus, sicuti nec Tertiariae, licet habitum religiosum gestent, quae in propriis domibus vivunt: nam privilegia a Bened. XIII. in Bulla *Pretiosus*, et aliis, abrogata sunt a Clemente XII. Constit. incipiente *Romanus Pontifex*.

III. *In die Paschae, non licet Regularibus, Communionem dare secularibus.*

Non licet Regularibus in die sancto Paschae nec devotionis gratia sacram Communionem saecularibus ministrare, nisi accedat tacitus saltem Episcoporum et Parochorum consensus. Veritas hujus doctrinae 1. constat ex Bulla Leonis X. concedentis Regularibus facultatem ministrandi Sacramenta in suis Ecclesiis etiam in Paschali quindena, qui tamen excipit expresse *diem Paschatis*. 2. His accedunt plura S. Congregationis Decreta a Bened. XIV. in suo Opere de Synodo lib. 9. cap. 16. recitata. Refert siquidem ex Diana, Lezana, et Tamburino de jure Abbatum, saepius discussum fuisse in S. Congregatione Concilii, num liceret Regularibus in quindena Paschali Eucharistiam ministrare fidelibus, et decisum fuisse: » *Sola die solemnitatis* » *Paschalis* absolute prohiberi Regularibus, ne Eucharistiam in suis » Ecclesiis porrigant secularibus, etiamsi isti jam antea annuae Com» munionis praeceptum in propria Parochia impleverint ». Deinde alias subdit sacrae Congr. decisiones idem decernentes. Ex qua doctrina sequitur. 1. posse Episcopos Regularibus indicere in solemni Paschatis die, ne ulli saecularium Eucharistiam audeant ministrare, ut notat laud. Pontifex. n. 5. 2. Ubi haec viget consuetudo, esse a Regularibus observandam. 3. Non esse reprehensione dignos Praesules illos, qui Sacristae, aliisque Religiosis sibi subditis vetant, ne praefato solemni die ulli saecularium Eucharistiam ministrent. 4. Non esse reprehendendos Regulares, qui eodem die fideles ad sacram Communionem in suis Ecclesiis admittunt, quando adest vel expressus vel tacitus Episcoporum vel Parochorum consensus, qui prudenter praesumitur, quotiescunque huic publicae administrationi jam sibi notae et compertae et a pluribus annis invalescenti non obsistunt nec suis decretis, nec Synodalibus Constitutionibus.

IV. *Qui in duplici Paroecia domicilium habet, potest in alterutra communicare.*

Qui in duplici Paroecia domicilium obtinet, quia modo in una, modo in alia inhabitat, potest in qua maluerit Paschalem suscipere Communionem. Vagi vero, qui nullibi certam Paroeciam habent, possunt ubilibet Paschale Sacramentum suscipere; decens tamen foret, ut in ea Parochia Communionem sumerent, in qua eo tempore commorantur, et a cujus Parocho necessitate urgente infirmitatis vel

mortis Sacramenta petere et suscipere deberent. Quod et dicendum de Advenis et Peregrinis, qui ad propriam Paroeciam reverti non possunt. Qui pariter in Paschali quindena ob aliqua negotia in alia degit Paroecia, et intra illud tempus reverti non valet ad propriam Ecclesiam, praeceptum implebit Communionem accipiendo in ea Parochia, ubi invenitur juxta Eugenii IV. declarationem, nec tenetur differre Communionem ultra tempus Paschale, ut in sua Paroecia communicet; opportunum tamen erit testimoniales literas de celebrato Paschate ad propriam Parochiam deferre.

V. *Communio Paschalis amentibus, et Energumenis, ac publicis peccatoribus generatim loquendo neganda est.*

Communio Paschalis non est deneganda amentibus, si lucidis intervallis eo tempore fruantur, sicut nec Energumenis. Ita docet S. Thom. in 4. ad Annibal. dist. 9. a 4. ad 5. de prioribus scribens: » Dicendum, quod furiosus aut habet lucida intervalla, et tunc potest » communicare, aut non, et est perpetuo furiosus, et sic non debet » communicari ». De posterioribus vero l. c. a. 9. De baptizatis, qui » corporaliter ab immundis spiritibus vexantur, est eadem ratio ac » de aliis amentibus, unde Cassianus dicit, *eis, qui ab immundis ve-* » *xantur spiritibus Communionem sacrosanctam a senioribus nostris* » *nunquam meminimus interdictam* ». De publicis autem peccatoribus » scribit 3. p. q. 80. a. 6. in corp. » Peccatoribus manifestis, sicut pu- » blici usurarii, aut publici raptores vel etiam per aliquod judicium » Ecclesiasticum vel seculare non debet etiam petentibus sacra Com- » munio dari ». Et in 4. dist. 9. q. 1. art. 5. quaestiuncula 1. repetit: » Si peccatum est manifestum debet ei denegari Communio, sive in » occulto, sive in manifesto petat ».

VI. *Quaenam poena indicta sit non communicantibus in Paschate.*

Violantibus praeceptum annuae Communionis eadem est indicta poena ac omittentibus culpabiliter annuam Confessionem, videlicet quod subjici possint Ecclesiastico Interdicto, et Ecclesiastica privari sepultura; quae tamen poenae, quum non sint latae sententiae, nec ipso facto incurrendae, locum non habent nisi ex sententia Judicis Ecclesiastici. Possunt etiam Episcopi in contumaces hujus praecepti violatores anathematis fulmen intorquere, ut resipiscant, et si in Synodalibus Constitutionibus lata sit, eam incurrunt etiam publicae meretrices. Hinc Parochi eos, quos noverint in Paschate ad Eucharisticam mensam non accessisse 1. debent secreto monere; et si quidem dixerint, se Communionem distulisse de consilio proprii Sacerdotis, illis credere debent, sed tempus congruum definire, quo debeant Paschale praeceptum implere. 2. Si pertinaces in violatione praecepti reperiant, ex suggestu in communi omnes monere, qui Communionem non receperunt, ut quantocius scandalum tollant, et praeceptum impleant, aliter Episcopo denunciandos fore. 3. Denique contumaces ad Episcopi tribunal deferre, qui sua prudentia et justitia viderit quid adversus illos agendum. Ita Parochos instruit Bened. XIV. in suis Institut. 18. 43. et 57. omnino legendis.

DISERTATIO IV.

De quinto Ecclesiae Praecepto.

CAPUT I.

Decimarum notio. Quo jure debeantur. Quibus dandae.

I. *Quid decimae nomine intelligatur.*

Superest ad hujus de Ecclesiae Praeceptis Tractatus complementum, ut de Decimis, oblationibus, et primitiis a christiano populo Ecclesiae Ministris ad Dei cultum, ad illorum sustentationem, ad pauperum subsidium pendendis disseramus; quod in hac quarta Dissertatione praestamus. Decimarum porro nomine designatur pars quantacunque sit fructuum et acquisitorum, quae per singulos annos est Ecclesiarum Ministris pendenda. Dixi quantacunque sit, quia licet in vet. Testamento haec pars fuerit vera decima, tamen in Novo non ita rigorose statuitur, sed esse potest et vigesima et quadragesima juxta locorum statuta, morem, atque consuetudinem. Dicitur in Dei honorem, quum ex Decimis ea provideantur, quae ad Dei cultum, ornatum Templorum et hujusmodi sunt necessaria. In decimis duo sunt distinguenda, ut observat. D. Th. 2. 2. q. 87. a. 3. scilicet fructus et res ministris dandae, et ab ipsis percipiendae, quod, ut patet, est quid mere temporale; et jus in ipsis ministris eas exigendi, quod est plane spirituale. Hinc expendendum, quomodo Decimae, quatenus temporale bonum sunt, sint percensendae et dividendae, et unde jus illud, quod ministris Ecclesiae convenit, oriatur.

II. *Decimarum variae divisiones.*

Decimae dividuntur 1. in praediales, seu reales, et in personales. Prioris generis sunt, quae solvuntur ex fructibus praediorum, agrorum, vinearum etc. Posterioris vero classis sunt, quae penduntur ex bonis acquisitis proprio labore, arte, industria, mercatura, officio etc. Duae sunt praecipuae differentiae inter reales decimas et personales, 1. quod hae posteriores pluribus in regnis minime in usu sunt, ut de Galliarum Regnis testatur Tournellius, et de Germania Pikler; altera quod reales solvuntur non deductis expensis, personales vero iisdem deductis. Dividuntur 2. Decimae in Majores et Minores. Prioris generis sunt, quae de frumento, vino, oleo, siligine, avena, hordeo penduntur et recipiuntur: alterius vero, quae et minutae dicuntur, quia ex rebus pretio et dignitate vilioribus colliguntur, sunt quae ex fructibus hortorum, arborum, leguminum, vel ex feno, lino, canabe, caseo, butyro etc. vel denique quae carnaticae dicuntur, et ex agnis, vitulis, pullis gallinarum praestantur. 3. Praediales Decimae in antiquas dividuntur et novas, sive novales illae exiguntur ex terris, agris, fundis antiquitus cultis; istae vero de fructibus terrae, quae noviter coli coepit, et cujus non extat memoria, quod antea fuerit culta. 4. Decimae aliae sunt ordinariae, in qua classe referendae sunt, quas hactenus nominavimus, aliae extraordinariae, quae a Summis Pontificibus percipiendae mandantur ex Beneficiis pro quantitate redituum ad Principum petitionem in alicujus necessitatis subsidium, et pro determinato tempore conceduntur.

III. *Quando coeperit et invaluerit decimarum solutio.*

Quando pendi coeperint Decimae Ecclesiae Ministris non facile est definire. Certum est in ipsis Ecclesiae primordiis non decimas pendisse fideles sed voluntarias oblationes contulisse. At crescente plebe christiana, auctisque Ministris et Templis, quum hae minime sufficerent ad sustinenda onera, et etiam tepescente fidelium charitate minuerentur oblata, Episcopi et Pastores a plebe et populo decimas postulare coeperunt tamquam sponte offerendas, et quidem non tam justitiae, quam religionis titulo. Hinc poplus christianus eas solvere tamquam ex Religione debitas coepit, et invalescente consuetudine sibi religione vertebat eis Ecclesias fraudare; unde orta est lex decimas solvendi, quam saeculo quarto, sexto, et subsequentibus usque ad decimum invaluisse et vim obtinuisse observant Thomasinus, Van-Espenius, et Fleury. Denique in Jure Canonico hoc de Decimis solvendis praeceptum insertum factum est omnibus fidelibus commune et obligatorium, juxta tamen Ecclesiarum et locorum consuetudinem servandum.

IV. *Qualitas praecepti solutionis decimarum.*

Quo autem jure et titulo Decimae Ecclesiae debeantur, aperit S. Thom. hic q. 87. a. 1. in corp. docens, ad Decimarum solutionem teneri fideles *partim quidem ex jure naturali* (quatenus scilicet decimarum nomine designantur stipendia ad sustentationem, et alimenta congrua Ecclesiae ministris suppeditanda); *partim ex institutione Ecclesiae* (scilicet quod statutam stipendiorum quantitatem): *quae pensatis opportunitatibus temporum et personarum potest aliam partem determinare solvendam.*

V. *Decimae solvendae sunt, titulo Religionis et justitiae.*

Ex his sequitur, Decimas esse solvendas Ministris Ecclesiae titulo Religionis et Justitiae, proinde dandas, licet aliunde ex propriis bonis habeant unde vivant, immo et divites sint. Et quidem decimas esse pendendas Religionis nomine constat, quum dentur intuitu divini obsequii, cultus et honoris: ex his enim divino servitio necessaria providentur: nam exhibentur, ut ait S. Th. hic. q. 76. a. 2. » non » solum ut eas in suos usus convertant, verum etiam ut fideliter » eas dispensent; partim quidem expendendo eas in his, *quae per-* » *tinent ad cultum divinum*, partim in his, quae pertinent ad pro- » prium victum .... partim etiam in usus pauperum, qui sunt, » quantum fieri potest, de rebus Ecclesiae sustentandi ». Hinc et Decimarum solutionem inter actus exteriores Religionis enumerat S. Doctor. Sunt etiam dandae titulo justitiae: sunt enim stipendia spiritualis militiae, et cibus operariis suppeditandus. Hinc qui decimas non pendunt, non sunt absolvendi, nisi injuste detenta restituant, ut declaravit Trid. Synodus sess. 25. cap. 12. de Reform.

VI. *Quibus decimae debeantur.*

Tridentinum Concilium sess. 25. cap. 12. de Reform. id solum. generali statuit lege » ut omnes cujuscunque gradus et conditionis » sint, ad quos decimarum solutio spectet, eas, ad quas de jure » teneantur, in posterum Cathedrali, aut quibuscunque aliis Ecclesiis » vel personis, quibus legitime debentur, integre solvant ». Quibus verbis indicavit. Decimas pluribus Ecclesiis sive Cathedralibus, sive

Collegiatis, pluribusque personis convenire; earum vero singularem determinationem juribus et consuetudinibus particularibus a Theologis et Canonistis examinandam reliquit. Qua de re vide quae habet Auctor. in O. M.

CONSECTARIA.

I. *In divisione Paroeciae, num dividendae et decimae.*

Si Parochia in plures dividatur, decimae praediales intra limites novae Paroeciae constitutae remanent apud Matricem seu antiquiorem Paroeciam, nisi Episcopus in novae Paroeciae erectione una cum limitibus certis, etiam dictorum limitum decimas Parocho expresse assignet. Non desunt Theologi et Canonistae, qui contrarium censeant. At assertio posita probabilior est habenda; et 1. quidem ex Decreto S. Congr. edito 1617. Secretario Fagnano, qui illud refert, quo declaratum fuit, in dimembratione Paroeciae decimas pertinere ad antiquiorem cum assignatione tamen competentis portionis novo Parocho. 2. Ex ipso Trident. Concilii Decreto sess. 21. cap. 4. de Reformat. sic statuentis: » Illis Sacerdotibus, qui de novo erunt » Ecclesiis noviter erectis praeficiendi competens assignetur portio » arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodo» cunque pertinentibus «. Non ita sentiendum de decimis personalibus, quae pleno jure et ipso facto novo debentur Parocho.

II. *Quando unitur Paroecia Monasterio, Collegio etc. uniuntur et decimae.*

Quando Parochiales Ecclesiae alicui Monasterio, Collegio, Capitulo uniuntur, seu, ut ajunt, incorporantur, tam praediales, quam personales decimae et unitae habentur et incorporatae. Ita omnes docent Canonistae; quia quum tunc omnia transferantur onera, debent et emolumenta transferri. Dixi tamen transferri in Monasterium, Collegium, Capitulum, non vero in Presbyterum sive secularem sive regularem, cui cura adnexa Paroeciae demandatur, qui eam in titulo minime possidet, proinde nec jus adipiscitur ad decimas sive praediales, sive personales recipiendas, sed solum ei danda est portio congrua, et sufficiens ad sui sustentationem.

III. *Sunt solvendae decimae, non detractis tributis et vectigalibus.*

Decimae prediales integrae sunt solvendae minime deductis sive expensis sive tributis, sive oneribus. Ita statutum habetur in jure Canonico Cap. *Quum homines*, 7. et Cap. *Non est* 22. tit. de decimis per haec verba: *Praecipimus, quatenus antequam ullas deducatis expensas, Decimas Ecclesiis cum integritate debita persolvatis.* Ita docent communiter Canonistae cum S. Thom. hic q. 87. a. 2. ad 4. Oppositum vero docent de decimis personalibus, quae solvendae non sunt, nisi detractis prius expensis.

IV. *Quo in loco dandae sunt decimae.*

Quoad locum ubi sunt tradendae decimae, est consuetudo attendenda. Nam licet plerique Canonistae censeant jure communi Parochianos, aliosque decimarum debitores teneri propriis sumptibus decimas praediales ad domum Parochi deferre; quum tamen introductum sit vel decimas in ipso agro relinqui, vel in horreum domini transferri, et ibi separari, vel Parochum ministrum mittere, qui collectioni

assistens decimas recipiat; et deinde utroque modo datas ipse suis expensis et opere transferat, non est ab hac consuetudine recedendum. Excipiuntur fructus animalium, qui frequentius ab ipsis Rusticis ad domum Parochi deportantur.

V. *Qui praedia inculta reliquit, decimas dare non tenetur.*

Qui proprios agros vel vineas incultas relinquit, vel in domum, horreum, stabulum, aliudve aedificium mutat, non tenetur ad Decimarum compensationem. Ratio est, quia praeceptum de decimis solvendis solum obstringit ad dandas decimas fructuum nascentium et collectorum ex praediis, non vero onus imponit agros colendi, quos dominus jure suo utens potest et incultos relinquere. Similiter quum dominium sit jus de rebus propriis disponendi omni modo legibus non interdicto, qui illud possidet, potest agros, vineas, et alia praedia, in domum, horreum, stabulum mutare, quod illi nulla lege vetitum est, eapropter facta mutatione ad decimas solvendas non tenebitur, nec compensationem decimarum praestare, quum nulli irroget injuriam.

VI. *Non licet Parocho, per vim cogere ad solvendas decimas.*

Non licet Parocho per vim compellere vel vi eripere et extorquere a debituribus decimas etiam injuste denegatas, vel illos Sacramentorum denegatione vel compellere, vel punire. Et quidem non posse vi et violentia uti, docent communiter Canonistae et Theologi; quia Parochus non habet jurisdictionem temporalem et exterui fori in suos Parochianos, nec qui esse potest Judex in propria caussa. Pari pacto nec Sacramenta potest publice subtrahere; tum quia fieri potest, ut jus aliquod, vel justam praetendant excusationem, vel habere se credant non solvendi; tum quia nonnisi publicis et notoriis peccatoribus potest Sacramenta denegare, et quidem contumacibus, quam contumaciam Judex servatis juris furmulis solus declarare potest. Solum itaque potest caussam ad Episcopum deferre, qui ea discussa, poterit debitorem compellere Ecclesiasticis poenis ad quod debet solvendum.

CAPUT II.

De Personis Decimarum solutioni obnoxiis, vel exemptis, et quibus solvendae sint, et quomodo.

I. *Omnes fideles decimas solvere tenentur.*

Omnes fideles, nisi sint speciali privilegio immunes, tenentur decimas vel prediales, vel personales solvere. Ita in jure statutum est Cap. *Ex transmissa* 23. de Decimis, ubi indicitur; *Quivis fidelis homo decimas erogare tenetur.* Et Cap. *A nobis* 24. ejusd. tit. *Quilibet decimas solvere tenetur, nisi a praestatione ipsarum specialiter sit exemptus.* Vel ut infra dicitur, *nisi ostendat quare sit immunis.* Et merito quidem, quum enim, ut inquit S. Th. hic a. 1. » radix solutionis decimarum sit debitum, quo seminantibus spiritualia debentur carnalia secundum illud Apostoli 1. Cor. 9. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si carnalia vestra metamus?* Super hoc enim debitum fundavit Ecclesia determinationem solutionis Decimarum ». Omnes autem fideles spiritualia bona ab Ecclesiae Mi-

nistris accipere debent: aequum est igitur, ut omnes pro eorum sustentatione decimas tribuant. Quare omnes Reges, Imperatores, et omnes alii quavis dignitate fulgentes decimarum oneri obnoxii sunt. Tenentur proinde et haeretici, quum sint et juri divino et Ecclesiastico per Baptismum Ecclesiae subditi, a cujus jurisdictione per contumaciam non eximuntur. Tenentur et Filii Christianorum, licet fortassis in adultam aetatem differant Baptismum, quia ratione paternae originis ad Ecclesiam pertinere censentur. Non vero filii infidelium, licet catechumeni, quia ante Baptismum non fiunt Ecclesiae subditi.

II. *Quando cogi possint infideles, ad solvendas decimas.*

Infideles cogi possunt ad Decimas solvendas, si in provinciis et locis Christianorum praedia et fundos emant ab ipsis fidelibus jam decimis obnoxios: quum enim tunc onus decimarum sit reale, fundis et praediis affixum, transit cum ipsis praediis et fundis, et ad omnes devolvitur eorum possessores. Ita statutum juste legitur in jure Can. Cap. *Quarto* 18. ad finem de usuris. De fundis vero, quae in propriis possident provinciis Christianorum Principum potestati minime subjectis, decimas dare nec tenentur, nec cogi possunt; sicut nec ad decimas personales, licet habitent in Parochiis Christianorum; quum hae non debeantur, nisi ratione spiritualis ministerii a Parochi praestiti, quod ipsi non recipiunt.

III. *Num Clerici decimas solvere debeant.*

Clerici seculares sive simplices sive curati, et in dignitate constituti tenentur dare decimas praediales de bonis et fructibus titulo temporali, puta haereditate, donatione, emptione, patrimonio etc. acquisitis. Ita docet S. Thom. hic q. 87. a. 4. rationemque ad 2. adfert, videlicet quia quantum ad haec bona in ordine ad decimas spectantur ut coeteri fideles, qui sine distinctione ad decimas obligantur. At de bonis Ecclesiasticis titulo Beneficii, aut alio clericali non tenentur decimas solvere, ut docet S. Thom. loc. cit. scribens; » Clerici in quantum Clerici sunt, idest in quantum habent Eccle-» siasticas possessiones decimas solvere non tenentur.

IV. *Num Monachi et Regulares solvere decimas debeant.*

Monachi omnes, et etiam, proportione servata, Regulares jure communi spectato non minus quam laici decimis forent obnoxii, nisi specialibus privilegiis tum in corpore juris insertis, tum extra ipsum concessis a praefato onere soluti forent: nam eaedem et pro Religiosis militant rationes pro decimarum solutione ac pro Laicis, quum et ipsi eodem communi jure spectato et erant olim Parochis et Pastoribus obnoxii, et ab eis Sacramenta et alia divina recipere debebant. At privilegiis in jure insertis Monachi, Regulares, et etiam Clerici in communi viventes immunes facti sunt 1. a decimis omnibus personalibus; 2. a decimis etiam praedialibus, sed solum de illis agris ac praediis, quae propriis manibus, vel propriis sumptibus excolerent, sicut et de novalibus suis et hortis, ut patet in Cap. *Ex parte* 10. et tit. de Decimis, ubi Alex. III. indulget Regularibus, ut *de Novalibus suis, quae propriis manibus vel sumptibus excolunt, et de nutrimentis animalium suorum, et de hortis suis decimas non persolvant:* sed simul codem tenore declarat, *de aliis vero rebus decimas non possint subtrahere.* In Lateranensi vero Conc. Innocent.

III, sic statuit: *Ne occasione privilegiorum suorum Ecclesiae ulterius pergraventur, decernimus, ut de alienis terris, et amodo acquirendis, etiamsi eas propriis manibus, vel sumptibus excolant, decimas persolvant Ecclesiis, quibus ratione praediorum antea solvebant, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum; et hoc ipsum ad alios Regulares, qui gaudent similibus privilegiis, extendi volumus, et mandamus.* Post praefati Concilii Decretum aliis privilegiis donati sunt Regulares, quae extra corpus juris in pluribus Bullis Pontificum habentur. At merito animadvertunt Juris Canonici Doctores, Regulares immunitatibus per ea concessis non gaudere, nisi in eorum privilegiis derogetur statuto et decreto laudati Concilii generalis, quum nunquam censeatur Pontifex velle derogare Constitutioni Concilii generalis nisi suam mentem per clausulam derogatoriam manifestet.

V. *Num diuturna consuetudo, laicos liberet a solutione decimarum.*

Laici vero non sunt censendi immunes a Decimarum solutione etiam post diuturnam consuetudinem, nisi adsit consensus et adprobatio Sum. Pontificis, ut omnes fatentur ad unum Theologi et Canonistae. Verum sufficere praesumptum consensum et adprobationem ex taciturnitate diutissima Pontificum Canonistae plures affirmant cum S. Thoma Quod l. 2. art. 8. in corp. et hic q. 87. a. 1. ad 5. ubi ait: » Laudabiliter Ministri Ecclesiae decimas non requirunt, » ubi sine scandalo requiri non possent propter dissuetudinem . . . . » Nec tamen sunt in statu damnationis qui non solvunt in locis » illis, in quibus Ecclesia non petit; nisi forte propter obstinationem » animi habentes voluntatem non solvendi, etiamsi ab eis pe» terentur.

VI. *Decimae praediales et personales, de proventibus lucris etc. solvendae sunt.*

Decimae de jure communi sunt solvendae, si praediales sint, de omnibus fructibus, sive proventibus bonorum omnium licite acquisitorum. Si vero personales sint, de omnibus lucris et utilitatibus ex hominis industria profluentibus. Ita in pluribus locis juris Canonici statuitur. At in hoc sunt attendendae consuetudines patriae et locorum, et juxta illas pendendae decimae. De novalibus quoque pendendae sunt decimae, sive sint proprie dicta, sive improprie. Proprie dicta sunt, quae antea inculta fuerunt; improprie vero quae in aliud fructuum genus mutata sunt, v. gr. ex agro facta vinea. Debentur autem de jure communi Parocho, non aliis ex universali regula, si sint proprie dicta, si vero improprie, distinguendum : nam si prius pendebant decimas, illis pendendae sunt, qui prius ex tali fundo decimas percipiebant. Si vero non pendebant, facta mutatione pendendae sunt Parocho. De minutis vero rebus non sunt solvendae decimae, nisi aliter ferat patriae consuetudo. Ita docet S. Thom. hic a. 2. ad 3. Decimae personales non sunt solvendae, nisi ubi viget consuetudo, et quidem proprio Parocho, ut pariter docet S. Thom. hic q. 87. a. 1. Hinc quum paucis in locis obtineat consuetudo personales decimas solvendi, communiter non tenentur fideles ad has solvendas, nisi hoc omnino necessarium esset ad Ministrorum sustentationem et alimoniam. Demum decimae non sunt pendendae de rebus illicite acquisitis. Et quidem palam est de rebus contra justi-

tiam acquisitis, quia dominis sunt restituendae; si vero res sint acquisitae aliquo perverso titulo, puta ex meretricio, non sunt pendendae, quia a Ministris rejiciendae omnino sunt, et execrandae, sed solum post poenitentiam recipi valent. Ita idem S. Doctor hic artic. 2. ad 2.

VII. *Decimae sunt solvendae, licet non petantur, et poenas incurrunt qui eas defraudant.*

Decimae sunt solvendae, etiamsi Parochus eas non petat. Ratio est manifesta: non enim solvendae sunt decimae ad petitionem Parochi; sed ex Ecclesiae praecepto. Quare optime docet S. Thom. Quod lib. 2. art. 8. in corp. » In terris, in quibus est consuetudo, » quod decimae solvantur, ipsa consuetudo quasi expostulat decimas; » unde peccaret qui non redderet ». Praeterea decimae, ut superius diximus, sunt debitae ex justitia, et Religione. Poenae latae contra illos, qui decimas non solvunt, vel solutionem impediunt ex Trident. Concilio sunt 1. Excommunicatio non quidem latae sententiae, nec ipso facto incurrenda, sed sententiae ferendae, et praemissa monitione. 1. In Jure Canon. Cap. *Prohibemus* indicitur et privatio christianae sepulturae. Sunt et excommunicationi obnoxii Religiosi, qui decimas ad ipsos non spectantes vel accipiunt vel usurpant; et suspensione puniuntur Confessarii, qui ex malitia poenitentis decimarum fraudatores ad solutionem non obstringunt, nec conscientiae scrupulum injiciunt.

CONSECTARIA.

I. *Pauperes, quando debeant decimas solvere.*

Pauperes tenentur decimas solvere, nisi extrema vel gravi necessitate premantur. Nam sicut hujusmodi pauperes, qui communi tantum paupertate laborant, immunes non sunt a solvendis vectigalibus et tributis temporali potestati; ita nec a decimis Ecclesiae liberandi sunt. Excipiuntur pauperes in extrema constituti necessitate, quum tunc etiam re aliena suae possint subvenire necessitati. Major est difficultas de constitutis in gravi necessitate, quibus docuimus non licere aliena sibi usurpare. Verum probabilius censeo pro tempore urgentis gravis necessitatis, non peccare, si decimas reddere differant: sicut enim est immunis a peccato, qui restitutionem rei alienae sive mala sive bona fide acceptae differt, quando restitutio est illi graviter onerosa, ita et in decimis pendendis excusatur, qui gravi pressus necessitate earum solutionem declinat, praesertim quum restitutio sit de jure naturali et divino, decimarum vero solutio, praesertim quoad quantitatem, locum, et modum, solum debeatur ex praecepto ecclesiastico, quod non obstringit in gravi necessitate. Tenentur tamen quando pinguiorem consequuntur statum, Ecclesiis decimas reddere.

II. *Decimae ovium, in duplici loco pascentium, cui debeantur.*

Decimae ovium, aliorumque bestiarum, quae per dimidiam anni partem in una Paroecia morantur et ovile habent, et per aliam partem in alia Paroecia pascuntur, sunt inter utriusque Paroecia Pastores dividendae. Ita Sanctus Thomas hic quest. 87. artic. 3. ad 2. scribens: » Pastor, qui diversis temporibus in duabus Parochiis gre- » gem pascit, debet proportionaliter utrique Ecclesiae decimas sol-

» vere. Et quia ex pascuis fructus gregis proveniunt, magis debetur » decimas gregis Ecclesiae, in cujus territorio grex pascitur, quam » illi, in cujus territorio ovile locatur ». S. Thomae consentiunt Suarez et Barbosa. Nullae proinde debentur decimae Parocho domini ovium, si in ejus Paroecia nec pascua, nec ovile habeant, sicut nec Parochis illarum regionum, per quas oves transeunt, sive ad montana ascendendo, sive domum revertendo, licet in transitu in fundis alicujus Parochiae pascantur; quia hoc nutrimentum, quum minimum sit, nulla ejus ratio habetur, quum de minimis non solvantur decimae. Ita laudati Auctores.

FINIS TOMI SECUNDI.

INDEX

Tractatuum, Dissertationum, et Capitum,
quae in hoc Tomo continentur.

TRACTATUS QUINTUS

De Decalogi Praeceptis.

DISSERTATIO I.

De Primo Decalogi Praecepto.

DISSERTATIO II.

De secundo Decalogi Praecepto,
Non assumes nomen Dei in vanum.

DISSERTATIO III.

De tertio Decalogi Praecepto ,
Memento, ut diem Sabbati sanctifices, non facies omne opus in eo.

DISSERTATIO IV.

De quarto Decalogi Praecepto,
Honora Patrem tuum, et Matrem tuam.

DISSERTATIO V.

De quinto Decalogi Praecepto, Non occides.

DISSERTATIO VI.

De sexto, et nono Decalogi Praecepto, Non moechaberis. Non concupisces uxorem proximi tui.

DISSERTATIO VII.

De septimo, decimoque Praecepto, Non furtum facies. Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia, quae illius sunt.

DISSERTATIO VIII.

De octavo Decalogi Praecepto, Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

TRACTATUS SEXTUS.

De Praeceptis Ecclesiae.

DISSERTATIO I.

De primo Ecclesiae Praecepto, nempe auditione Missae diebus festis.

DISSERTATIO II.

De secundo Ecclesiae Praecepto, scilicet de Jejunio.

DISSERTATIO III.

De tertio, et quarto Ecclesiae Praecepto, annua Confessione, et Paschali Communione.

DISSERTATIO IV.

De quinto Ecclesiae Praecepto.